
3 1761 06977696 1


UNIVERSITY OF TORONTO
VELUT ARBOR ÆVO

HISTORIA

HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS, COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS, COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

EDIDIT

L. W. E. RAUWENHOFF

THEOL. DOCT. PROF. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA

ADJUVANTE

CAR. SZALAY

PHILOL. CLASS. PROF. IN GYMNASIO REF. BUDAPESTINO.

TOMUS I.

LIB. I ET II.

LUGDUNI-BATAVORUM
APUD E. J. BRILL SOCIOS
1888.

NICOLAO BARONI VAY DE VAJA

TABULAE EXCELSORUM PROCERUM REGNI HUNGARIAE PRAESIDI,
S. C. ET R. A. M. ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO,
SACRAE REGNI HUNGARIAE CORONAE ET INSIGNIORUM
CONSERVATORI,
INS. ORD. S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI EQUITI,
IN HUNGARIA HELVETICAM CONFESSIONEM SEQUENTIUM ECCLESIARUM
CIS-TIBISCANARUM CURATORI GENERALI,
COMPLURIUM INS. INTERNORUM ET EXTRANEORUM
EQUITI EXCELLENTISSIMO;
CET. CET.

ET

COLOMANNO TISZA DE BOROSJENŐ

REGII MINISTERII IN HUNGARIA PRAESIDI,
S. C. ET R. A. M. ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO,
INS. ORD. S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI EQUITI,
IN HUNGARIA HELVETICAM CONFESSIONEM SEQUENTIUM ECCLESIARUM
TRANS-DANUBIANARUM CURATORI GENERALI,
COMPLURIUM INS. INTERNORUM ET EXTRANEORUM
EQUITI EXCELLENTISSIMO;
CET. CET.

VIRIS ET DE PATRIA ET DE RELIGIONE
PRAECLARE MERITIS



HOC PRAESTANTISSIMUM PATRIAE ECCLESIAE MONUMENTUM

SACRUM ESSE VOLUIT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Petri Bod Historiae Hungarorum Ecclesiasticae partem priorem libros I—II continentem quod emittere nunc possum, magnopere mihi gratulor. Cuius libri edendi curam cur potissimum in me susceperim, exposui in libello, quo Neerlandice, Germanice, Anglice, Gallice, Hungarice publicato eruditos et nostrates et exteros ut nomina sua emptores profiterentur, invitabam hisce fere verbis:

„Petrus Bod anno 1712 Felső-Csernáton in oppido Transilvaniae natus, decurso spatio academico in Universitate Bethleni Nagy-Enyedensi, Lugdunum Batavorum anno 1740 studiorum causa se contulit, ibique per triennium commoratus et doctrina et animi candore tantopere se commendavit, ut insigni omnium existimatione frueretur; id quod publice ei testatus est I. van den Honert, Professor Leidensis. In patriam redux variisque deinceps muneribus ecclesiasticis functus, tandem Verbi Divini interpres M. Igeni anno 1769 obiit.

„Quo tempore in Hungaria Ecclesiae Reformatae operam diligenter navabat Bod, ea ibi erat Protestantium conditio, ut qui iamdudum graviter fuerant oppressi, nunc fere ad incitas redacti viderentur. Populus, quantumvis strenuus, omni iniuriarum genere confectus animo despondebat omnibusque praesidiis destitutus nihil habebat quo aut studia theologica sustentare aut meliorem statum sperare posset. Quod olim minitatus erat Kollonics Archiepiscopus: „faciam Hungariam captivam, postea mendicam, deinde catholicam", id prope iam instare videbatur, nisi inexspectata rerum mutatione periculum posset averti.

„In illa temporum difficultate Petrus Bod hoc sibi vitae consilium

proposuit, ut popularium suorum et doctrinam et religionem ab interitu servaret. Qua in re quid praestiterit, enarravit Miko Comes in „Descriptione vitae et operum Petri Bod" (an. 1862), ex cuius verbis maxima elucet veneratio erga virum qui „pauper et parentibus orbatus, post iuventutem in summa egestate transactam sola animi nobilitate eo pervenit ut de civibus suis praeclaris beneficiis optime sit meritus."

„Inprimis autem operam dedit Bod ut documenta ad illustrandam Hungariae et Protestantium Hungarorum historiam necessaria undecunque congereret. Neque hoc colligendi labore contentus ipse etiam libris conscribendis manum admovit, ea quidem industria, ut viginti quattuor annis, ab an. 1744 usque ad an. 1768, scripta confecerit, quatenus nobis innotuit, numero 56, quorum tamen viginti tantum typis sunt expressa.

„Praecipuum autem, quod condidit, opus fuit: Historia Hungarorum Ecclesiastica. Quod ut quam accuratissime conficeret Bibliothecas et Tabularia tam in patria sua quam alibi terrarum summa cum diligentia perscrutatus, omnia undique instrumenta per complures annos indagata collegerat. De eo libro sic iudicat Miko Comes: „In hoc opere res antea neque exploratas nec cognitas tractandas sibi sumpsit. Magna doctrinae copia et ingenii acumine totam Hungaricae Ecclesiae Reformatae historiam amplexus temporibus illis novam lucem attulit, dubia plurima solvit, annorum rationem enucleavit, de hominibus et factis iniuste culpatis quid verum sit exposuit, et, ut verbo absolvam: sive fundamenta iaciendo, sive ipsa narratione elaboranda virum se praestitit vere historicum, et eruditione et ingenio inter aequales suos longe eminentem."

„Huius elogii auctor paucas tantum magni operis partes noverat, quae descriptae in Hungaria asservabantur: ex quattuor autem totius libri voluminibus ultimum etiam in manibus habuisse videtur. Petrus enim Bod Historiam suam Ecclesiasticam in lucem edere non potuerat, eiusque chirographum Mikonis Comitis aetate iamdudum non erat in Hungaria. Ignorabatur etiam quid de eo esset factum. Quam iacturam ideo maxime recentioris aevi viri docti aegre ferebant, quia fieri non poterat ut documenta a Petro Bod

adhibita iterum colligerentur. Nec profecto cuiquam post illum ea subsidia et adminicula praesto fuerunt, ut Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transilvania historiam digne conscribere posset.

„At non interierat chirographum. Religiose servabatur in Bibliotheca Universitatis Lugduno-Batavae, et hoc ipsum Lugdunum, quod ante 150 fere annos huius operis scriptorem doctrinae ubertate instructum et munitum in patriam remisit, nunc opus ab eo conditum, quod tam diu amissum videbatur, Hungariae reddere parat.

„Anno circiter 1756 Michael Aitai, Professor in Schola Nagy-Enyedensi, Bodi manuscriptum folia 1114 formae maximae continens ad Ioannem van den Honert, Professorem Leidensem, miserat eumque impense rogaverat ut libri in lucem emittendi curam in se susciperet. At nimii erant sumptus ad parandam editionem impendendi. Biennio post mortuo Honertio, Aitai adiit Danielem Gerdes, Professorem Groninganum. Hic eandem ob causam quin totum opus typis describi curaret prohibitus, aliquid tamen fecit ut innotesceret Bodi liber: duo enim capita inde edidit in suo „Scrinio Antiquario" Tom. VII. p. 133—174 et p. 346—374. Ipsum vero manuscriptum post obitum Danielis Gerdes an. 1765 Lugdunum remissum in manus pervenit Ewaldi Hollebeek, a quo per triennium conservatum an. 1768 translatum est in Bibliothecam Universitatis, ubi inter codices mss. Bibl. Publ. Lat. sub n°. 10 B conservatur (vid. Í. Geel, Catalog. libror. mss. qui inde ab an. 1741 Bibliothecae Lugd. Bat. accesserunt. Lugd. Bat. 1852. n°. 629).

„In ultimo chirographi folio haec legitur annotatio, eo tempore — ut videtur — scripta, quo liber in Bibliothecam Leidensem pervenit: „Hujus Codicis pars altera, jam a tribus et quod excurrit annis, Viennae in Austria apud Spectabilem Dnūm Samuelem Türi, Reformatorum Transylv. Ecclar. ibidem Agentem Ordinarium Aulicum delitescens per aliquem Patriae nostrae filium Lariumque suor. amantem, huc transportari huicque parti sociari cupit. 1768 14 Aug. L. Bat." Quibus verbis in Catalogo a Geelio citatis addita sunt haec: „Huic desiderio numquam satisfactum videtur." Quid vero contineret altera illa pars ex ipso chirographo effici poterat. Divisum enim est in libros tres, sed indicem quoque exhibet Libri Quarti, cui inscriptum est: „Complectitur res Ecclesiae in Tran-

sylvania et Hungaria a Compositione Szatmariensi ad praesens usque tempus.” Quarto igitur illo Libro historia narrabatur rerum post pacem Szatmariensem an. 1711 gestarum. Capita complectebatur sedecim, quorum tituli etiam in codice Leidensi memorantur.

„Primo autem tempore post librum Bibliothecae insertum identidem a nonnullis aut lectus aut saltem evolutus esse videtur. Index enim illi an. 1768 additus, in quo recensentur nomina Hungarorum et Transilvanorum quotquot Lugdunum Bat. studiorum causa adierant, postea auctus est et ad an. 1784 continuatus. Post hunc vero annum nullum exstat indicium codicem nostrum cuiquam innotuisse.

„Centum annis post, ipso anno 1884, Lugduni degebat iuvenis Hungarus, cui nomen Carolus Szalay, qui studiis Sárospatakini peractis in Hollandiam venerat, ut nostratium disciplina ad munus honestum in patria sua gerendum instrueretur. Hic cum in Bibliotheca Leidensi catalogos perscrutaretur, in iis Petri Bod nomen laetus invenit. Notum illi erat non tantum quanta veneratione frueretur illud nomen apud Hungaros et Transilvanos, sed sciebat etiam quam aegre ferretur manuscriptum illud — ut quidem putabant viri docti — interiisse. Facile inde intelligetur quo animo librum salutaverit et inspexerit. Nec spem fefellit plenior libri notitia. Quod enim Mikó Comes paucis perlectis particulis olim dixerat, opus esse verum thesaurum rerum admodum memorabilium ad cognoscendam historiam Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transilvania, id quam vere esset dictum tunc apparebat. Mirum igitur non est Carolum Szalay magnopere optare ut tandem aliquando tanti pretii liber publici iuris fieret. Quo consilio me adiit. At mihi etiam res multis difficultatibus obnoxia videbatur, cum praesertim ipse Szalay mox in patriam esset rediturus, ideoque sperari vix posset fore ut in edendi molestissimo labore ipsius opera et auxilio frueremur.

„Postquam vero in Hungaria et Transilvania innotuit, magnum Petri Bod opus esse repertum, haud exigua excitata est multorum exspectatio. Edm. Kovács V. D., Professor Nagy-Enyedensis, ipse unus ex praestantissimis Universitatis Leidensis alumnis, in diario cui titulus: „Protestáns Egyházi és Iskolai Lap” omnes eruditos invitavit ut libri editioni mox parandae nomen subscriberent.

Aliud quoque accessit, quo factum est ut eo magis operis tam diu amissi recuperandi spes aleretur. Studiis enim Hungarorum in illud Petri Bod opus denuo conversis, diligenter explorare coeperunt, num quae forte libri partes olim descriptae hic aut illic laterent. Nec frustra est quaesitum. Repertus enim est in Bibliotheca Claudiopolitana Liber Quartus, qui in codice Leidensi non legitur. Iam igitur eo est perventum, ut integrum opus in lucem possit emitti.

„Hungaris itaque etiam atque etiam petentibus indulgere cupiens tandem cum bibliopolis E. I. Brill Sociis consilium inii, ut operis tantopere desiderati editionem moliremur. Recens autem repertus Liber Quartus tam extensus est, ut duas fere partes codicis Leidensis ambitu aequiparet. Et existimant bibliopolae illi fore ut totum opus cum indice locupleti aliisque additamentis absolvatur centum fere plagulis senarum denarum paginarum formae quam dicunt octonariae maioris. Emittetur in duos tomos octingenarum fere paginarum divisum. Integrum opus constabit florenis septendecim et dimidio.

„Editioni curandae libens ipse praeero. Carolus autem Szalay Lugdunum redibit, ut codici accurate conferendo et plagulis typographicis corrigendis operam det.

„Bibliothecae Leidensis praefectus, vir doctissimus W. N. du Rieu, qua est liberalitate, codicis Leidensis in usum nostrum adhibendi copiam nobis fecit. Quartus autem Liber Lugdunum mittetur, quamprimum operis edendi initium fieri poterit."

Haud frustra speraveram fore ut huius editionis consilium multis accideret gratum et acceptum. Et alibi terrarum et praecipue in Hungaria et Transilvania tot sunt reperti futuri huius libri emptores, ut typographi iam manus operi admovere non dubitarent. Quantopere autem Hungari patriae suae interesse censuerint Petri Bod Historiam Ecclesiasticam tandem in lucem prodire, hinc effici potest, quod — ut nomina Nicolai Baronis Vay, Caroli Szàsz Ref. Superintendentis et Mauritii Ballagi theol. doctoris omittam — Vir Exc. Col. Tisza, Regis Ministerii in Hungaria Praeses, sua ipsius opera triginta fere congessit nomina Magnatium, qui libro edendo subscripserunt. Nec minus id apparet e magno numero eorum, qui licet pretio haud exiguo deterreri facile potuerint, tamen, amore erga Ecclesiam patriam adducti libenter hos sumptus fecerunt.

Talia vero multorum studia mihi tamquam novi stimuli fuerunt ut quantum possem et tempus et vires in procurandam editionem impenderem.

Quod emptorum patientiam longiore mora aliquantisper tentare debuimus, magnopere doleo. Variae sunt causae quibus est factum ut opus inchoatum non tam cito quam sperabamus posset absolvi. Cum enim edendi curam susciperem, fore confidebam ut Szalay V. D. Lugdunum veniret ibique maximam laboris partem in se reciperet, ipse vero rei tantummodo praeessem, nec nisi extremam perpoliendi libri operam adhibere deberem. Sed antequam initium potuit fieri munus honorificum Budapestini ei oblatum prohibuit quominus huc rediret. Ne tamen eius auxilio plane forem destitutus, singulas plagulas ad eum mitti iussi corrigendas. Sed cum ipsum Bodi chirographum adhibere non posset Szalay, contentus fere esse debebat emendandis nominibus Hungaricis. Praeter hanc operam in plagulis corrigendis nobiscum positam ita porro erit laboris particeps, ut conficiat indicem locupletem libro absoluto addendum et adiungat observationes historicas, quae requiri videbuntur, ut omnia a lectoribus recte possint intelligi. Non solum igitur Hungari acceptum ei referent quod codicem, qui interiisse credebatur, repperit, meque et bibliopolas ad curandam editionem incitavit, sed hoc etiam quod omnem materiem a Petro Bod congestam ita praeparaverit ut usui esse possit viris doctis historiam Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transilvania denuo tractaturis. Quod si — ut equidem exspecto — fideliter et perite perfecerit, nemo profecto erit qui neget eum de hac editione bene meruisse.

Cum igitur carerem auxilio, quod Szalay V. D., si Lugdunum reverti ei licuisset, sine dubio mihi fuisset praestiturus, nihil iam restabat nisi ut operam illi mandatam susciperem ipse. Praesto quidem mihi erat adiutor aliquis, qui et apographum codicis cum ipsis Bodi verbis conferret et menda corrigeret typographica, sed mox expertus sum, si verbotenus vellem reddi contextum, oportere me ipsum plagulas cum codice iterum conferre. Quod onus quamvis grave recusare nolui, quia editionem me esse curaturum pollicitus eram. At vix par fui tanto labori. Occupatus enim in conscribendo, mox in edendo libro de Philosophia Religionis, nullum fere otium inveni. Quo factum est ut post varia impedimenta, quibus iam in re praeparanda fueram retardatus, nunc denuo in elaborando opere nonnisi lente possem progredi. Itaque nunc tandem, integro

exacto biennio, absoluta est haec pars quae iam in lucem editur. Cum autem antea mihi esset propositum, ut librum tunc demum publici iuris facerem, cum totus foret typis expressus, nunc post tam longam moram, ne patientia vestra, benevoli Lectores, abuti viderer, satius duxi duos Libros priores iam separatim emittere, Libros vero tertium et quartum una cum indicibus et annotationibus deinceps tomis II et III comprehendere. Valde autem spero et confido fore ut duo illi tomi posteriores breviore temporis spatio ad finem possint perduci, quam in hunc primum impendere necesse fuit.

De ratione, quam in edendo Bodi opere sum secutus, pauca habeo praemonenda. Ac primariam quidem legem hanc mihi proposui, ut quam possem accuratissime redderem ipsa codicis verba. Criticam quam vocant editionem curare nec volui neque utile censui. Etenim hoc tantum mihi erat agendum ut eximium illud historiae Hungaricae documentum tale traderem Hungaris, quale ab ipso scriptore est derelictum. Illorum vero erit officium, materiem hic congestam ita tractare, ut plenam inde et accuratam Ecclesiae suae historiam possint eruere. Quod ut recte fiat, illis sine dubio praesto sunt subsidia et adiumenta, quibus ego sum destitutus. Eorum enim et linguae et litterarum ignarus nihil agere poteram, nisi ut fideliter exhiberem ipsius Bodi chirographum. Qua tamen in re nimis futilis esse nolui. Recessi igitur a Bodi consuetudine casum ablativum et adverbium apice ultimae syllabae apposito indicandi: hic enim scribendi modus iam obsoletus nunc taedium lectoribus movet. Haud raro etiam aut aliter aut plenius distinguenda erant auctoris verba, quo melius orationis contextus intelligeretur. Ceterum vero nihil antiquius habui quam ut codicem ms. verbotenus exhiberem. Nec mira aut obscura verba, quibus scriptor identidem utitur, nec quae hic illic commisit peccata contra artis grammaticae praecepta immutare volui. Non enim es' meum rationem reddere de iis, quae sunt ab illo scripta, sed de hoc tantum, an verba typis expressa librum manuscriptum fideliter referant. Cuius rei ut memores sint lectores enixe rogatos esse velim, ne, si forte aut vocabulo aliquo aut loquendi aliqua formula offendantur, quae iure reprehendant, mihi tamquam culpam imputent id quod ipse editionis meae veluti commendationem esse censeo. Inprimis autem id dictum esto de ratione qua nomina hominum et locorum Hungarica hic scripta inveniuntur. Mirum profecto mihi non accidet, si Hungari inspecto

libro statim offendantur multis quae tamquam cacographiae alicuius speciem referant, tum vero incusent Carolum Szalay, utpote qui melius me docere debuisset, quomodo scribenda essent nomina Hungarica et quibus apicibus distinguenda. Quapropter omittere nequeo, quin publice hic declarem nullam huius rei culpam esse penes doctum illum Hungarum. Hic enim numquam neglexit me monere quomodo illa nomina essent repraesentanda, quibus syllabis apices apponendi. At vel illo invito secutus sum hac quoque in re normam semel constitutam, ut nihil quicquam aliter typis describerem ac legeretur in codice manuscripto. In prioribus quidem plagulis ab hoc more interdum recessi, quippe ab illo monitus hoc vel illud in codice mendose esse scriptum. Mox vero intellexi ita agendo immutari nonnumquam ipsum contextum: id quod non licere iudicabam. Haereditas enim Petri Bod non mutata, nec vero emendata, eius civibus est tradenda. Legere eos oportet ea quae scripsit plane eadem forma ac specie, qua ab illo scripta sunt. In quibus si forte quaedam parum accurate litteris expressa sunt, vel quae hac nostra aetate aliter scribi solent, pluris tamen Hungarorum interest, ut illius menda et orthographiam obsoletam, quam ut emendationes cognoscant meas. Inprimis autem in apicibus apponendis maximam adhibui diligentiam, ita quidem ut atramenti evanidi vestigia haud raro vitri ope indagarem. Qua in re etsi facile crediderim me interdum errasse, universe tamen affirmare audeo, singula in codice eis apicibus esse distincta, quibus hic typis descripta legantur. An nomina Hungarica ante annos centum et quinquaginta ubique eo modo scribi solerent, equidem ignoro. At Petrum Bod ita scripsisse constat. Haec mea est iusta excusatio.

Typographis honestissimis E. I. Brill Sociis, qui alacri studio nihil omiserunt quod promovendae huic editioni utile esse posset, gratias ago sinceras. Inprimis vero recordor animo grato quae mihi benevole praestiterunt viri doctissimi W. N. du Rieu, Bibliothecae Lugduno-Batavae praefectus, et S. G. de Vries, librorum manuscriptorum in eadem Bibliotheca conservator. Hi enim indefessa industria numquam non praesto mihi fuerunt. Quapropter me cogitantem, quanta operis pars adhuc restet peragenda, hoc magnopere confirmat, quod persuasum habeo illos in posterum quoque consiliis et factis mihi esse adfuturos.

Scribebam Lugduni Batavorum
m. Mart. an. MDCCCLXXXVIII.

L. W. E. RAUWENHOFF.

CONSPECTUS.

LIBER I.

Complectitur res praecipue Ecclesiasticas apud Hungaros, ab initio Novi Testamenti per secula ad initia regni regis Geizae, qui principatum iniit anno Christi DCCCCLV indeque ad annum MD ad initia fere Reformationis.

LIBER II.

COMPLECTITUR HISTORIAM REFORMATIONIS RESQUE ECCLESIAE IN HUNGARIA ET TRANSYLVANIA SECULO DECIMO SEXTO, AD PACIFICATIONEM WIENNENSEM USQUE GESTAS, QUAE FUIT ANNO MDCVI.

PROLOQUIUM.

Generatio praeterit et generatio advenit, neque est priorum memoria[1]). Salomonei hujus veritatem omnis aetatis vicissitudo probavit. Tempus enim altam omnium memoriam, praecipue vero primas gentium origines, oblivione sepelit ac densa caligine mergit; nisi Historia, testis temporis, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, et antiquarum fidelis custos rerum, eas edaci eximat temporis vitio. Si non diligentia Mosis res ab exordio mundi ad exitum populi Israelitici ex Aegypto fatali exemisset oblivioni, nihil earum hodie memoria teneremus. Quantula autem et ea sunt, quae 2493 annorum decursu ex gestis consignata habemus? vix numerosae alicujus gentis intra quinquaginta annos acta factaque si conscribantur aequare valeant. Nihil ex Græcorum Romanorumque gestis hodie haberemus, nisi fideles conservassent Historici, prouti quae mansuris illi literis consignare neglexerunt, altum de iis apud nos est silentium, necessarioque esse debet.

Clarissima haec exemplo gentis Hungaricae cuivis attendenti ac manifestissima esse queunt; quae non eo demum die nata, quo et ingenti fama ac terrore totam fere Europam replevit; verum multis jam seculis extitit. Quia tamen seorsim ejus mentio, ad tempora usque Salvatoris nati, per quatuor millia annorum non extat, ita reputatur ac si gens quoque nusquam extitisset. Imo vero a nato quoque nostro Servatore per annos mille quadringentos res Hungarorum gestae ejusque conversiones ac revolutiones multa caligine obsitae ac perplexae jacent; maxime autem per annos mille; quibus si a Graecis populisque occidentalibus, suas quisque calamitates a majoribus nostris illatas describentibus ac deplorantibus, quaedam obiter memorata non accepissemus Hypsaea essemus coeciores. Parum certi ex his quoque habemus quum communi sub nomine Scytharum memorentur; qua nomenclatione antiqui septemtrionales omnes fere denominabant gentes. A temporibus Attilae,

---

[1]) Eccles. I. 4, 11.

Hunnorum regis, equidem gens Hungara vel Hunna apud historicos non unam facit paginam, sed in antecedentibus Hunnorum res gestae silentio sunt involutae: praecipue vero religio sive Deum colendi ratio vix memoratur.

Jam vero animus est in hoc Tractatu Historico ea, quae ad rationem colendi Deum et res Ecclesiae pertinent in summam collecta, avidis rerum Ecclesiasticarum Hungariae lectoribus proponere, ad eorum animos diversitate rerum tam delectandos, quam variis eventibus et casibus informandos ac satiandos. Oportet vero quaedam praemittere de gentis Nominibus, Regionibus, Habitaculis, Peregrinationibus etc., quae viam sternant sequentibus et firment gressus ultra progressuris; atque ita paulatim ad ea devenire tempora, quibus e Gentilismi tenebris emergentes Christianam amplexi sunt religionem. Indeque per varias rerum mutationes, tristesque et subinde laetiores rerum eventus ad nostram sensim defluere aetatem.

Non defuerunt viri doctissimi, juxta ac rerum patriarum studiosissimi, qui Ecclesiasticam Hungarorum conscribere historiam eamque publicae exponere luci in votis habuerunt; eorum tamen destinationem aut brevis vitae usura intervertit, aut ingruentes Patriae calamitates eluserunt. Stephanus Beniamin Szilágyi professor Varadiensis ac etiam Patakiensis Synodorum acta in hunc finem magno labore collegerat. Samuel Kaposi professor Albajuliacensis historiam fata Ecclesiae Hungaricae ac Transylvanicae exprimentem conscripserat; idem fecisse Joannem Burium ecclesiasten Carponensem adnotavit Czwittingerus. Horum tamen labores in publicum minime prodierunt. Franciscus quoque Foris Otrokotsius non contemnendam ad hunc scopum fecerat collectionem, qui tandem cum sacris stilum etiam mutavit.

Primus fuit Franciscus Páriz Pápai M. Dr. et Professor Enyediensis, qui breves rerum Ecclesiasticarum Hungaricarum iuxta et Transylvanicarum inde a prima Reformatione commentarios consignavit ac Cibinii anno 1684 in 12 mº edidit.

M. Georgius Haner decennio post, id est anno 1694, historiam Ecclesiarum Transylvanicarum Francofurti et Lipsiae publicavit, ac juvenis admodum; qui maturescentibus annis in Superattendentem Augustanae confessionis in Transylvania creatus prolixe eandem elaboravit, necdum ab haeredibus publico usui expositam. Stupenda diligentia et improbo plane labore Paulus Ember Debretzinensis collegerat ea, quae ad historiam facerent ecclesiasticam, quam collectionem Fridericus Adolphus Lampe Trajecti ad Rhenum anno 1728 publicavit. Prodierat jam ante, id est anno 1710, liber sub titulo Historiae Diplomaticae, ubi ortus progressusque Reformationis, Regum Diplomata quibus libertas religionis sanciebatur, Protestantium in Hungaria vexationes etc. osten-

duntur; qui non tantum rarus est, sed etiam multa, quae ad historiam quidem, non vero scopum auctoris, facerent prætermisit.

Excitati sunt exemplo aliarum gentium viri ab elegantioribus literis bene instructi, hoc quo vivimus seculo, qui res Hungaricas plenis illustrare conati fuerint commentariis; quorum tamen non pauci ubi res Ecclesiæ adtingunt, aut anilibus sua commentaria complent fabellis, aut in dissentientes omne genus scommatum conjicientes plena in eos convitiorum plaustra convehunt. Si quid sinistri accidit, si male in prelio depugnatum, si arx Turcis expugnata, si pestilens provinciam invasit morbus, causam mali continuo apud Protestantes quaerunt, et sua opinione inveniunt. Non absimili certe ratione, quam Tertullianus scribit de Romanis Christianorum adversariis, „quod existiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem acclamatur [1])". Eadem apud Arnobium legas: Postquam esse in mundo Christiana gens coepit, terrarum orbem periisse et multiformibus malis affectum esse genus humanum [2]). Annon eadem hodie ad ravim usque ingeminare sustinent perbelli scriptores: Postquam Lutherus, postquam Calvinus surrexit, periere omnia in Hungaria, Hungariam in ipsa Hungaria quæras necesse est. Respondet Tertullianus ad objecta Gentilium satis profuse, ubi inter reliqua dicit: Nemo adhuc Romae Deum verum adorabat cum Annibal apud Cannas per Romanos annulos caedes suas modio metiebatur. Eadem * bono jure respondere valemus: cum anno 1242 Tartari Hungariam Transylvaniamque intra biennium penitus evastarent, cum rex Hungariae Sigismundus perpetuo a Turcis vinceretur, cum Vladislaus anno 1444 ad Varnam simul cum lectissimo Hungaricae Nobilitatis flore caederetur, cum rustici, crucem sumentes anno 1514 in Regni proceres, matronas nobiles, virgines, nuptas innuptasque puellas furorem suum effunderent, rapinis, caede, stupris late omnia depraedarentur, ac lamentis complerent, nemo tunc Lutheranus, nemo Calvinista; ubi tunc Lutherus, ubi Calvinus? et tamen miseranda Hungariae facies. Scrutare sodes tua majorumque tuorum crimina, ibi causas desolationis invenies. Cum Roma Gottorum irruptione sub rege Alarico eversa esset, falsorum Deorum cultores in Christianam religionem causam referentes ansam Augustino Hipponensium antistiti dederunt ut elegantissimos de civitate Dei libros elaboraret calumniamque eorum amoliretur. Quam simili Protestantes in Hungaria ac Transylvania premuntur sorte; nihil enim est adversi,

---

[1]) In Apologetico, Cap. XL.

[2]) Disputationum adversus gentes Lib. 1 ab initio.

* Eodem? (Ed.).

quod non eorum religioni imputent religionis Romanae promachi, ac si non suis criminibus aeque illi perinde ac et alii ultorem Deum ad calamitates populis immittendas provocarent. Qui itaque ad scribendam Historiam animum adjiciunt non exuentes istas passiones, non possunt non in partes deflexi opinionibusque suis occaecati veritatem deserere, ac suae opinionis idolum colere.

Musarum in dissitis a Patria oris amplexibus haerens, ingens patriae Ecclesiae fata pernoscendi cupido animum invasit, conquisitis de hoc argumento libellis cum sitim ardentem restinguere minime valerent, celebriores visitans Bibliothecas antiqua Chronica sine discrimine evolvi, praecipue autem vicinorum Hungariae populorum scriptores, veluti Corpus Historiae Bizantinae, Austriacarum, Allemannicarum, Bohemicarum, Silesiacarum, Polonicarum rerum Collectores, antiquos et recentiores. Unde nata est aliqua mihi collectio, atque etiam Dissertationes Historicae de Hungarorum e Gentilismo ad Christianam religionem conversione, de aetate modoque conversionis, de antiqua eorum religione. Nihil tunc adhuc inaudiveram de dissertatione Godefridi Schwartz, ubi initia religionis Hungarorum orientali Ecclesiae adseruit. Verum reversus in patriam excerpta quaedam ex eadem accepi ab amico, ac post aliquot annos etiam dissertationem, gaudebamque ex identitate testimoniorum in eandem nos concordasse sententiam. Elapsis aliquot annis, ubi historicam hanc collectionem in tenebris haerere sinerem, venit in manus nec opinanti Johannis Stiltingi, Bolandi continuatoris Jesuitae Antverpiensis, Vita s. Stephani regis Hungariae ex Latinis, Graecis, aliarumque gentium monumentis collecta, ubi Schwartzii sententiam et ejus argumenta in examen revocat atque magno adparatu enervare nititur. Legi perlegique librum depositis quantum fieri potest praejudiciis, qui tamen a sententia abducere non potuit; eundem enim literatissimus scriptor, quem plerique, habere videtur scopum, scribere pro auctoriate Romani Pontificis. Atque ita primus liber ex his suos accepit natales, secundus cæterique,- ex libris quibusvis in Hungaria ac Transylvania editis, Articulis Diaetalibus, Archivis, Capitulis, publicis privatisque Manuscriptis, et aliis fide dignis documentis. In cursu operis ipsa documentorum verba protuli, unde evenit stili inaequalitas, in quo non aliud curandum habui, nisi ut res verbis expressa commode intelligatur. Si cui quae hic tradita sunt minime arrideant, ille in me scommata convehendi jus non habet, nisi testimoniorum, quae adferuntur, fidem prius elevaverit.

Non diffiteor plura fuisse quae mihi in hoc stadio currenti obicem ponerent sistereque iter juberent. Vellicabat subinde Plinius aures: „Tu jam nunc cogita, quae potissimum tempora aggrediamur. Vetera et scripta aliis? graves offensae, levis gratia. Nam praeter id quod in

tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quam laudanda, tum si laudaveris parcus, si culpaveris, nimius fuisse dicaris, quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris[1])".

Idem ille animum etiam addebat in ista ad Capitonem epistola. Suades ut historiam scribam, et suades non solus: multi hoc me saepe monuerunt, et ego volo, non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas nisi expertus), sed quia mihi pulcrum imprimis videtur non pati occidere, quibus aeternitas debetur, aliorumque famam cum sua extendere. Historia quoquo modo scripta delectat: sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur utqui sermunculis etiam fabellisque ducantur.

Nullius in hoc Tractatu existimationem laedere, sed res prout in notitiam venerunt candide referre, pro scopo habui animumque adjeci ne vel odio adversariorum vel amore amicorum in leges Historici peccarem; quod qualiter sim adsecutus, tu candide Lector iudicabis.

---

[1]) Lib. I. Epist. VIII.

LIBER PRIMUS.

Complectitur res praecipue Ecclesiasticas apud Hungaros, ab initio Novi Testamenti per secula ad initia regni regis Geizae, qui principatum iniit anno Christi dcccclv. indeque ad annum md ad initia fere Reformationis.

CAPUT PRIMUM.

De Nominibus, quibus Gens Hungarica apud scriptores insignitur.

§ I. *Nomen est necessarium.* — Nomen, quo mortales inter se distinguantur ac pernoscantur, est admodum necessarium. Solentque aut ipsi sibi nomina indere aut ab aliis indita usurpare; quæ qualiacunque fuerint perdurant etsi vera nominis significatio ex hominum memoria elabatur. Ita verbi gr. certarum gentium nomina nunc quoque supersunt, uti Anglus, Belga, Danus, Italus, Polonus &c; quid autem nomina significent nemo unus hodie ex vero interpretabitur. Similiter res se habet in nominibus Hungaricis certarum et antiquarum Familiarum. Quis quaeso mihi veram horum nominum interpretationem dabit: Bethlen, Radák, Kornis, Apor &c? Ingeniose multa fingi possunt, verum ea extra demonstrationem apud doctos omnino sunt. Nosmet ipsos lingua materna vocamus Magyar, extranei nos dicunt Hungaros. Duo haec nomina immane quantum a se invicem distant. Ita nos Hungari nationem Germanicam dicimus Német, quae denominandi ratio sine dubio a priscis illis Németibus remansit. Aliæ nationes præter Hungariæ

vicinos istoc nomine eam non indigitant. Hæc in hunc finem præmisi ut inde appareret, antiqua eruderare et in lucem producere nomina non esse exigui laboris et parvi momenti. Videamus nihilominus tamen nomina Hungaricae gentis, quorum illud esto primum, quo ipsi nosmet insignimus.

§ II. *Nomen Magyar.* — Vox MAGYAR unde originem sibi sumpserit, admodum est obscurum. Est inter scriptores rerum Hungaricarum, qui asserit Nimrodum ex Eneh conjuge sua progenuisse filium Magor, qui parens extitit suorum liberorum ab ipso Magyarok denominatorum [1]), quae sententia non tantum est incerta, sed etiam inepta, cum Hungari verisimilius ab Japheto quam Chamo originem acceperint suam [2]). Est alius qui de vocis etymo sequentem in modum ratiocinatur: „Quo circa non peccabit, sive quis dicat nomen Magyar derivatum esse a Major per epenthesin, interposita litera *g* et antithesin litteræ *y* et *a* pro *j* et *o* Latine significat in Praediis habitans. Sive compositum a Mag et Gyars elidendo in medio per syncopen *G* et in fine per apocopen *s*, quod significat ex Prosapia strenuorum Properorum et sic consequenter. Sive a Mag et Járás per antithesin posita litera *y* pro *j*, sicut in derivationibus Nyargallás pro Jargallás et apocopen auferendo in fine literas *a*, *s*, quod significat ex Prosapia sive semine vagabundorum Equitum, et sic deinceps secundum proprias et derivativas voces. Vel a Magi et Ara, itidem per antithesin et apocopen, quod efficit seminales ex agnatis vel cognatis Hunnorum" [3]) Hæc ingeniosa magis quam vera. Non deest quoque vir eruditus, qui ratiocinatione longe satis petita deducit ab origine Hebraea radicis Gur peregrinari, ex ejus forma participiali Magur Mager, quod significaret peregrinantem militem [4]). Lubentius cum iis facio qui asserunt ex proceribus Hunnis fuisse aliquem, Magyar dictum, cujus familia vocata est genus Magyari indeque lapsu temporis nomen sibi imposuerunt Magyarorum. Liceat tamen mihi ingenue, id quod sentio, fateri: Nos Magyar nostra vernacula vocari, verum vocis etymon prorsus ignorare. Vir illustris Petrus de Rewa Comes Thurociensis ac coronae Hungaricae custos, in opere immortali de Monarchia et Corona Hungarica, autumat Majores nostros semper eo nomine Magyaros indigitasse, quamdiu in Paganismi tenebris erant immersi, tandem cum emergerent in lucem Christianismi, cum novo statu novam ab aliis nationibus accepisse denominationem. Ita ergo ille: „Cum Hunni avitam religionem retinuissent ad Geizae et S. Stephani usque tempora, haberentque suas more

---

[1]) Thurotzi in Chronic. Hung. Part. 1. Cap. II et IV.
[2]) Petrus de Rewa de Monarchia Hung. Cent. VII. pag. 145.
[3]) Behambe in Notitia Hung. pag. 52.
[4]) Otrokotsi in Orig. Hung. Part. I. Cap. IX. p. 351.

barbaro quibus uterentur literas, non ipsi inter se Hunni, sed Magyari audiebant, nationibus interim, quae a Romanis paulo ante rerum dominis literarum Latinarum cognitionem et religionis formulam accepissent, et quibus ob rerum gestarum non obscuram famam Magyari noti essent, Hunnos eos uno consensu vocantibus. Sed postquam sunt Christiana religione initiati, characteres Romanae linguae admisere, dedereque magistris suos liberos in lingua nondum sibi nota erudiendos, confluerentque * ex universa Europa in Pannonias Christiani, ultro id adnitentibus, imo verò postulantibus Hunnis, una coepta est fingi vox ex Hunno Magyaro, quae paulatim, sed nec ita multo post in nomenclationem Hungari antea Hunnis et Romano nomini ignotam desiit. Hoc est post acceptum nomen Christianum Magyaros esse vocatos Hungaros, aboriginum suorum nempe Hunor et Magor nominibus in dictionem unam contractis, id quod et ipsi in literas misere postquam Latinum sermonem didicissent et aliarum gentium scriptores cursu perpetuo usurpavere, quoties de nostris hominibus mentionem facerent. Hungaros autem antiquitus solo Magyarorum nomine dictos fuisse argumento est, quod hodie adhuc ex sanguine Hungarorum hæreditatem suam in Scythia incolentes non aliter, quam Magyarii patria appellatione lauditent, nobis Europæis qui cum nominis alterius accessione, molliores mores et disciplinam pietatis hausimus, religione, moribus, una lingua quam a patribus nullo cultu expolitam acceperunt longe absimiles. Utuntur enim idiomatismo duro, et vocabulorum penuria angustiore, si quidem plerisque rebus peculiares vocum notas impositas non habent, sed ab officio et utilitate nomina earum mutuantur, quomodo pedem Járóka, oculum Látóka et similes appellare eos quidam e terra ipsorum peregrinus rediens referebat. Sunt autem sicut lingua ita religione barbari, quam per incerta idola exercent, serpentes colunt, præterea ad novos quotidie Deos surgendo, quos a fortuna accipiunt, illi rei diurnum præstantes honorem, licet ex immundis animalibus aut bestiarum genere fuerit, quae prima mane egredientibus sese obtulerit. Persuadere vero sibi non patiuntur nos esse veram Magyarorum progeniem, soli ipsi nomen gentis Hungaricae profiteri volunt, extra terram suam nullos esse legitimos Magyarorum filios; quae de egressu eorum in Pannoniam narrantur ea agnoscunt quidem, sed jam pridem familias illas vel in praeliis vel aliis casibus per tot secula in semine defecisse credunt, absurdum esse rati ut non a pluribus annorum centenariis ex affectu naturae patriam suam revisissent, vel alio quovis modo consanguineos suos visitando, jus Patriae haereditariae recognovissent." Haec Rewaius [1]).

* confluxeruntque? (Ed.).

[1]) De Monarchia et S. Cor. Regn. Hung. Cent VII, pag. 145.

His non absona scribit Toppeltinus de Magyaribus Asiaticis ex manuscripto Samoscii[1]: „Proximis, inquit, annis ad Amuratem Turcarum imperatorem ex vetere illa Megarum patria legatum Constantinopolim venisse a fide dignis et quorum authoritas in conspicuo est accepi. Is gratiam atque amicitiam publice privatimque regi ac regno petiturus tam honorifice a Turcarum tyranno acceptus fuisse traditur, ac si perpetua devinctus consuetudine, non ut ad familiaritatem imperatoris se applicaturus, sed ab hoc invitatus rex illorum esse videretur. Is ubi Europaeum Hungarum ibi esse cognovisset (aderat autem a Caesare Rudolpho ad Turcam missus magnae quidam vir prudentiae et virtutis), ad se invitatum comiter patrio sermone, quem ut orator Caesareus intelligeret, allocutus est, ac ultro citroque habito colloquio: Audio, inquit ille, vos alienigenarum quorundam contubernio promiscue permisceri. Cum orator Caesareus annuisset, ita quandoque usu solitum venire. Tum ille. Haec inquit, est ratio, quod Martia illa indoles, qua quondam toti Europae et Asiae terrori fuistis, sensim in vobis exoleverit, externoque hosti praeda facti estis. Nos vero aborigines vestri, ut arbitror, ita generis nostri prosapiam tuemur, ut exterorum affinitatem ad nos corrivari ex vetere gentis instituto capitale censeamus. Unde fit ut asperis barbarisque septa gentibus vetus illa et intaminata natio suismet ipsorum viribus quantumvis infestos sustinere hostes ab omni ævo valeat. Dicebat praeterea se minime Legatum de pace aut foedere conciliando esse ad Imperatorem Turcarum missum, quippe cujus arma neutiquam ad eas oras adhuc penetrassent omniaque illa essent a periculo et discrimine vacua. Sed ut, quae justae causae necessitudinis essent, notitia et familiaritate in eandem amicitiam ille Megarum rex se cum hoc imperatore aggregaturus esset. „Hos Magyaros Asiaticos Matthias, rex Hungariae, eo nomine primus conabatur ingentibus promissis pellicere in Europam, missa ad eos honesta legatione, verum omnis conatus regis ejusdem inopina morte in fumum abiit. Hodie pauca admodum et ea fabulosa sunt, quae de Magyaris Asiam incolentibus novimus.

§ III. *Nomen Hungarus.* — Nomina, quae majoribus nostris exterae indiderunt nationes, solidioribus vix nituntur fundamentis. Inclaruit jam a multis seculis nomen Hungarus, cujus etymon Ferdinandus Behambe deducit ab Hon et Gyars, quod significaret strenue se in patria defensorem; addit et alias Etymologias[2]), quas non puto dignas, quae enumerentur. Otrokotsius deducit a voce Hunnus et Hebraea Gar, peregrinari significante[3]), invita ex doctiorum calculo Minerva. Alii com-

---

[1]) De Originib. Transylv. Cap. IV p. 36.
[2]) in Notitia Hung. pag. 53.
[3]) in Originibus, pag. 340.

ponunt voces Hunnus et Juharia, indeque efformant vocem Hungaria [1]). Juharia provinciae in Moscovia nomen est, ex qua in Pannoniam Hungaros agmine effuso progressos quorundam sententia est. Hungar juxta quosdam fluvii in Scytharum regione nomen est, unde ipsi quoque nomen tulissent. Fuisse etiam alii narrant Scytharum ducem Hungarum nomine, cujus ductu Pannoniam occuparunt [2]). Non pridem ex Bibliotheca Vindobonensi prodiit inter alios scriptores rerum Hungaricarum historia de septem ducibus et egressu Hunnorum ex manuscripto: ubi scribitur fuisse fortalitium quoddam in ea parte Hungariae, quae Poloniae adjacet, Hungu dictum; quod ubi expugnarunt milites sub ductu Arpadii, inde dicti sunt Hungvarii ab exteris. Verba ita sonant: „Et vocatus est Arpad dux Hungvariae, et ab Hungu omnes sui milites vocati sunt Hungvari secundum linguam alienigenarum et illa vocatio usque ad praesens durat per totum mundum" [3]).

Castrum illud sine dubio est Ungvár, quod Comitatui Ungvariensi nomen dedit. Divortium istud sententiarum incertitudinem etymi vocis Hungarus ostendit: id tamen certum est denominationem istam esse antiquam, cum Jornandes seculo sexto jam eo nomine insigniverit Magyaros. Graeci quoque scriptores nominibus Ongur et Onnogur usi sunt, quae eadem sunt cum voce Hungarus. A seculo tamen octavo magis eo nomine exterae nationes usae observantur.

§ IV. *Alia Hungarorum nomina.* — Cum duce Attila Europaeos depopulabantur, vocabantur Hunni. Tandem ab anno quingentesimo sexagesimo quarto Avares aut Abares innotuerunt, quorum frequens apud Græcos historicos est mentio. Nuncupabantur quoque Scythae, quo nomine omnes etiam septemtrionales populi appellati sunt. Scythia vero erat altera Europaea, Asiatica altera ultra mare Caspium, quae sedes est antiqua Hungarorum. Quidam populi orientales mediae aetatis gentem Hungaricam dixerunt Turcicam; verum quam ob rationem, illi norunt, nobis idonea apparet nulla. Eodem modo nos Turcas dicimus Hagarenos et Saracenos, at nulla est plausibilis ratio, cur id faciamus. Ex vicinitate gentis Turcicae nomen illud de Hungaris Persae primum usurpasse videntur [4]).

---

[1]) Herberstein in Moscov. R. scriptoribus pag. 209.
[2]) Ranzanus in indice, pag. 347.
[3]) Anonymus in scriptor. Rer. Hung. ed. 1746. cap. XIII et cap XXXIX.
[4]) Belius in Prodromo Hung. Antiq. p. 36.

CAPUT SECUNDUM.

HUNNI, ABARES, HUNGARI, EX EODEM SANGUINE CRETI AC GENUINI SUNT MAGYARI.

§ I. *Hunni venientes in Europam a.* 376 *sunt Hungari.* — Iteratis vicibus gens Hungarica has insedit Pannoniae regiones, quas tandem haereditario occupavit jure. Quoties et quot notabiliores ab Historicis eorum notantur adventus, tot a rerum ignaris distinctae describuntur nationes. Primum ad has oras sub imperio Valentis anno 375 ex regionibus juxta Tanaim sitis venerunt Hunni, qui occupantes Pannoniam sedem ibidem fixerunt indeque Europaeas regiones expilarunt, tum ante, tum praecipue sub ductu Attilae; hi notanter dicuntur Hunni. Fuisse autem Hunnos veri nominis Hungaros constat inter alia ex eorum lingua. In Chronicis annotata quaedam eorum reperiunter verba, quae ipsissima sunt Hungarica.

Dux Romanorum Dietericus venenata in acie ictus sagitta, cum tamen minime occumberet, Hunni id observantes dixerunt: Halhatatlan Detre, imortalis Dietericus. Caeso Hunnorum duce Kéve, locus sepulturae dictus est a popularibus Keve Háza, domus Keve. Trajectum in Danubio, ubi copias suas transposuerunt in alteram fluminis ripam, appellarunt Kelen-Föld, terram transitus vel exitus. Civitatem aut fortalitium a Buda Attilae fratre aedificatum Buda vára, arcem Budae. Quae omnia ita sunt Hungarica, ut nullae aliae nationes sibi vindicare possint. Similis est vox Hunnivár in historia Jornandis, qui eadem aetate scripsit, ac de filiis Attilae sequentia prodit: „Contigit ut Attilae filii contra Gottos, quasi desertores dominationis suae, velut fugacia mancipia requirentes venirent, ignarisque aliis fratribus super Valemir solum irruerent quos tamen ille quamvis cum paucis excepit, diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium remaneret, quae in fugam versa eas partes Scythiae peteret, quas Danubii amnis fluenta praetermeant, quae ingua sua Hunnivár appellant" [1]).

Conflictus eorum erat circa Albam Graecam, unde se receperunt in Transylvaniam, quae instar arcis ipsis erat. Hujus memoriam retinere creditur Hunyad vára et inde Hunyad vármegye Comitatus Hunyadensis.

[1]) Vide apud Belium in Prodromo pag. 51.

§ II. *Siculi sunt Hungari.* — Hunnos verae Hungaricae fuisse originis locupletissimus testis est natio Siculica dicta, quam Hungaricam esse nemo negare potest. Est vere ea ex reliquiis exercitus Attilani; cum enim inter se discordes facti extenuarentur coacti sunt quasdam Pannoniae partes relinquere, seque in Daciam contrahere, quam semel occupantes semper retinuerunt. Siculi appellati sunt, ab ipsismet, an ab aliis incertum; vox ipsa multis videtur deflexa a sedibus judiciariis, quas dicebant Székhelyek; unde corrupta voce, mutata denominatio in Siculos.

Celebris historicus Georgius Hornius [1]) et alii quam plurimi negant Hunnorum cum Siculis cognationem; verum refutat eos, si aliud deesset quoque argumentum, linguae utriusque nationis identitas.

Coelius Calanus cum aliis antiquioribus Graecis ac Latinis historicis affirmat eorum ex eodem sanguine originem, qui ita suam orditur historiam. „Hunni qui et Avares nunc autem Hungari in ultima Moeotide, quae est palus Scytharum inter glacialem Tanaim et Massagetarum immanes populos, ut perhibent plerique Chronographorum habitaverunt" [2]).

In eandem scribit sententiam Chronicon Bergomense editionis anno 1490. „Hungari, qui et Hunni, gens Scythica, quae superioribus diebus e finibus magno numero egressa fuerat, ut ad consanguineos Ungaros Pannonias incolentes pervenirent, cum eosdem propriis expulissent sedibus et ibidem diu dominati" [3]). Nubem testium qui cupit apud Belium loco citato cernere potest. Aliis nunc pratermissis sine haesitatione affirmare possumus: Hungaros ejusdem cum Hunnis esse originis.

§ III. *Abares in Pannoniam veniunt.* — Caesare Justiniano imperante anno a Christi nativitate 564 ingens Magyarorum turma ex Oriente accessit ad Hunnorum in Europa reliquias, qui dicebantur Abares aut Avares. Causam adventus eorum dedit Evagrius seculi ejus scriptor. „Abari, inquit, sunt Scytharum gens, in plaustris degentium, qui campos ultra Caucasum sitos incolebant. Hi cum a Turcis finitimis suis gravi detrimento affecti essent, relictis sedibus, universi cum uxoribus ac liberis ad Bosporum venerunt. Deinde relictis littoribus Euxini Ponti (ubi multae quidem barbarae habitant gentes, urbes vero et castra ac stationes quaedam a Romanis conditae sunt, cum aut milites veterani, aut coloni ab Imperatoribus eo deducti essent) ulterius progressi sunt, cum omnibus barbaris, qui in itinere occurrerent, depugnantes. Tandem

---

[1]) In Arca Noe, pag. 241.
[2]) Belius in Apparat ad Histor. Hung. p. 89. Otrokotsi in Origin. pag. 330.
[3]) Pag. 172.

vero cum ad ripas Istri pervenissent legatos ad Justinianum miserunt" [1]). Quoniam vero regiones cisdanubianae Imperatori Orientis erant subjectae, ejus nutu poterant ad ea loca penetrare, quod ita Menander coævus scriptor refert: „Electus vero fuit ab ea gente (Abaris scilicet) quidam Candich nomine, qui cum primus legatus ad Imperatorem venisset, dixit: Adesse gentem omnium fortissimam et populosissimam, Abares scilicet, genus hominum invictum et inexpugnabile, qui ejus omnes hostes repellere et funditus extinguere possent. Illius rationibus valde conducere, cum iis armorum societatem facere, et auxiliarios optimos sibi habere et adsciscere, qui tamen non alia conditione erga rempublicam Romanam benevolo futuri erunt animo, quam si donis pretiosis, annuis etiam pensionibus et fertili regione quam inhabitarent, donarentur. Haec Candich Imperatori". Imperator rem omnem ad senatum retulit, pacem non bellum suasit, et donariis demulcendos judicavit. „De ea re Imperator concionem apud Senatum habuit, qui ejus prudentiam et in rebus gerendis vim et acerrimum judicium valde collaudavit. Hoc facto statim Imperator dona ad legatos misit, catenas auro variegatas et lectos et sericas vestes et alia quam plurima quibus leniret animos superbiae et insolentiae plenos. Misit quoque legatum Valentinum, cui praecepit ut gentem Abarorum Romanis societate jungeret et efficeret ut suos inimicos bello aggrederentur" [2]), quod et fecerunt. Subsequentibus tandem annis etiam absque nutu et conniventia provincias Imperatori subjectas occuparunt. Rex eorum sedem fixit Sirmii. In Pannonia autem permanserunt ad tempora usque Caroli Magni, qui eos bello octennali nimium quantum debilitavit ac ferme exstinxit.

§ IV. *Abares sunt Magyari.* — Abares genuinos fuisse Magyaros ac ejusdem cum Hunnis originis, insulse satis negant recentiores quidam scriptores: affirmant recte antiqui. Theophylactus Simocatta ita de iis: „Justiniano Augusto imperium obtinente ex hisce gentibus Vár et Chunni exigua pars a primaevo illo genere profugiens in Europam se intulit, qui se Abares, et principem suum Chaganum honoris causa nominarunt" [3]). Menander Abares expresse Hunnos vocat. Menandro inter Latinos coævus Gregorius Turonensis tanquam proprio et notissimo eos nomine appellat Chunos, vel Hunnos. Rex, inquit, Chunorum multa munera regi Sigiberto dedit, vocabatur autem Gaganus, omnes enim reges gentis illius hoc appellantur nomine. Theophanes Unnos dicit ac subjicit: Abaros quidam vocant. Landulphus sagax: Hunnos, quos Avares vocant. Fredegarius: in Avarorum, cognomento Chunorum regno in Pannonia sur-

---

[1]) Hist. Eccl. Lib. V Cap. 1. Otrokotsi in Orig. pag. 174.
[2]) In Excerptis Legat. apud Otrokots. pag. 124.
[3]) Lib. VII apud Otrok. p. 163.

rexit vehemens contentio. Conferri haec uberius possunt apud Otrokotsium in Originibus Hungaricis [1]). Pariter apud Belium in Notis ad Juvenci Coelii Calani Attilam [2]). Sunt scriptores propemodum infiniti, iique notae optimae, qui Hunnos et Avares gentem faciunt eandem; ita ut qui hoc neget eopse imperitum Historiae Hungaricae seipsum manifestissime prodat.

§ V. *Hungari in Europam venientes.* — Gens Magyarorum tertia etiam vice fertiles Pannoniae occupavit oras anno Domini octingentesimo octogesimo octavo secundum subductos accuratius Chronologiae calculos [3]). Ex eo tempore qui ante dicebantur Hunni vel Abares dicti sunt Hungari.

Fuisse enim Hungaros consobrinum Hunnis ac Avaribus populum, nemo nisi rerum ignarus negaverit. Conferri interim Fr. Otrokotsi ac M. Belius merentur in locis superius memoratis.

CAPUT TERTIUM.

De Regionibus ac Sedibus Hungarorum priusquam Stationem figerent in Pannonia.

§ I. *Sedes Hungarorum.* — Majores nostros e septemtrionalibus egressos oris aut regionibus Scythicis venisse in has plagas traditione circumfertur vulgari. Verum provincia ex qua praecise essent oriundi raro determinatur. Non exigui quoque est laboris ostendere eam regionem, quamvis si fieri id posset multum ad Hungaricae illustrationem Historiae facere videretur. Qui curiose antiquorum monumenta confert, apparet ex iis Hunnos Majores nostros orientales Caspii maris incoluisse oras ac septemtrionales et tractus late patentes ad Jaxarten, Obium et Rha seu Volga fluvios [4]). Jornandes eam Scythiam satis superque describit, cum ultra Mare Caspium ponit versus montem Imaum. Inquietati ab orientalibus tandem populis, sedibus his paulatim relictis ad septemtrionales ac occidentales plagas secesserunt, regionesque circa Tanaim cum tempore ad Pontum usque Euxinum sua multitudine inundarunt. Invitante mox eos soli fer-

[1]) Pag. 186.
[2]) Vide in Apparat. ad Histor. Hung. Dec. 1 Mon. 111 pag. 89.
[3]) Bell in Prodromo, pag. 60.
[4]) Conf. Behambe in Notitia Hung. pag. 96 et citatos ab ipso Auctores.

tilitate, et occasione a negligentia Imperatorum sumpta, qui eas incuriose per Legatos administrabant oras, progressi sunt ad Danubii usque ostia, Romani imperii terminos. Cl. Ptolemaeus celebris seculi secundi geographus huc jam eos collocare videtur, cum dicit: „Inter Bastarnas autem et Roxolanos sunt Chuni" [1]); per Chunos intelligit Hunnos. Meminerat eorum ante ipsum Plinius, qui ultra Mare Caspium in interiori et orientali eos collocat Scythia. „Inde a regione Attacororum, inquit, sunt gentes Hunni et Tochari, et jam Indorum Casiri introrsum ad Scythas versi" [2]). Rara admodum apud historicos, ante quartum a Christo nato seculum, mentio est Hunnorum: Constantinum tamen Magnum legimus se ab Hunnis appellasse Hunnicum, quos partim armis, partim, referente Eusebio, prudenter institutis Legationibus placando ab inculta ac fera vita ad humanam ac civilem traduxit [3]), quod in initio ejusdem seculi contigit.

§ II. *Hunni in Europa inclarescunt.* — Notior gens Hunnorum in Europa evasit circa annum a Salvatoris nativitate 370. Anno tandem 376 ea dominatum ac potentiam extendit ad Gothiam, quae modernam Moldaviam, Valachiam ac etiam Daciam Mediterraneam complectebatur. Refert Orosius seculi quinti scriptor de Hunnis: „Tertio decimo anno imperii Valentis, hoc est, parvo tempore, posteaquam Valens per totum Orientem Ecclesiarum lacerationes sanctorumque caedes egerat, radix illa miseriarum nostrarum copiosissimos simul frutices germinavit. Siquidem gens Hunnorum diu in accessis seclusa montibus repentina rabie percita, exarsit in Gothos eosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes a Valente sine ulla foederis pactione suscepti, ne arma quidem, quo tutius barbaris crederetur, tradidere Romanis. Deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi Ducis, fame et injuriis adacti, in arma surgentes, victo Valentis exercitu per Thraciam sese miscentes, simul omnia caedibus, incendiis, rapinisque foedarunt" [4]). In eandem sententiam Paulus Diaconus loquitur: „Gratianus cum animadvertisset Thraciam Daciamque tanquam genitales terras possidentibus Gotthis Thajfalisque atque omni pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis extremum omni Romano imperio periculum instare, relicta Italia in Pannoniam venit" [5]).

§ III. *Hunnorum feritas ac bella.* — Hunni tam in Oriente quam vero in Occidente circa annum Domini 395 bellum gerebant. Majori

---

[1]) Geograp. Lib. III, Cap. 5.
[2]) Histor. Nat. Lib. VI, Cap. 17 Conf. Otrokotsi orig. pag. 75.
[3]) In vita Const. Lib. III Cap. 5.
[4]) Lib. Histor. VII in Gestis Valentis.
[5]) Histor. Miscella Lib. XII.

tamen potentia ac viribus Armeniam, Syriam, ac Palestinam depopulabantur. Ita Historiae Miscellae auctor: „Milites Ruffinum, praefectum imperatoris Arcadii, peremerunt. Erat enim suspectus, quasi tyrannidem meditaretur assumere. Dicebatur autem, quia Hunnos ipse in Romanorum provincias evocasset, qui tunc Armeniam et partes Orientis valde vastabant" [1]). Queritur de iis Hieronymus Bethlehemi tunc incola (Cujus annus emortualis est annus D. 420) gravissime. „Ecce subito, discurrentibus nunciis Oriens totus intremuit, ab ultima Moeotide inter glacialem Tanaim et Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quae pernicibus equis huc illucque volitantia caedis pariter ac terroris cuncta complerent. Aberat tunc Romanus exercitus et bellis civilibus in Italia tenebatur. Hanc gentem Herodotus refert sub Dario rege Medorum viginti annis orientem tenuisse captivum, et ab Aegyptiis atque Aetiopibus annuum exegisse vectigal. Abigat Jesus ab orbe Romano tales ultra bestias. Insperati ubique aderant et famam celeritate vincentes non religioni, non dignitatibus, non aetati parcebant, non vagientis miserebantur infantiae. Cogebantur mori, qui nondum vivere caeperant, et nescientes malum suum, inter hostium manus ac tela ridebant. Consonus inter omnes rumor, petere eos Hierosolymam, et ob nimiam auri cupididatem ad hanc urbem percurrere. Muri neglecti pacis incuria sarciebantur. Antiochia obsidebatur, Tyrus se volens a terra abrumpere insulam quaerebat antiquam [2])". Haec eadem doctor ille antiquus continuat in Epitaphio Nepotiani [3]) Epistola ad Heliodorum; ubi ita: „Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achajam, Epiros, Dalmaticam, cunctasque Pannonas Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronae, quot virgines Dei, et ingenua nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio. Capti Episcopi, interfecti Presbyteri et diversorum officia Clericorum. Subversae Ecclesiae, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effosae reliquiae, ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago. Romanus orbis ruit, et tamen cervix nostra erecta non flectitur".

Philostorgius in eundem sensum Hunnorum acta factaque describit, qui etsi quosdam in descriptione geographica committat errores, rem tamen accurate refert. Ita ille: „Scythae, qui trans Istrum positi sunt

---

[1]) Lib. XIII.
[2]) Epistol. Lib. III ep. X pag. in 719.
[3]) Lib. II Epist. XXII pag. 494.

ab Hunnis bello appetiti, et sedibus suis expulsi in Romanorum ditionem specie amicitiae trajecerunt". Ille idem: „Hunni, qui Scythiam, quae trans Istrum sita est, occupaverant, prius ac devastaverant, postea amnem gelu constrictum trajicientes, in Romanorum ditionem irruperunt, et per universam Thraciam diffusi totam Europam depopulati sunt. Hunni autem orientales trajecto amne Tanai, in Orientis provincias effusi, per majorem Armeniam, in regionem, quae Melitene dicitur, irruerunt. Exinde Euphratensem aggressi, ad Coelesyriam usque penetrarunt et, percussa Cilicia, incredibilem hominum cædem perpetrarunt [1])". Probant satis haec testimonia Hunnorum bella tam in Oriente, quam vero in Occidente.

§ IV. *Hunnorum foedus cum Romanis.* — Versi tandem plenis ad occidentales populos viribus Hunni regiones quasdam a Romanis occupatas retinuerunt, foedus quale-quale cum iisdem paciscentes. Anno autem D. 405 auxiliares Romanis submiserunt copias ducibus Saros et Uldin adversus Gothos Romani imperii hostes, quod patet ex Orosii verbis: „Conceduntur quidem adversus immanissimum illum hostem, Rhadagaisum, aliorum hostium cum copiis suis inclinati ad auxilium animi. Adsunt Uldin et Saros Hunnorum et Gothorum (qui cum Hunnis se junxerant) duces praesidio Romanorum [2])". Paulus Diaconus clarius adhuc exprimit: „Conducuntur a Romanis adversus Rhadagaisum Gothorum regem duo Pagani duces, Sarus et Uldin Hunnorum [3])". Ex pristino remiserant furore Hunni, cum eorum animi inclinarent ad Christianorum auxilia.

§ V. *Attila extendit potentiam Hungarorum. — Filii Attilae succedunt.* — Deinde Attila in regem Hunnorum circa annum Dom. 428 electo, dilatata ac longe lateque extensa est Magyarorum potentia aeque in Orientem, quam in Occidentem. Stationem pro Hunnis elegit Daciam utramque ac Pannoniam; Regiam vero suam fixit in Sicambria, ubi erexit arcem Budavára de ejus fratre Buda ab Hungaris ita dictam, Germanis vero Ettelburg ab Ettel seu Attila. Morte naturali sublatus Attila anno D. 454 testante id rerum gestarum serie; quae ejus mors communi fere excepta est gaudio Christianorum [4]). Post fata gentium terroris Attilae, ambo ejus filii Dengezichus et Ernachus (non vero Tsaba et Aladár, quorum mentio nulla apud priscos rerum gestarum scriptores, undecunque recentiores hauserint) in paterna successerunt regna ac imperitabant in Pannonia vicinisque regionibus. Tradit enim Priscus Sophista, qui apud

---

[1]) Histor. Eccles. Lib. IX et XI.
[2]) Lib. VII.
[3]) In Historia Miscella. Lib. XIII.
[4]) Conferri de morte Attilae meretur Otrok. in Originib. pag. 131—133.

Attilam legatione functus erat, Dengezichum ac Ernachum legatos Constantinopolim ad Imperatorem Leonem expediisse, quos cum Imperator insolenter tractasset nec jura gentium in iis observasset, Dengezichus bello adoriri Romanos conabatur; contrarius autem ejus conatibus erat Ernachus, hanc ob rationem, quoniam maxima Hunnorum pars aberat in Oriente versus Mare Caspium ad subjugandas rebelles eas nationes [1]). Non paruit sanioribus Ernachi consiliis Dengezichus, qui, illato Romanis bello, ipse quoque in acie anno D. 467 cecidit; cujus caput Bizantii in foro expositum ac civibus ostensum est. Marcellinus Comes ita scribit: „His consulibus (Zenone scil. et Marciano, hoc est ad annum D. circiter 467) caput Denficis, Hunnorum Regis, Attilae filii Constantinopolim allatum est" [2]). Dominabantur adhuc sub Zenone imperatore circa annum D. 474 apud Pannonios posteri Attilae; queritur enim Evagrius de eorum depopulationibus. Verba ejus sunt: „qui ejus (Zenonis nempe) imperio parebant tam in orientis quam in occidentis partibus, gravissima perpessi sunt mala, hinc Saracenis cuncta vastantibus, illinc Hunnis, qui olim Massagetae dicebantur, in Thracias irrumpentibus et Istrum trajicientibus nemine obsistente" [3]). Incolebant adhuc quasdam Pannoniae partes.

§ VI. *Scinduntur in partes Hunni.* — Renuentes subsequentibus temporibus unius imperium Hunni, in varios abierunt Principatus, Familias et Generationes. Ita de illis Amnianus Marcellinus: „Aguntur autem nulla severitate regali, sed tumultuario optimatum ductu contenti perrumpunt, quicquid inciderit" [4]), unde quoque eorum potentia valde est imminuta. Pars enim terras transdanubianas circa Savam Dravamque fluvios et circa lacum Balatonem retinuerunt, pars montes alpesque Dacicas insederunt; Imperatori pars orientis sese submiserunt; longe vero maxima ad Tanaim retrocesserunt, indeque versus Mare Caspium paulatim sedem quaesierunt [5]). Manifesta haec sunt ex actis Justiniani imperatoris, qui infestatus circa annum 550 ab Hunnis Pannoniam incolentibus in id omni nisu incubuit, ut Hunnos Tanaim adhabitantes precibus ac muneribus devinctos in sui evocaret auxilium. Sandilchus eorum rex, etsi amicitiam Romanorum optaret, tamen impium ratus consanguineis Hunnis bellum inferre eosque delere, itaque assentiri renuit. Menander ita haec enarrat: „Hunni qui Zabergae parebant, cum longe ab imperii Romani finibus fuissent remoti et Justinianus suspicaretur Cotraguros iterum Thraciam populationibus vexatum venturos, totus in Sandilchum

---

[1]) In Excerptis Prisc. Rhetoris.
[2]) In Chronico.
[3]) Hist. Eccl. Lib. III. Cap. II. Conferatur Otrokots, pag. 139.
[4]) Apud Belium in Prodromo pag. 43, § 16.
[5]) Otrokots. in Origin. p. 139.

Utigurorum ducem incubuit, quem frequentibus legationibus hortari non destitit, ut Zabergam bello lacesseret. Proponebat autem Imperator per legatos, quos ad Sandilchum mittebat, si Cotraguros debellasset, ad ipsum annuas pecuniarum praestationes, quæ quotannis Zabergae pendebantur, redituras esse. Itaque Sandilchus, tametsi necessitudinem sibi cum Romanis esse cuperet, Imperatori significavit minime sibi pium aut decens fore, omnes suos contribules ad internecionem usque delere. Per haec, inquiebat, hoc assequeremur, ne superessent, qui eadem lingua atque nos uterentur, eadem habitatione, eodem vestitu atque eadem vivendi ratione. Denique hi quoque sunt nostri consanguinei, quamvis aliis ducibus pareant" [1]). Indicant haec ea aetate Hunnos seu Magyaros Danubium adhuc adhabitasse. Clare satis innuit Jornandes, qui circa medium seculi sexti scripsit ac delineavit Hunnorum sedes, qui ita: „Hunnugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium mardurinarum venit commercium, quos tantorum virorum formidavit audacia. Quorum mansionem primum esse in Scythiae solo, juxta paludem Moeotidem, secundo in Moesia Thraciaque et Dacia, tertio supra mare Ponticum; rursus in Scythia legimus habitasse" [2]). Clara satis haec sunt ac manifesta.

§ VII. *Abares Hunni veniunt in Europam.* — Imperante Justiniano ejus nominis primo, anno post Christum natum 564, aliae eaeque numerosissimae gentis Hunnicae generationes venerunt in Europam; quae in regionibus cisdanubianis sedem figentes Hunnorum depressas et fere oppressas erexerunt reliquias eorumque potentiam latissime extenderunt. Has aevi illius scriptores dixerunt Abares, Reges vero eorum Caganos. De his Carion in Chronico: „Sub Justiniano reversi Hunni cum sociis seu Avaris, seu Juvaris, quorum vetus patria ultra Rha fluvium et supra Caspium mare versus ortum et septemtrionem, veteri nomine adhuc hodie nota est, Pannoniam denuo subegerunt, quam tenuerunt ad Caroli Magni usque tempora" [3]). Imperabant hi in Pannonia, Sclavonia, Bosnia, quae regna Justinus Secundus cum retinere non posset ipsis attribuit [4]). Aliquot annis bello supersederunt, pacemque cum Constantinopolitanis coluerunt. Verum anno 620 bellum cum Heraclio orsi, incautum in insidias pertraxerunt, regiones ejus ad Bizantii moenia usque depraedati sunt, in reditu captivos utriusque sexus ad ducenta septuaginta millia secum abducentes. Describit Nicephorus C. his verbis: „Abarum Princeps Legatos de pace ad Heraclium misit, quibus magnopere gavisus donis illum remuneratus est, ad eumque vicissim Legatos destinat Athanasium

---

[1]) Men. de Legatione Sua.
[2]) De Rebus Geticis.
[3]) Lib. IV Theoph. Simocatta Hist. Lib. VII Cap. 8.
[4]) Spanhemius in Histor. Eccl. pag. 1160.

Patricium et Cosniam Quaestorem, qui voluntatem suam renunciarent. At vero Abarus amicitiam tantum simulavit: nam cum Imperator Principi Abarum venienti foederis gratia ad Heracleam urbem, uti inter eos convenerat, occurrere decrevisset et praemisso scenico apparatu, (cum equestre certamen ad eum suscipiendum pararet, ac insuper splendidam ei vestem et ipsius Comitibus ferret) ipse Selymbriam pervenisset, triduo deinde Chaganus cum ingenti Abarorum multitudine Heracleam contendit. Ibi parte suorum delecta, quicquid roboris erat, per saltus ac sylvas, quae longis muris imminent, clam dissipari ac per condensa montium pergere jubet, ut Imperatore a tergo circumvento medium ipsum, ejusque comitatum omnem in potestatem haberent. Sensit haec Heraclius Selymbriae et inopinata re nec mediocriter perculsus purpuram exuit, ac vili detritoque habitu, quo privatus esse videretur indutus et coronam regiam brachio alligans, statim indecore se in fugam conjicit, vixque fuga Bizantium est elapsus. Abari fugientes animosius insecuti ad campum usque qui ex adverso urbis est, nomine Septimus, ibi castra posuerunt. Inde ad Barnyssi fluminis pontem usque dispersi, circumjecta loca populabantur et per Romanorum caedes impune grassabantur. Inter caetera Imperatoria vestis in potestatem hostium redacta caeterique illi quos paraverant amictus, cum scenico omni instrumento, et cum iis, qui ea perferebant. Tandem cum infinita captivorum multitudine ad suos limites regressi sunt. Compertum est ex captivorum quorumdam qui aufugerant constanti relatione, ad ducenta et septuaginta millia captorum utriusque sexus numerum pervenisse [1]). Ita documento Heraclius fuit hosti blandienti fidem non esse habendam.

§ VIII. *Hungari ex Pannonia seculo octavo infestant alios. — Bellum Caroli M. cum Abaribus.* — Pannoniam seculo octavo Hungaros inhabitasse indeque vicinas regiones infestis armis inquietasse palam est. Cum enim Bonifacius Bojorum Apostolus Christianam Thurringis persuadere vellet fidem, hanc ipsi quaestionem proposuerunt: quid boni Christus iis praestabit? an erunt immunes a servitute Hungarorum? Hoc si fiat se credituros, referente ex Chronico Isenacensi Spanhemio [2]). Abares tandem circa exitum seculi octavi post octennale bellum fracti, armis potentissime dominantis Caroli Magni, qui totius fere Galliae ac Germaniae vires in eos convertit, post ingentes illatas et acceptas clades subegit, eorumque ingentes hinc inde diu congestas divitias depraedatus est. Rem ita tradit Sigebertus Gemblacensis ad annum 804 Christi: „Avari qui et Hunni longo contra Francos bello perdomiti, a fortitudine et potentia sunt diminuti, ut qui alios ultra solebant lacessere, jam nec se

[1]) Timon in Imagine Hung. Antiq. Lib. II Cap. X. Nicephor. in Hist.
[2]) In Histor. pag. 1258.

ab aliis valeant tueri; quia in hoc bello omnis eorum gloria et nobilitas periit"[1]). Bellum hoc Eginhardus Caroli Magni tunc secretarius cum circumstantiis descripsit hunc in modum: „Maximum omnium, quae ab illo gesta sunt, bellorum praeter Saxonicum huic bello succedit, illud videlicet, quod contra Avares seu Hunnos susceptum est, quod ille et animosius quam caetera et longe majori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam expeditionem fecit. Caeteras filio suo Pipino ac Praefectis Provinciarum Comitibus etiam atque Legatis perficiendas commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot praelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, et locus, in quo Regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri et argenti in Regia repertum, tot spolia in praeliis sublata, ut merito credi posset, hoc Francos Hunnis juste eripuisse, quod Hunni prius aliis gentibus injuste eripuerunt[2])". Fusius Aventinus bellum illud persequitur in Annalibus Bojorum a rerum cupidis ibidem revolvendum[3]). Reliquiae Hunno-Abarum partim versus Albam Graecam, partim ad Tibiscum et partes Ultra Sylvanas retro cesserunt ac sese contraxerunt; lapsu temporis rursum cum numero vires resumpserunt.

§ IX. *Arnulphus evocat Hungaros in auxilium.* — Imperator occidentis Arnulphus anno D. 888 cum difficile bellum ac gravissimum gereret cum Moravis ac Sclavis, qui tunc potenter in Pannonia dominabantur ac Abarum reliquias oppresserant, evocat Hunnos maris Euxini et Tanais accolas in auxilium. Eodem tempore Leo philosophus Orientis imperator expetebat quoque eorum subsidium. Utrisque suppetias tulerunt; qua occasione Pannoniam non tantum occuparunt, verum etiam occupatam retinuerunt, unde Europaeos variis afflixerunt calamitatibus, donec misericordia Dei ad Christi eos adduxit fidem. Luitprandus Ticinensis, qui floruit circa annum 946 fuse Hungarorum describit adventum. Verba ejus haec sunt: „Arnulphus earum, quae sub Arcturo sunt gentium, rex fortissimus, quum Zwentebaldum, Maravanorum ducem, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret, depulsis his, pro dolor! munitissimis interpositionibus, quas vulgo clusas nominari praediximus, Hungarorum gentem

---

[1]) In Chronico.
[2]) In Vita Caroli Magni.
[3]) Lib. IV.

cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, caedis et omnium rapinarum solummodo avidam, in auxilium convocat, si tamen auxilium dici potest, quod paulo post eo moriente tum genti suae, tum caeteris in meridie occasuque degentibus nationibus grave periculum, imo exordium fuit. Quid igitur? Zwentebaldus vincitur, subjugatur, fit tributarius, sed Domino solus. O caecam Arnulphi regis regnandi cupiditatem! o infelicem amarumque diem! Unius homuncionis dejectio fit totius Europae contritio. Quot mulieribus viduitates, patribus orbitates, virginibus corruptiones, sacerdotibus populisque Dei captivitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines caeca ambitio paras. Devicto Zwentebaldo Maravanorum duce Arnulphus pace habita regno potitur. Hungari interim observato exitu contemplatique regionem cordibus malum, quod post modum in propatulo apparuit, machinabantur. Postquam vitalis calor Arnulphi regis membra deserens corpus reddidit exanime, ejus filius, Ludovicus, rex cunctis a populis ordinatur. Tanti denique casus viri vicinos Hungaros, sicut nec in toto orbe degentes, latere non potuit. Quid igitur? Primo mortis hujus natique ejus ordinationis anno, permagno collecto exercitu Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo rex Arnulphus subdiderat, sibi vindicant, Bojarrorum etiam fines occupant, castra diruunt, Ecclesias consumunt, populos jugulant, et ut magis magisque timeantur interfectorum se sanguine potant etc." [1]). Similia habet Rhegino Abbas Prumiensis, Aventinus in Annalibus Bojorum, Annales Fuldenses, quorum testimonia videri possunt apud Fr. Otrokotsi in Originibus Hungaricis [2]).

CAPUT QUARTUM.

De diis Hungarorum in Gentilismo.

§ I. *Superstitio Deos fingit.* — Superstitio hominum sine numero produxit Deorum multitudinem in mundo. Jam Augustinus aliquot Deorum millia in confusionem Gentilium enumeraverat; quos omnes caecitas, barbaries et maxima efformant hominum superstitio. Menti enim humanae ingenitum est esse Deum Eumque colendum. Haec autem Deum colendi et quaerendi proclivitas absque lumine salutaris doctrinae defervescit in

---

1) Hist. de rebus Europ. Lib. I Cap. V, Lib. II Cap. I.
2) Lib. I Cap. VI. pag. 247 - 260.

superstitionem. Superstitio vero omnia in Deum mirabili metamorphosi transmutat, quaecunque desiderata habet. Prout de Graecis traditur: Quicquid in natura mirabile ac jucundum divino id ipsos cultu affecisse.

Gentes verbum Dei scriptum non habentes iis erant immersae superstitionum tenebris, ut in coelo omnes ejus exercitus, solem, lunam ac stellas, tonitrua ac fulgetra, in terris ignem, arbores, ligna, lapides, morbos et quid non, pro Diis habuerunt et adorarunt[1]).

§ II. *Hungarorum in Gentilismo Dii ignoti.* — Majores nostri densissimis aeque erant immersi ignorantiae tenebris, servientes iis qui natura Dii non erant et creaturas pro Creatore adorabant. Densa caligine sepulta jacent, sicut res eorum gestae maximam in partem, ita quoque Deorum quos coluerunt nomina, et modus ratioque eos colendi, quae etsi ignorentur, inficiari tamen non potest apud eos Deorum cultum extitisse. In Juhria, ubi ex quorundam sententia quaedam sunt Hungarorum Tribus, et vicinis regionibus ita Deorum cultus describitur: „Colunt solem, lunam, stellas, bestias sylvarum, et quod eis occurrit. In his regionibus non arant, non seminant, panes non habent, nec pecunias, feris sylvarum quae apud eos abundant vescuntur, et non nisi aquam bibunt; morantur in densis sylvis in tuguriis ex virgultis factis. Et quia sylvae illas terras contexerunt, homines sylvestres et ferinos effecerunt; sunt velut bestiae ratione utentes. Vestimenta de lana non habent, pellibus teguntur, rude et grosse consuentes varias pelles in simul ex lupo, cervo, urso, sabellis, et scismis et caeteris, prout sors obtulerit"[2]). Similia de Asiaticis Hungaris recentiores relationes nos docent.

§ III. *Mars Hungarorum Deus.* — Praecipuus Hungarorum Deus fuit Mars, cujus nomen eorum lingua peculiare quod fuerit hodie tuto ignoramus. Simulachrum aliud non habuit apud eos nisi gladium humi fixum, quo externo colebatur symbolo. Multa apud scriptores de gladio Martis extant. Juvencus Coelius Calanus haec habet: „Apud quem, Regem nempe Scytharum, invenit Attila gladium Martis, qui fingitur Deus fuisse bellorum eo quod truculenter bellator Scythas perdomuit, et apud eos regnasse perhibetur. Cujus gladii munere gratulatus, ut erat magnanimus, quasi sibi totius orbis offeretur imperium, Martis gladium prae se, quocunque iter arripuisset, ferens"[3]). Gladius ille Martis fuit simulachrum, quod teste Herodoto uni et soli Marti solebant erigere. Qui ita loquitur: sub hoc aggestu acinaces ferreus qui singulis, cui vetustus est, statuitur, idque est Martis simulacrum cui annuas hostias offerunt.

---

[1]) Conferatur de his J. P. Wossius de Theologia Gentilium.

[2]) In Descriptione Moscoviae pag. 209.

[3]) In Attila Cap. XIII.

Deperditum tandem lapsu temporis et multis seculis haud visum fuisse ex Prisci Sophistae narratione constat. „Neque parva, inquit, illi (Attilae nempe) potentiae accessio contigit ex eo, quod Martis ensis erat detectus. Hic tanquam sacer et Deo bellorum praesidi dedicatus a Scytharum regibus olim colebatur, et multis antea seculis non visus bovis ministerio fuerat tunc temporis erutus". Qua autem occasione repertus fuerit, Jornandes narrat ita: Quum pastor quidam gregis unam buculam conspiceret claudicantem nec causam tanti vulneris inveniret, sollicitus vestigia cruoris insequitur tandemque venit ad gladium, quem depascens herbas bucula incaute calcaverat effossumque protinus ad Attilam defert. Quo munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitrabatur se totius mundi principem constitutum et per Martis gladium potestatem sibi concessam esse bellorum.

Ensem hunc sacrum ab Hunnis ad Abares et ab his ad Hungaros transmissum et utrinque cultum fuisse, ex prisca eorum religione elucet. Chaganus enim rex Abarum fidem Romanis stipulaturus per ensem, ritu Abarico, jusjurandum praestitit. Ense educto et in altum sublato, sibi et Abarorum genti dira est imprecatus, si quid mali comminisceretur Romanis. Haud secus Hungari, qui quoties expeditionem populi indicebant toties circumlato per castra ense cruore asperso Vox populi, vox Dei clamabant. Eum intervallo temporis, ut M. Schafnaburgensis refert, Maria Regina Ungarorum, mater Salomonis Regis, Duci Bojoariorum Ottoni dono dederat, cum eo suggerente atque annitente rex filium ejus in regnum paternum restituisset. Cumque eum Dux Otto, filio Dedi Marchionis, Dedi juniori in argumentum pignusque individuae dilectionis ad tempus praestitisset, illo ut prædictum est perempto, regi et per regem Lupoldo Duci de Merspurg casu obvenerat, quo etiam ruentem de equo transfossum scribit[1]). Modus colendi erat: Gladium humi fixum summa cum veneratione circumeuntes Martem bellorum directorem anxie invocabant[2]).

§ IV. *Dei Scytharum.* — Pauca eaque fabulosa sunt, quae de Diis Scytharum ad nos pervenerunt, quorum si Deos colendi ratio palam nobis esset, Hunnorum quoque religio in apertam collocaretur lucem. Herodotus de Scytharum diis haec habet: „Deos hos solos propitiantur Scythae, Vestam quidem maxime, deinde Jovem ac Tellurem, existimantes Tellurem Jovis conjugem esse, post hos Apollinem et coelestem Venerem et Martem et Herculem. Quos quidem omnes Scythae Deos esse lege approbarunt. Sed qui regii Scythae vocantur etiam Neptuno sacrificant. Nominantur autem Scythice Vesta Tabiti; Jupiter

---

[1]) Vide Notas Belii ad Juvenci CCD Attilam Cap. XIII. pag. 120. Otrokotsi in Origin. pag. 50.
[2]) Belius in Prodromo pag. 49, 50.

vero mea quidem sententia rectissime vocatur Papaeus, Tellus autem Apia, Apollo vero Oetosyrus, coelestis autem Venus Artimpasa, Neptunus vero Thamimasades. Simulacra autem et aras et delubra non putant facienda praeterquam Marti"[1]). Vestam Herodotus vocat Ἱστίην Istien, quod proximum est in enunciatione Hungarico Isten. Tellurem Scythice Apia videtur quoque Hungaricum, Parentem nempe omnium rerum designans. Gentes fere omnes praecipue vero orientales Deum, qui est ignis ardens adversus peccatores, in symbolo ignis peculiariter vero solis adorarunt, Solis rursus simulacrum in igne exhibuerunt. Nimrodum ajunt primum Ignem colere jussisse, quem alii Ninum, alii dicunt Belum. Chronici Alexandrini auctor ita scribit: „Nimrodo cognomen Nini imposuerunt: hic pro Deo Ignem colere docuit. Unde primum eum, post diluvium, Assyrii regem fecere, Nini cognomine imposito"[2]). Adorabant Ignem aut verius ignis symbolo Deum Assyrii, Persae, Chaldaei, qui vernacula sua ignem dicebant Es, Esta, Is, Iste, unde quoque vox Hungarica Isten Deus originem ex mente quorundam sumpserit[3]), quam vocem facti quoque Christiani retinuerunt. Affirmare equidem id licet ingeniose, at unde probent saltem verosimiliter non habent. Estia sive Vesta summa apud Romanos colebatur religione in Ignis perpetui symbolo uti Ovidius testis est. Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam. Cura hujus flammae seu ignis perpetui virginibus commissa erat sacerdotibus, ne unquam extingueretur, quod piaculum erat morte negligentis piandum.

§ V. *Ignem coelestem colunt Hungari.* — Ignem coelestem pro Numine antiquos coluisse Hungaros, dubitari non potest, affirmante id Menandro antiquioris aevi scriptore Graeco, qui tradit Regem Hunno-Abarum Deum Ignem ultorem invocasse si pactae violator esse vellet fidei. Verba Menandri haec sunt: „Sethus Singidone praefectus ad Chaganum misit, qui ex ipso quaereret, quoniam pax et amicitia illi cum Romanis esset: quid sibi vellet quod ad Savum venisset, quem si ponte jungere, inconsulto Imperatore, tentaret, non negligeret. Ille non ut quicquam mali Romanis machinaretur pontem struere ait, sed ut contra Sclavinos expeditionem susciperet. Veriti Romani, qui Singidone erant, Chaganum ad jusjurandum provocarunt. Itaque confestim Abarico ritu jusjurandum ad hunc modum praestitit. Ense educto et in altum sublato, sibi et Abarorum Genti dira est imprecatus, si quid mali comminisceretur Romanis in eo quod pontem super Savo flumine facere susceperat; ut ipse et universa gens

[1]) In Melpomene Lib. IV.
[2]) Apud Woss. de Origine Idololat. Lib. II Cap. LXIV.
[3]) Otrokotsi in Origin. pag. 290.

Abarorum gladio consumeretur; Coelum ex alto ipsis et Deus Ignis qui in Coelo est irrueret; sylvae et montes casu et ruina illos obruerent, Savus fluvius superscaturiens eos submergeret. Haec ubi barbarico ritu jurasset Chaganus, nunc ego, inquit, jusjurandum Romanorum volo jurare. Tum quaesivit ex ipsis quid esset, quod sanctum et religiosum ducerent, quod jurantes si fallerent, Dei iram minime evitaturos crederent. Statim igitur is, qui in Singidone urbe summam sacrorum potestatem habebant, Sancta Biblia per eos, qui in promptu nunciata perferebant, protulit. Et ille quidem occultans ea, quae mente volvebat, multo cum tremore et magna cum reverentia prae se ferens, ea suscipere, procedit e cathedra, tum alacri et prompto animo in genua provolutus: Juro, inquit, secundum loquentem in verba, quae habentur in sacris Dei chartis, me in nullo eorum, quae prolata sunt mentiri et fallere"[1]). Mentio est in hoc juramento Dei Ignis in Coelo existentis. Quid autem eo indigitet, an Solem? quod mihi placet: An vero Fulmina ac Fulgetra? non satis liquet. Id certum est, Fulmen quoque loco Numinis quasdam gentes adorasse, uti de Moscovitis et Litvanis refert Wossius[2]).

VI. *Dea Rasdi.* — Memoratur Dea quædam apud Hungaros Rásdi, cujus superstitionis exercendae locus fuerit Várasd civitas ab eadem sic dicta. Meminit ejus Mag. Thurótzius[3]) qui ita: „Primus autem inter Hungaros nomine Vatha de Castro Belus dedicavit se daemoniis, radens caput suum et cincinnos dimittens sibi per tres partes paganorum, cujus filius nomine Janus, multo post modum tempore ritum patris sequendo, congregavit ad se multos magos et pythonissas et aruspices, per quorum incantationes valde gratiosus erat apud dominos. De multis autem Deabus suis una nomine Rásdi capta fuit a Christianissimo rege Bela et tam diu in carcere fuit reclusa, donec recomederet pedes proprios ibidemque moreretur." Rasdi hanc Deam post Thurotzium Wossius appellat[4]), at rectius Bonfinius[5]); Prae caeteris incantatricem praeveneratus est, quam Varásoló appellabant, quae suis deliramentis ac carminibus a vera fide in avitas superstitiones abducere conabatur igiturque incarcerata ac fame perire jussa est. Vox Varásolni incantare, et Varásló incantatrix, ac Varáslás incantatio, eodem sensu adhucdum apud Hungaros superest. Imo vero apud ignaros quosdam etiam superstitio, qua sibi et aliis arte diabolica persuasi sunt. Qui etsi nomine Christiani revera ipsi sunt paganismi tenebris immersi.

---

[1]) Men. de Legatione, pag. 127.
[2]) Lib. III de Idololatria, pag. 767.
[3]) In Chronico, Part. II, Cap. XXXIX, pag. 46.
[4]) De Idololatria, Libr. III pag. 807.
[5]) Rer. Hung. Decad. II. Lib. II pag. 223.

§ VII. *Oblationes ad Fontes.* — Extat in Decretis s. Ladislai primi Hungariae Regis Capitulum: Quicunque ritu gentilium juxta puteos sacrificaverint, vel ad arbores et fontes et lapides obtulerint, reatum suum bove luant[1]). Ex his videtur illum apud gentiles Hungaros viguisse ritum, quo ad Fontes aquarum divina celebrarent et sacra peragerent sua. Faciebant autem ob hanc rationem, ut abluto corpore recenti fontana purius fervidiusque se suis commendarent Deastris atque ita abluta quoque animae macula a suis sordibus expurgarentur. In hac opinione non tantum olim fuerunt Pagani, sed nunc quoque haerent miserrimi mortalium, Judaei ac Muhammedani, qui summo mane fontes ac fluvios anxie quaerunt, ubi loti sacra sua peragunt. Imo si fieri possit derivatis ad sua templa ac delubra fontibus utuntur. Sunt etiam inter Christianos indocti idiotae, qui aquam, ut vocant, consecratam intra limina templi conservari solitam, intimam animae puritatem adferre opinentur. Quo ritu aquam Danubio allatam Marti et Herculi consecraverint Hungari, refert Bonfinius[2]) oratorice ac eloquenter magis quam vere. In castris universis plurima caesa esse dicit patriis Diis sacrificia; quae* ejus stilo significat, summo Hungaros fuisse gaudio, et opipara agitasse convivia.

§ VIII. *Scythae humano sacrificio litant.* — Scythas humano placasse sacrificio sua Numina peregrinos servosque bello captos iis caedentes, sunt qui tradant. Verum an Hungari crudelia haec sacrificia obtulerint? incertum. Certissimum est, plurimas gentes Diis suis humana immolasse sacrificia. Nec est cur nimium excusemus Majores nostros, qui pari erga suos Deos zelo affecti ac aliae gentes in ignorantiae tenebris existentes, facinus istud patrare potuerint. Sunt etiam qui referant Hungaris antequam ad fidem Christi accessissent, religioni fuisse Zeutae cujusdam, deinde Dicenei, mox Comosici, ac tandem Zamolxis cultus. Quos fama sapientiae celebres Legislatores habuerunt et lapsu temporis velut inter Deos receptos venerati sunt[3]). Haec et similia ob oculos ponentes, immortales Deo debemus gratias e tenebris gentilitiis nos educenti, ne Majorum vestigia premeremus simulque cum iisdem in aeternae perditionis barathrum praecipitaremur.

---

[1]) s. Lad. Decret. Lib. I Cap. XXII.
[2]) Decad. I. Lib. IX pag. 163.
[3]) In notis ad Decreta Regum Hung. pag. 68. Edit. Claudiop. a. 1743.
* quod (ed.)

CAPUT QUINTUM.

De Conversione Hungarorum ad Fidem Christianam ante tempora Regis Stephani Primi, per suas Tribus et Generationes pedetentim facta.

§ I. *Sensim Hungari convertuntur.* — Sicuti uno totus aliquis die non nascitur populus; ita nec uno eodemque ad Deum convertitur atque renascitur: verum pedetentim et cum tempore in Dei aggregari solet gremium. Hungaros quoque Majores nostros longo tempore, mille fere decursu annorum in Semi pellexit tentoria et ad suave jugum Christi acceptandum divina praeparavit Providentia, ut eo firmiores in vera fide agerent radices. Sub effluxu tanti temporis varias easque illustres Familias ac Generationes populosas Hunnorum subinde ad sui veram cognitionem benignum deduxit Numen, lumineque salutari illustravit, donec tandem beneplacentiae Divinae adveniret ille annus, quo totam Hungarorum progeniem, in Pannonia ac Dacia late dominantem, ad ovile Christi congregaret ac vera fide bearet. Inquiramus igitur nunc a temporibus Apostolorum et Christianismi apud Hungaros, speculemur vestigia per quae tandem defluamus ad S. Stephani Hungarorum Regis Primi tempora, quo regnante Christus totum populum subjugavit, ac de suo nomine Christianum effecit.

§ II. *Initia Christianismi.* — Sunt celeberrimi inter Historicos viri, qui initia Christianismi apud Hungaros ad Apostolorum Christi aetatem referant tribuantque fidei implantationem Andreae Scytharum Apostolo, qui idem Scythas ac Moscovitas doctrinae Christianae salutari perfudisset lumine illustrassetque adeo usque, ut ad hunc diem Andrea Apostolo glorientur Moscovitae [1]). Imo audent quidam affirmare die Pentecostes Hungaros quoque Jerusalaimis praedicante Petro Apostolo accepisse Spiritum Sanctum; quoniam traditur Act. II. 5: Fuisse in Jerusalem habitantes Judaeos viros religiosos ex omni Natione quae sub coelo est qui Christianae fidei primitias acceperunt. Faciebat etiam ad Dei gloriam, ut ea quae in Judaea acciderant, evulgarentur quantocius in omnes quae sub coelo sunt nationes, quo ita praepararentur ad Christi doctrinam non tantum desiderandam, sed et acceptandam [2]). Haec equidem concedi sine dispendio veritatis possunt; attamen an Hungari actis Apostolorum interfuerint? manebit semper incertum.

§ III. *S. Thomas Apost. Scythis praedicat.* — Eusebius insignis

---

[1]) Spanhemius in Historia et ex eo alii.

[2]) Torkos in Praef. N. Test. Hungarici a se editi.

quarti seculi historicus post Origenem refert S. Apostolum Thomam, qui ad Parthos Evangelii praedicandi causa abierat, Scythis quoque orientalibus Doctrinam Christianam primum instillasse; fuisseque ad ejus usque tempora ibidem Ecclesias. Ille idem tradit Ecclesiam Christianam sub imperio Hadriani dilatatam fuisse ad Romanos, Graecos, Scythas Barbaros et ad fines Universi ad omnes Nationes[1]). Credibile est etiam ad Hungaros, qui ea aetate, magna ex parte, ultra Caspii Maris littora Scythiam incolebant. Huc facere videntur verba Tertulliani, qui ita: „Cui enim dexteram tenet Pater Deus nisi Christo filio suo? Quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt, cujus et praedicatores Apostoli in Psalmis David ostenduntur. In universa, inquit, terra exiit sonus eorum, et usque ad terminos terrae verba eorum. In quem enim alium gentes universæ crediderunt, nisi in Christum qui jam venit? Cui enim et aliae Gentes crediderunt Parthi, Medi, Elamitae, et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam et incolentes Pontum et Asiam, Pamphyliam, immorantes Aegyptum, et regionem Africae, quae est trans Cyrenen, inhabitantes Romam et incolae tunc, et in Jerusalem Judaei et caeterae gentes. Etiam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat"[2]). Complectitur tam orientales quam occidentales aeque meridionales ac septemtrionales populos. Non absimiliter Chrisostomus loquitur: „Quod autem meretrix mulier in domo cujusdam leprosi duodecim viris praesentibus oleum effudit, id per universum orbem tanto tempore transacto decantatur; nec rei gestae memoria emarcuit, sed et Persae, Indi, Scythae, Thraces, Sauromatae quique Mauritaniam quique Orchadas insulas inhabitant, quod in domicilio pauperis a flagitiosa fuerat factum muliere magna prædicant voce"[3]). Quadrat his testimonium Theodoreti adversus Graecos invehentis: „Quinam hodie sectae Stoicae praesident, quinam Stagiritae doctrinam tuentur, ubi sunt, qui ad leges Platonis civitates gubernent, qui amplexam ab eo Reipublicae formam amplexi sint? At nullum profecto dogmatum istorum doctorem nobis ostendere poteritis. Nos autem

---

[1]) Lib. III. Cap. I. Lib. IV. Cap. 7.
[2]) Tertull. adversus Judaeos, pag. in. 121, 122.
[3]) Homilia LXXXI in Mattheum.

vobis Apostolicae Propheticaeque Doctrinae vim et robur manifeste ostendimus. Universa enim, quae est sub sole terra his sermonibus referta est, et vox Hebraica non in Graecorum modo linguam versa est, sed etiam in Romanorum et Aegyptiorum Persarumque et Indorum et Armeniorum et Scytharum ac Sarmatarum atque, ut semel dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur"[1]). Sive Hungari tunc orientalem sive Scythiam incoluerint Europaeam, testimonia late extensa eos complecti possunt.

§ IV. Seculo tertio pauca admodum occurrunt Christianismi Hungarorum apud scriptores vestigia. Populi equidem Moldaviam, Walachiam ac Transylvaniam nunc ita dictam incolentes lumine Evangelii erant collustrati, ex testimonio Philostorgii apparet, qui ita eorum ad Fidem Christi conversionem describit: „Gentem illam ait Christianam hac ratione factam. Imperante Valeriano et Gallieno, pars quædam magna Trans-Istrianorum in solum Romanum transcendit multamque Europae partem incursavit; transcenderunt vero etiam in Asiam et Galatiam; sed et Cappadociam ingressi sunt multosque captivos ceperunt, nonnullos etiam ex iis, qui clero adscripti erant, cumque magna praeda domum reversi sunt. Plebs porro captiva piaque cum barbaris conversans haud paucos eorum ad pietatem traduxit effecitque adeo, ut Christianorum fidem loco gentilitiae opinionis amplecterentur. De hoc captivorum numero fuerunt et Urphilae majores, gente quidem Cappadoces prope civitatem Parnassum, e vico qui vocatur Sadagolthina"[2]). Ita ergo captivantibus captivi saluti fuere. Fuisse in Dacia utraque ac Pannonia hoc tempore celebres Ecclesias palam est. Memoratur Quirinus Episcopus Cisciae pro Christo gloriose interfectus, qui mola manuali ad collum ligata e ponte praecipitatus in fluvium Sibarim, diu supernatavit et cum spectantibus collocutus, ne suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur obtinuit[3]). Victorinus Petavionensis antistes, Pannonius, sub cujus nomine Commentarius in Apocalypsin in Bibliothecis Patrum extat, sub Diocletiano martyrii coronam accepit, dicitur hic alias Pictaviensis Episcopus. Acta concilii Niceni anno 325 celebrati insignes Daciae et Pannoniae monstrant Ecclesias; in quibus subscriptiones ex his oris existentium Episcoporum habentur. Nomina sunt:

Protogenes a Dacia Sardicensis.

Marcus Metropolitanus.

---

[1]) Sermone V. p. 555.

[2]) Histor. Eccl. Lib. II. Cap. 5.

[3]) Timon. in Imag. Hung. antiq. pag. 68 refert ex Chronico Eusebii.

Vitalis a Dacia Ripensi infra Vidinum Aquensis.

Gaudentius a Dacia de Naisso.

Eutherius a Pannoniis.

Domnus a Pannoniis Stridonensis.

Valens a Dacia Scythopolitanus.

Theophilus Gothiae Episcopus. Gothia dicebatur tunc ea regio quae Walachia nunc dicitur. In concilio Constantinopolitano primo, anno 381 celebrato, ex Scythia hi interfuerunt Episcopi:

Gerontius Tomensis.

Aetherius Tersonitanus.

Sebastianus Anchialensis.

Armenius Sirmiensis.

Felix Jadrensis. Celebris est fama Nicetae Episcopi Daciae qui multam consumpsit operam his gentibus ad Christum adducendis circa annum 396[1]). In Dacia monachos anno C. 328 habitasse affirmat Baronius, qui sequebantur vestigia Antonii celebris et sanctissimi viri; ad hoc figendum citat carmen Paulini de reditu S. Nicetae Daciae episcopi in Daciam[2]). Quod ita est:

O vices rerum bene versa fama,
Invii montes prius et cruenti,
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.

Sanguinis quondam modo terra vitae est.
Vertitur coelo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinae.

Mons ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum
Et latet justus quibus ipse latro
Vixit in antris &c.

Haec quidem ad Daciam Pannoniamque pertinent; verum ad Hungaros parum facere videntur, qui nondum has occupaverant oras.

§ V. *Seculo 4to initia Christianismi.* — Certiora paulo de Hungaris doctrinam Christi acceptaturientibus hoc ipso seculo quarto inveniuntur documenta. Eusebius Constantinum M. refert partim armis, prudentio-

---

[1]) 32. Ivanyi Dissert. Paralip. pag. 147.

[2]) Ad an. 328 et 396.

ribus partim institutis legationibus Hunnos perdomuisse ac ad civilem cultioremque traduxisse vitam [1]. Clarius Nicephorus Const.: „Theotimus inquit quidam in urbe Tomitana Hunnos ejus virtutem admirantes ad religionem Christianam paulatim emollit docendo et benefaciendo" [2]. Fuit Theotimus Scytha ac forte etiam Hunnus, vir Philosophicis ac Theologicis imbutus institutionibus qui pluribus iisque egregiis de facinoribus est notus. Narrat Sozomenus de eo: „Aliquando ei iter per barbarorum terram facienti eadem via obvii facti sunt, qui ad depradationem adequitabant. Lamentantibus igitur ejus sociis, perinde ac si jam jam essent perituri, ille descendens ab equo orabat, quo facto barbari, neque eo neque comitibus ejus neque equis, quibus insidebant, conspectis, praeterierunt" &c. [3]. Eodem sanctissimo viro auctore putat Baronius factum, quod Scythae et Hunni ad Christum converterentur [4], de quibus ita Hieronymus: „Deposuit pharetras Armenius; Hunni discunt psalterium; Scythiae frigora fervent calore fidei. Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria, et ideo forsitan contra nos aequa pugnant acie, quia pari religione confidunt" [5]. Idem ille: „Indus, Persa, Gallus, Aegyptius philosophantur et pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam in feriis homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos, et totius mundi una vox Christus est" [6]. Huc respiciunt verba Orosii: „Si ob hoc solum (ait ille) barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgo per Orientem et Occidentem Ecclesiae Christi Hunnis, Suevis, Vandalis et Burgundionibus diversisque et innumeris credentium populis replerentur, laudanda et attollenda Dei misericordia videretur" [7].

Flagellabat summus rerum omnium arbiter per eorum saevitiam Christianorum nequitiam; ipsis vero occasionem subministrabat sese ad Deum convertendi et vitam doctrinæ Christi conformandi.

§ VI. 340. — Multum huc contulisse videtur exilium Audii Mesopotameni viri zelo et pietate ardentis, qui de vita et moribus clericos reprehendens incurrit in gravius eorum odium traductusque apud Imperatorem, mox anno D. 340 in Scythiam a Constantio relegatur, ubi barbaros Christianae religionis rudimentis instruxit ac plurimas Ecclesias fundavit. Digna sunt relatu, quae habet Epiphanius de Audio, qui ita: „Erat autem vir a Mesopotamia oriundus, clarus in patria sua propter since-

---

[1]) In Vita Const. Lib. III. Cap. V. Socrat. H. E. Lib. I. Cap. XX. Sozom. Lib. II. Cap. 6, 8. Theodoret Lib. I. Cap. XXIV. Evagr. Lib. IV. Cap. XXIII.

[2]) Lib. XII. Cap. XIV.

[3]) Lib. III. Cap. XXI. Lib. VII. Cap. 21.

[4]) Ad an. 402.

[5]) Epist. XV. Lib. II. p m. 341.

[6]) Epist. ad Heliodorum p. 478. [7]) Lib. VII. Cap. XIV.

ritatem vitae et zeli erga Deum ac fidei, qui sæpe conspicatus ea, quae in Ecclesiis fiunt, in faciem episcoporum ac presbyterorum se talibus opponebat ac ipsos redarguebat. Si enim aliquem videbat pecuniae studiosum ex clero aut episcopum aut presbyterum aut alium quendam ex regula omnino loquebatur. Et si videbat aliquem in voluptatibus ac deliciis viventem aut aliquem adulterantem ecclesiasticam praedicationem et Ecclesiae Statuta non ferebat hic vir, sed verbis velut dixi reprehendebat. Et erat hoc grave admodum his, qui vitam approbatam non habebant. Atque hac de causa contumeliis afficiebatur, contradictionem sustinebat, odio habebatur agitarique ac protrudi et ignominia affici tolerabat, ad multum tempus in Ecclesiis simul degens, donec quidam potenter in ipsum irruentes virum expellunt propter talem causam. Ipse vero non sustinebat se expelli, sed magis enitebatur, ut veritatem diceret et a vinculo unius sanctae Catholicae Ecclesiae unionis non discederet. Quum autem verberaretur tum ipse, tum sodales ejus et gravia pateretur, valde ingemiscens consiliarium sibi ipsi sumit injuriarum necessitatem. Nam se ipsum ab Ecclesia separat multique simul cum ipso discedunt. Et sic divisionem fecit, cum nihil haberet in fide diversum, sed rectissime crederet et ipse et sodales ipsius, etiamsi id dicere maxime oportet, in parvo quodam ipsum contentiose ferri itemque ejus asseclas. Nam cum hoc quod confitebatur de Patre et Filio et Sp. sancto mirabiliter, velut catholica Ecclesia habet, etiam juxta rectam fidem alia omnia invita ad admirationem usque servabat: propriis enim manibus laborans ipse et episcopi ac presbyteri et reliqui, qui cum ipso erant omnes nutriebantur"[1]).

Paulo infra sequentia habet: „Sustinuit autem exilium ipse senex Audius ad Scythiae partes relegatus eo quod rebelles faceret populos, et ab episcopis ad regem delatus est. Illic vero annorum tempore haud scio dicere quanto, commoratus est ulterius progressus et ad intima Gothiae multos Gothorum in fide instruxit. Ab ipso sane etiam monasteria in eadem Gothia facta sunt et vitae conversatio instituta virginitasque ac exercitatio pietatis non vulgaris. Hoc facto multum Scythis Hunnnisque profuit Audius, ad emolliendos imbuendosque eorum animos Christianae doctrinae rudimentis.

§ VII. *Hunni resistunt Valenti Ariano.* — Profecerantque tantum sub piis doctoribus Hunni in fundamentis Christianae fidei, ut nullo in Arianismum modo pertinacia Valentis imperatoris se abduci paterentur, imo vero acerrime ac ut decebat Christianos cordate resisterent. Fecerunt praecipue illi, qui Tomis sub inspectione ac cura Britannionis epis-

---

[1]) Epiphanius contra haereses Lib. III. pag. 264, 269.

copi, viri prudentis et sancti, degebant. Rem ita narrat Sozomenus omnem: „Porro autem Scythas prædicant simili de causa in ipsa fide persistere. Gens ista multas quidem habet urbes, pagos et castella, sed principatum obtinet Tomis, quae est urbs magna et opulenta prope mare posita. Vetus consuetudo est, quae ibi etiamnum servatur, ut unus episcopus totius gentis Ecclesiis praesit. Itaque tempore de quo jam loquimur illas administravit Britannio, quando etiam Imperator Tomos advenit. Postquam autem accessit ad Ecclesiam et pro more suo ei persuadere conatus est, ut cum Arianis communicaret, Britannio constanter admodum apud imperatorem et libere pro doctrina concilii Nicaeni locutus est, recessit ab eo et ad alteram Ecclesiam se contulit, quem populus secutus est". Narrat idem imperatorem ira percitum in exilium mississe, sed mox revocasse. „Nam cum videret Scythas episcopi exilium iniquo animo pati, non parum veritus est, ne novis rebus studerent. Quos quidem et fortes esse et ipso locorum situ Imperio Romano necessarios, quippe qui impetum barbarorum illam orbis partem incolentium propulsarent. Itaque imperatoris conatus sic a Britannione compressus est, viro tum in aliis rebus spectato, tum ob divinam virtutem adeo insigni, ut etiam ipsi Scythae laudis testimonium ei attribuerent" [1]). Per Scythas Hunnos esse intelligendos stilo ejus aetatis patet ex Evagrio, qui ita loquitur: „Temporibus illis bellum quod multorum sermone celebratur ab Attila Scytharum rege excitatum fuit, de quo disertissime Priscus Rhetor" [2]). Jam vero palam est, Attilam fuisse regem Hunnorum Priscumque in castris Attilae legatum ejus res gestas mansuris mandasse literis; cujus historiae fragmenta quaedam supersunt.

§ VIII. *Chrisostomus in Scytharum conversione laborat.* — Chrisostomus vir fervidi cordis et aurei fluminis episcopus et patriarcha Konstantinopolitanus ordinavit doctores, presbyteros ac diaconos, quos ad Scytharum conversionem prudenti consilio instruxit ac emisit. Ejus destinationi felix respondit eventus. Plurimi enim ex iis qui Thraciam depopulabantur in Pannonia considentes Christiani facti sunt. Theodoretus ita de Chrisostomo scribit: „Cum accepisset Scythas, qui Nomadae vocantur quique propter Istrum incolebant, sitienter salutem appetere, sed habere neminem, qui sitim suam salutaris doctrinae fluentis restingueret, viros laborum Apostolicorum imitatores conquisivit eosque illis erudiendis praefecit" [3]). Hunnis quoque accommodari potest, quod Lactantius in genere de Ecclesia refert: „Manus suas in orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus,

[1]) Lib. VI. Cap. XXII. pag. 872.
[2]) Lib. I. Cap. XVI.
[3]) Lib. V. Cap. XXX.

quo non religio Dei penetrasset; nulla denique natio tam feris moribus vivens ut non suscepto Dei cultu ad justitiae opera mitesceret" [1]). Verum quoque est, quod de hoc seculo magnus affirmavit Spanhemius: Sedes Ecclesiae fuit πᾶσα ἡ οἰκουμένη, orbis habitatus et cognitus universus per quatuor mundi plagas.

§ IX. *Seculo quinto.* — In initio seculi quinti vastavit Attila plurimas Christianorum Ecclesias per continua bella, quamvis nec ipse Attila neque Principes ejus legantur Christianis ob eorum fidem bellum intulisse ac molestiam exhibuisse. Verum eos persequebantur ob innumeras ab iisque illatas contumelias ac perpetuas fraudes et contentiones, qui plus curabant regionem, quam religionem. Dantur exempla ubi Christiani confugiebant ad Attilam pro sui defensione, uti fecit Aetius princeps militiae imperatoris Constantinopolitani, Constantius et alii. Imo Attilam non nimis abhorruisse a religione Christiana testantur ejus acta; ast Christianorum discordia et perpetuae inter se rixae moram illi injecerunt, quo minus aequiori erga eos esse posset animo.

Digito haec monstrari in historiis attendenti possunt. Attila Italiam petiturus Ravennam accessit, cujus Archiepiscopus admodum dives nullam a Romano habebat dependentiam pontifice. Hic audiens Attilae adventum occurrit illi cum tota sacerdotum caterva albis induta stolis, gratiam regis aucupaturus, cujus intercessione ita sedatus est Attila, nihil ut mali civitati et civibus inferret. Hoc non erat satis, verum rogabat insuper archiepiscopus vellet sequi ejus religionem, contrariae factionis autem Christianos qualis quoque esset Romanus episcopus iret perditum, se etiam spondere et effecturum ut brevi Italia omni, Roma, Africa denique potiatur facillime. Quid Attila responderit, scriptum non est, hoc tamen affirmari potest, turpe ac impium, imo crudele fuit hominem Paganum ad Christianorum oppressionem conducere ac urgere. Hinc Romam versus castra movet: Romani exterriti urgent Leonem episcopum occurrere Attilae pro gratia impetranda exemplo episcopi Ravennatis. Fecit Leo officium et Attila gratiam ipsi ac urbi concessit. Quid tandem factum? Attila ex consilio Leonis Papae rediit Ravennam ibique divitiis et vita urbis episcopum spoliavit [2]). Facinus certe indignum Christianis episcopis, quo et similibus a religione Christiana non sine ratione abalienatus est Attila.

§ X. *Episcopum ab Justiniano petunt.* — Ab imperatore Justiniano, qui obiit anno D. 565 aetatis suae 84 referente Evagrio, gentes Tanaim accolentes episcopum expetierunt. Tunc jam multae Hungarorum Tribus eas insederant oras. Sub eodem Justiniano Christianam fidem amplexae

---

[1]) De Morte Persecutorum pag. 683.

[2]) Thurotzius in Chronico Hung. Part. 1. Cap. XX, XXI pag. 25, 26.

sunt amplissimae inter Hunnos familiae. Post decessum enim Attilae, reguli non pauci ab ipso dependentes, inter se vero independentes, ob idque ab aliis nationibus oppressi, in gremium Ecclesiae aggregati sunt. Talis erat Hordas, juxta quosdam Gordas, Hunnorum regulus qui Christianam fidem Constantinopoli amplexus sacro baptismatis lavacro tinctus est ac muneribus a Justiniano excultus rediit ad suos populares circa annum D. 528 [1]). Eodem anno rediit ad Christum ac sacro flumine lota extitit vidua regis Hunnorum Malachi aut juxta alios Blachi nomine Boritza, pluribus millibus quae, icto foedere cum Justiniano, ejus partes juvit adversus Persas ac auxiliares Hunnos Tyranx et Glom, quos inopinato suo adventu confudit ac dissipavit [2]). Auxit ergo Christianorum numerum horum ad Christum accessus.

§ XI. Rex quoque Abarum, qui foedus cum Romanis Sirmii inierat, a fide Christiana minime abhorruit. Apparet hoc ex ejus juramento, qui tacto manibus sacrorum Evangeliorum codice ita fidem deposuerat: Juro secundum omnia verba loquentis in hoc Dei codice, quod ego in omnibus iis, quae in hoc dicta sunt, non mentiar, non fallam. Sine dubio si prudens adfuisset institutio a parte christianorum secutus fuisset moriger Chaganus. Unus ex Chaganis sextus Abarum rex imperante Justiniano conversus est; pulsus enim regno Justinianus per Leontium a Chagano susceptus, cujus sororem in uxorem sibi associans fidem Christi inter Abares plantavit. Meminit de Hunnorum ad Christum accessione Nicephorus in initio seculi septimi Constantinopoli facta [3]), quam de familia aliqua amplissima intelligendam puto. Huc quoque facere videtur, quod supremus magister militum nomine Ascum Hunnus fuit in Illyrico, quem Justinianus Imperator e sacro baptismatis lavacro susceperat [4]). Extat quoque Eugenii episcopi Romani epistola anno D. 825 ad Hunniae seu Avariae episcopos exarata quae ita est: Eugenius episcopus servus servorum Dei Rathfredo sanctae Favianensis ecclesiae et Methodio ecclesiae Specujulinensis, Meconi Origituriensis atque Alchumino sanctae Netravenis ecclesiae parique modo Annoni Vetváriensis ecclesiae episcopis, simul et Tutundo nec non Moymaro ducibus Hunniae, quae et Avaria dicitur, atque Moraviae. Desiderio salutis animarum vestrarum, filii in Christo charissimi, cum audissemus Christianissimam conversionem vestram et sanctae fidei bonorumque operum vestrorum processum, summo gaudio atque lætitia sumus exhilarati &c. [5]). Eidem Eugenio tribuitur fragmentum epistolae

---

[1]) Paulus Diaconus Cedrenus Malala; Hofm. in voce Hunni.

[2]) Evagrius Cedrenus Malala.

[3]) Vide Otrokotsi pag. 217.

[4]) Joh. Ant. Malala in chronographia 1 Just.

[5]) Timon in Imag. Hung. Antiq. et N. Lib. II. Cap. XIIII. pag. 267.

ad Alcuinum Nitraviensem et Rathfredum Fabianensem episcopos h. m. Ab hac sacra Romana matre Ecclesia vobiscum rectorem transmisimus atque in praefatis regionibus Huniae, quae et Avaria appellatur, Moraviae, Pannoniae et Moesiae Apostolicam vicem nostram et jus Ecclesiasticum exercendi et usum ac pietatem antecessorum suorum videlicet Laureacensis Ecclesiae Archiepiscoporum sibi successoribusque suis canonica auctoritate committimus atque hujus constitutionis Decretum nostrae subscriptionis privilegio roboramus[1]).

Haec sunt apud antiquos Hunnos Christianismi vestigia.

CAPUT SEXTUM.

De sudoribus Caroli Magni in convertendis Hungaris, et ejus Confessione.

§ I. Carolus Magnus regnare incepit anno D. 768, mortuus est anno D. 814, aetatis 72, Regni 46, imperii 14, prouti Petavius in Rationario ejus annos ad calculum revocavit[2]). Quantum doctrina et pietate cæteros suae aetatis reges ac principes anteibat, in tantum pro religione Christiana in regionibus sub jugum missis plus quoque laborabat. Gessit bellum cum Hunno-Avaribus seu Hungaris diuturnum et multa sanguinis effusione; quos tandem devictos adegit, gentilismo relicto, ad Christianam fidem amplectendam.

Ita Eginhardus Caroli Magni secretarius: „Maximum omnium, quae ab illo (Carolo) gesta sunt, bellorum, praeter Saxonicum, huic bello succedit, illud videlicet, quod contra Avares sive Hunnos susceptum est; quod ille et animosius quam cætera et longe majori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam expeditionem fecit. Caeteras filio suo Pipino ac Praefectis Provinciarum, Comitibus etiam atque Legatis perficiendas commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia et locus, in quo Regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc

---

[1]) Lazii Chorographia Austriae, pag. 21 edit. an. 1730.
[2]) Pag. m. 332. C. Math. in Theatro Histor. pag. 830.

bello Hunnorum Nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri et argenti in Regia repertum, tot spolia in preliis sublata, ut merito credi posset, hoc Francos Hunnis juste eripuisse, quod prius Hunni aliis gentibus injuste eripuerunt"[1]). Haec eadem tradit Aventinus Bojorum Livius [2]). Bonfinius et ex eo M. Szentivánius narrat, Carolum devictis Hunnis templa erexisse, Ministros verbi Divini ad eos devexisse fideles, qui religionis Christianae fundamenta ponerent, scholas fundasse, qui tenellos erudirent, jussisse vulgari passim: Qui Christo nomen daturi sunt, liberi sunto. Qui renuissent adempta cum fortunis libertate, vita duntaxat permittuntor. Desererent fictos Deos Martem, Herculem, agnoscerent Creatorem omnium Deum, ejus filium unigenitum Jesum, illum diligerent dilectumque adorarent[3]).

§ II. *Principes quidam convertuntur.* — Principes aliquot tunc cum suis accesserunt ad fidem Christi, quod antiquitatis monumenta declarant. Aventinus in annalibus Bojorum scribit: „Zotan Thuduni maximi Avarorum Rector deditionem gentis Carolo fecit, in philosophia Christiana institui et imbui petit." Hepidanus Coenobita, qui scripsit anno 1072 haec habet: „Zotanus dux de Pannonia venit ad Carolum regem ad Aquasgrani et se ipsum dedit et patriam quam habebat et ipse baptizatus est et omnes qui cum eo venerant et reversus est cum pace et honore in patriam" [4]). Haec contigisse refert anno D. 793. Vetus scriptor Anonymus ad annum Christi 795 haec habet: „In hac expeditione dum castra super Albim haberet (Carolus), venerunt ad eum legati de Pannonia, unus ex Primoribus Hunnorum, qui apud suos vocabatur Thudun, is et suum adventum et se Christianum velle fieri promisit" [5]). Annonius tradit ad annum Christi 803, Caganum Hunnorum et Avarorum regem se et suos baptismo commisisse, qui Theodori nomen suscepit. Post ejus mortem vero filius ejus Abrahamus petiit in regno paterno confirmari, qui fidem Christi recepit ac baptizatus est. Hic forte erit ille Theodorus Caganus, de quo Ado Wiennensis et Regino scribunt: „Theodorus Caganus Princeps Hunnorum propter infestationem Sclavarum (erat enim Christianus) locum sibi dari

---

[1]) Eginhart in Vita Caroli Magni.
[2]) Lib. IV.
[3]) Bonf. Dec 1 Lib. IX. Dissert. Paralip. p. 164.
[4]) In scriptoribus rerum Alemannicarum pag. 231.
[5]) In scriptoribus Rerum Germanicarum pag. 30. Aventinus Lib. IV apud Otrokotsi pag. 237.

inter Sabariam et Carnutum postulavit, quem Imperator benignissime suscepit et precibus ejus annuens muneribus donatum remisit" [1]). Huc facere videntur Albini Flacci ad Paulinum patriarcham Aquileiensem Carolo Magno charum, qui obiit a. D. 803, literae apud Baronium qui ita loquitur: „In cujus potentia et gratia de Avarorum gente triumphatum est, quorum Missi ad dominum Regem directi subjectionem pacificam et Christianitatis fidem promittentes. Et si hoc divina præveniente eos gratia verum est, quis se servorum Dei tam pio et laudabili labori subtrahere debet, ut diaboli diruatur sevitia et Christi Domini crescat servitium. Sed quam plurimorum in te Pater oculi respiciunt, quia et vicinitas locorum tibi competit et sapientiae decus suppetit et cuncta conveniunt, quae tali operi necessaria videntur" [2]). Ad haec tempora referendus auctor vetus a Frehero editus scribens circa annum 878 ubi narratur: „Adalvinum archiepiscopum orientalis Pannoniae Richbaldum constituisse archipresbyterum. Qui multum temporis ibi demoratus est, exercens suum potestative officium, sicut illi injunxit Archiepiscopus suus, usque dum quidam Graecus, Methodius nomine, noviter inventis Latinis literis linguam Latinam doctrinamque Romanam atque literas auctorabiles Latinas philosophice superdicens, vilescere fecit cuncto populo ex parte Missas et Evangelia Ecclesiasticumque officium eorum, qui hoc Latine celebraverunt" [3]).

§ III. *In Pannoniam veniunt qui populum erudirent.* — Magno numero accesserunt in Pannoniam sub imperio Caroli Magni et successoris ejus Ludovici Pii, qui populum ad fidem Christi instruerent, Templa Monasteriaque fundarent. Plausibile videtur tunc temporis jacta esse fundamenta archiabbatiae in monte Pannoniae S. Martino dicatae episcopatuumque aliorum, quae jam ante tempora S. Stephani regis in Hungaria extabant [4]). De quibus ita M. Szentivanius commentatur: „Longe adhuc ante erectionem modernorum episcopatuum fuisse in Pannonia aliquos episcopatus (Esto enim plena conversio Hungarorum fuerit sub Stephano primo rege Hungariae Christiano, tamen antiquissimis etiam temporibus fuere episcopi in Pannonia, qui dominico gregi licet exiguo invigilarunt, quamquam gliscentibus persecutionibus sedes eorum episcopales ita prostratae postea fuerint, ut aut nullos aut certe nobis ignotos numeraverint successores). Hujus modi autem erant: Sirmiensis primis temporibus metropolitanus, post erectionem vero episcopatuum Colocensi archiepiscopatui subjectus. 2 Mursiensis (Eszék) cujus episcopus Valens

---

[1]) Confer. Otrokotsi pag. 229.
[2]) Epist. LXI apud Baronium ad. an. 795.
[3]) Confer. in hist. Ref. Lampii pag. 15.
[4]) Belius in Notitia Hung. p. 547 § 11.

in Historia Tripartita celebratur, sed qui post modum adhaesit Ario. 3 Singidunensis Hungaris Vég szendrö cui praefuit Ursacius, similiter postea et ipse Arii erroribus intricatus, quorum hi postremi etiam concilio Sardicensi interfuerunt anno Christi 347. 4 Cibalensis Hungaris Valpo, quem Decio imperatore rexit Donatius. 5 Carpensis cui Secundus episcopus præerat. 6 Curtensis cui moderatus est Crescens, Curta autem Appiano est Buda, vetus utique non nova. 7 Sabariensis. 8 Scarabantiensis, Scarabantia Hungaris est Tsepreg. 9 Scisianus, qui postea Zagrabiam translatus a loco Zagrabiensis nunc dicitur. 10 Nitriensis, qui post modum in fundationem erectus archiepiscopatui Strigoniensi subjectus est, cui Wichondus sub Johanne VIII, qui anno 872 pontificatum inierat, praefuit. 11 Episcopatus Daciae, quem adhuc ante anno Christi 400 Niceta vir sanctissimus rexit, qui episcopatus dein Argensis dictus ac etiam demum Transylvaniensis [1]). Fuerunt igitur his in oris Ecclesiae, quae cum tempore sunt desolatae, praecipue cum imperante Arnulpho rursum Hungari gentilitiis immersi tenebris infusi in has oras omnia occuparent soloque aequarent. Baronius refert Hunnos sub Carolo templum erexisse primum in honorem S. Dei Genitricis Mariae, unde hæc habeat antiquo et fide digno auctore non notat, sed loquitur et scribit ex genio sui temporis. Mos autem ille dissonare videtur moribus et religioni Caroli, qui quid in fide et de disciplinis senserit proprio edidit libello. Quosdam doctrinae ejus articulas huc transferemus:

1. Sacram scripturam continere omnia ea, quæ ad salutem sunt creditu et factu necessaria. In praefatione libri de imaginibus: „Nos Propheticis, Evangelicis et Apostolicis scripturis contenti et sanctorum orthodoxorum patrum institutis imbuti et sanctas et universales sex synodos, quae pro veris haereseoon infestationibus et sanctis et venerandis patribus gesta sunt, suscipientes, omnes novitates vocum et stultiloquas adinventiones abjicimus". Ibidem Lib. II Cap. 80 sic scripturam commendat: „Est plane divina scriptura verax, est fixa, est casta et coelestis magisterii instrumentum et aeterna praedicatio purissimo nitens eloquio, est lux mortalium dicente propheta: „Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis".

2. In Templis tantum Canonici Libri, id est, sacrae literæ legi debeant. „Episcopi et parochi debent docere populum sanam doctrinam ex sacris literis, et non pati ut quisquam quicquam novi ex suo sensu ac ex sacris literis non desumptum confingat aut doceat. Ideo dilectissimi toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere et divina donante gratia verbum

[1]) Szentivanius in Continuat. Dissert. Paral. pag. 63 § III.

Dei currat et crescat et multiplicetur in profectum Ecclesiae Dei sanctae et salutem animarum nostrarum et laudem et gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi. Pax praedicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Jesu Christo, Amen. Lib. I. Cap 19 et 26" [1]).

3. Imagines colendas et per eas Deum adorandum prorsus negavit. „Imaginum cultus et adoratio nullius antiquitatis instituuntur documento, sed pene cunctarum divinarum scripturarum abdicantur eloquio. Solum namque dominum colere et ipsum adorare, ipsum glorificare debere totius divinae scripturae tuba terribilis intonat, unde cavendum illis est et modis omnibus pertimescendum, nedum imaginum cultum et adorationem Christianae religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum et adorationem frustrari videantur. Quae duo ita inter se reluctantur, ut si unum steterit aliud stare non possit". Haec sunt verba Caroli Magni in libro, quem scripsit vel per se vel per Alcuinum praeceptorem contra imaginum cultum. Sic sensit non solum ipse, sed Concilium totum Francfurti ad Moenum anno 794 celebratum, ubi omnes Galliæ ac Germaniae episcopi aderant et concilii in Nicaea non pridem anno 787 celebrati pro imaginum cultu acta et decreta abrogarunt, Carolinos libros confirmarunt. Extant hodiedum acta Concilii Francfurtensis et libri Carolini de imaginibus ac flagellant eorum ausus, qui ab antiquae et verae Ecclesiae consuetudine ac moribus desciverunt. Equidem triumviri monarchiae papalis acerrimi propugnatores, Baronius, Bellarminus et Perronius, quorum in oculis sudes erat, negant esse genuinos Caroli M. foetus, sed putida haereticorum commenta sub Caroli nomine publicata. Verum inerme apertumque præbuerunt latus adversariis: pudore suffundat illos Hincmari Remensis archipiscopi anno D. 850 florentis testimonium, qui eos adfert contra Laudunensem episcopum dicitque se admodum adolescentem in palatio imperatorio legisse [2]): Vapulent a Sirmondo Jesuitarum doctissimo, qui ita de istis loquitur: „Libros Caroli pro legitimis nunc omnes fere agnoscere, neque id inficiari posse, nisi quis Hadriani papae ad eosdem libros responsioni seu confutationi qui* in omnium manibus versatur fidem detractam velit" [3]). Georgius quoque Cassander scribit se vidisse de Imaginibus hoc volumen scriptum in Galliis serico villato et aureis umbilicis exornatum apud quendam eruditum virum episcopum. Fuit autem is Joannes Tilius Briocensium anno 1560 episcopus [4]). Casimirus Oudinus ita censet: „Non videntur hi libri opus

[1]) Flacius in Catalogo testium veritatis pag. 120.
[2]) Flacius in Catalogo Testium veritatis pag. 131. 132.
[3]) Tom II. Concil Galliae 19.
[4]) Bibl. Bremens Class. VI. pag. 526.
* quae (ed.).

unius hominis, sed facti de communi consilio episcoporum Galliae tum temporis de Imaginum cultu contendentium. Multi damnarunt olim suppositionis hos libros, ut Bellarminus et alii, sed qui sunt hujusmodi novae notae homines contra Hincmarum contemporaneum et tot manuscriptos codices, qui videntur in Galliarum Bibliothecis"? [1])

4. Remissio peccatorum et vita aeterna non ex hominum, sed solius Christi merito expectanda. Carolus ipse in suo scripto, Lib. I. Cap. 15: „Propitiatorium Arcae (legis tabulas continenti) superponitur, quia scilicet legalibus seu Evangelicis praeceptis, quae in eo fundatae sunt, supereminet misericordia ejusdem Mediatoris, per quam non ex operibus legis, quae fecimus nos, neque volentes neque currentes, sed ejus miseratione salvamur."

5. In venerabili coenae Domini Sacramento non novit Carolus trans- aut con-substantiationem, sed panem sacramentalem vocavit figuram corporis et sanguinis. Verba Caroli sunt in epistola ad Alcuinum libro de Divinis officiis: „Coenando cum discipulis Christus panem fregit et calicem pariter dedit eis in figuram corporis et sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit sacramentum". Item: „Corporis et sanguinis Dominici mysterium quotidie in sacramentum a fidelibus sumitur". Alcuinus quoque seu Flacius Albinus ejus praeceptor, de hac materia ita loquitur: „Qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spirutualiter ejus carnem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi, sed magis tantae rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus praesumpsit accedere ad Christi sacramenta, quae alius non indigne sumit qui mundus est et quibus dicitur: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt[2]).

6. Communionem sub utraque specie voluit celebrandam. Ita enim Titulus est Lib. II. Cap. 38. De corporis et sanguinis Domini laicorum communione est decretum, ut laici minimum ter in anno communicent.

7. Fidem quae in populo esset praedicanda ipse praescribebat et agenda episcopis ac presbyteris ob oculos ponebat. Edictum ex catalogo Flacii de his huc transferam, quod ita est: [3])

Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, Ego Carolus gratia Dei ejusque misericordia donante rex et rector regni Francorum et devotus Ecclesiae defensor humilisque adjutor, omnibus Ecclesiasticae

---

[1]) In supplem. de scriptoribus Ecclesiast. edit. Paris 1686 pag. 218.
[2]) In Centur. Magdeburg. Cent. VI fol. 126. Cap. IV.
[3]) Catal. Testium verit. p. 145.

pietatis ordinibus, seu secularis potentiae dignitatibus in Christo Domino Deo aeterno perpetuae pacis et beatitudinis salutem.

Considerans pacifico mentis intuitu, una cum sacerdotibus et consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi regis clementiam et quam necessarium est, non solum toto corde et ore ejus pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus: quatenus qui regno tantos contulit honores sua protectione nos nostrumque regnum in aeternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores Ecclesiarum Christi et ductores gregis ejus et clarissima mundi luminaria, ut vigili cura et sedula admonitione populum Dei per pascua vitae aeternae ducere studeatis et errantes oves bonorum exemplorum seu adhortationum humeris intra Ecclesiasticae firmitatis muros reportare satagamini, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio ammonendi et adhortandi sunt, imo compellendi, ut firma fide et rationabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant. In quo opere et studio sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam. Qua propter et nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis authoritate una nobiscum corrigerent, quae corrigenda essent, sed et aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quia magis nobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis quaeso hujus pietatis admonitionem esse praesumptionem judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, secta evastare studeamus, sed magis benevolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum verum Dei studuit revocare: non ut me ejus sanctitati aequiparabilem faciam, sed quod nobis sunt quique* sanctorum semper exempla sequenda, et quoscunque poterimus ad studium bonae vitae in laudem et in gloriam Domini nostri Jesu Christi congregare necesse est. Quapropter ut praediximus aliqua capitula notare jussimus, ut simul haec eadem vos admonere studeatis et quaecunque vobis alia necessaria esse sciatis: nec aliquod quod vestrae sanctitati et populo Dei utile videatur omittite, ut pro studio non admoneatis, quatenus et vestra solertia et subjectorum obedientia aeterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur &c.

Primo omnium ut fides catholica ab omnibus episcopis et presbyteris legatur diligenter et omni populo praedicetur. Quia hoc primum praeceptum est Domini Dei omnipotentis in lege: Audi Israel, quia dominus Deus tuus unus est et ut

---

* quoque (ed.)

ille diligatur ex toto corde et ex tota mente et ex tota anima et ex tota virtute nostra.

Sed et vestrum videre est, dilectissimi et venerabiles pastores et rectores Ecclesiarum Dei, ut presbyteros mittatis per parochias vestras ad regendum et ad praedicandum per Ecclesias vestras populum Deo servientem, ut recte et honeste praedicent, et non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu et non secundum scripturas sacras fingere et praedicare populo, sed et vosmet ipsi utilia, honesta et recta et quae ad vitam ducunt aeternam praedicate, aliosque instruite ut haec eadem praedicent. Primo omnium praedicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum esse Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, qui creavit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt. Et unam esse Deitatem, substantiam et majestatem in tribus personis Patris et Filii et Sp. Sancti. Item praedicandum est, quomodo Dei Filius incarnatus sit de Spiritu sancto et ex Maria semper virgine, pro salute et reparatione humani generis passus, sepultus et tertia die resurrexit et ascendit in caelis et quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundum merita propria, et quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem aeternum mittuntur et justi cum Christo et sanctis Angelis suis in vitam aeternam.

Item diligenter praedicandum est, resurrectionem mortuorum esse, ut sciant et credant in iisdem corporibus praemia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis praedicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in aeternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immundicia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia, quae praedico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Ideo hæc eadem quae magnus praedicator Ecclesiae Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibete, intelligentes quam sit terribile illud quod dixit, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sed omni instantia admonere eos de dilectione Dei et patientia, de charitate et continentia, de benignitate et misericordia, de elemosynis et confessione peccatorum suorum; et ut debitoribus suis secundum Dominicam orationem sua debita demittant, scientes certissime, quod qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Et hoc ideo diligentius injungimus charitati vestrae, qui scimus temporibus novissimis

pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio praedixit et apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo dilectissimi toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere et divina donante gratia verbum Dei crescat et multiplicetur in profectum sanctae Dei Ecclesiae et salutem animarum nostrarum et laudem et gloriam nominis Dei nostri Jesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino Deo nostro Jesu Christo, Amen. Anno Dominicae incarnationis DCCLXXXIX indictione XII anno XXI regni nostri, actum est hujus legationis edictum in Aquis palatio publico. Data est hæc charta die decima Kalend Apriles.

Ludovicus Imperator Caroli M. filius patris instituta secutus ubi advertisset clericos et propriae vitae disciplinam corrupisse et Ecclesiae regimen neglexisse ac deformasse, Aquisgrani tum ex spiritualibus tum ex politicis proceribus totius Germaniae et Galliae frequentissimum concilium convocavit. In eo curavit edi multos canones et regulas, secundum quas vitam Spiritualium et regimen Ecclesiae reformare et in melius reducere est conatus. Aberat concilio Arno Saltzpurgensis archiepiscopus ad quem Legatum expediit, qui in ejus ditione clericos reformaret, et epistolam, quae integra extat, ubi inter alia scribit: Direximus praeterea tibi pondus et mensuram, secundum quae clericis et sanctis monialibus panis et potus aequaliter tribuenda sunt. Quae ut ab omnibus firmissime atque inviolabiliter teneantur, decernimus, et nequid incrementi aut decrementi a quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus epistolae admonemus sanctitatem, ut secundum ministerium tibi divino munere collatum nostræ in hoc negotio saluberrimae admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas et cæteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe justumque est, ut quanto sublimius sacerdotii dignitate aliis superemines et a nobis venerabiliter diligeris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem exequendam devotiorem te atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino et ora pro nobis[1]).

Haec et similia Carolinae Fidei ac Doctrinae puncta Hunno-Abaris instillata concordant cum principiis et articulis Reformatae Ecclesiae; alii autem sua agnoscere non possunt.

§ IV. *Hunni remittunt ex sua feritate et mollescunt.* — Caroli filiorumque ejus armis Hunno-Abares pressi multum ex martio spiritu

---

[1]) Extant in Catalogo T. V. Flacii pag. 150, 152.

remittentes studiis vacare coeperunt. Laborabant post ea tempora apud Hungaros pro aris Graeci praecipue. Excellebant inter hos Methodius et Cyrillus, qui Latinorum ex iis locis exsibilabant sacra, orientalium instituta adducentes. Ita Aventinus: „Eadem tempestate Methodius Philosophus Venedas invenit literas versitque divina oracula in vernaculum Sclavorum sermonem, persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut explosa lingua latina exsibilato ritu Romano suum consecrarent eloquium; post haec in regnum Bojariae porrexit, in Liburnia, Norico, Pannoniisque Venedis habitantibus idem persuasit" [1]).

Circa medium seculi noni rursum potentissima aliqua Hungarorum Familia Christianis se addixit sacris; scribitur enim in Chronico Salisburgensi: Anno 861 Hunni Christiani fiunt. Intelligendum non de tota Gente, verum potentissimo aliquo cum suis Principe.

Hepidanus coenobita, qui vixit ad annum 1072 haec habet: Gens Hunnorum anno 863 Christianitatis nomen aggressa est. Pari modo non de tota Hunnorum gente, sed parte aliqua sub potentis ductu Principis intelligendum. Paulatim tumultuari desinebant, ad Christumque redibant, cum ex Asia ingens Hunnorum numerus Pannonicas rursus inundaret terras. Evocaverat eos in auxilium Arnulphus adversus Zentebaldum anno 888 ac Leo Orientis imperator adversum Bulgaros anno 893, qui eadem occasione Pannoniam rursus occupantes in possessione retinuerunt sua. Erant hi extra veri Dei cognitionem et cultum; verum sensim cum tempore ex misericordia Dei infinita per tribus et familias emolliti currente seculo decimo ad Dei cognitionem perducti sunt atque ita Christiani facti. Nos quoque Christianismi apud Hunnos legentes vestigia ad Geizae ita aetatem sensim defleximus, cum tota fere Hungarorum gens Christo aggregata est.

CAPUT SEPTIMUM.

De Conversione Hungarorum temporibus Geizae et Stephani Hungariae Regum, occasione ac instrumentis conversionis.

§ I. Quo tempore, quibus mediis et qua occasione gentis Hungaricae, inter populos Europaeos non ultimae, facta est ad fidem Christi conversio, e re est ut operosius inquiramus, ne nos quoque cum errantibus in avia

---

[1]) Lib. IV Annal. pag. 434.

abducamur et gravissime impingamus. Nemo equidem certum ejus et infallibiliter determinatum designare potest annum; quoniam nec uno ea contigit anno, sed lapsu temporis pedetentimque per varias familias ad Christum adductas ea praeparabatur conversio; donec tandem universa Hungaria caelesti lumine illustrata facta est de Salvatoris nomine Christiana.

§ II. Maximo nisu ex subsidio coelestis Regis urgebatur hæc conversio Hungarorum tempore Geizae regis, felici partu tandem ad perfectionem deducta sub ejus filio Stephano. Attribui solet Stephano a scriptoribus fere ad fidem Christi conversio, a variis vario modo rei occasio describitur; in tantum bene quatenus ille magnis fatigiis, impensis et solicitudine ad colophonem perduxit. Alias tamen, prius quam ille nasceretur, magna ex parte Hungari instituta jam sequebantur Christianonorum. Paulus Lisnyai chronologus insignis ad annum Christi 958 hæc habet: „Geiza filius Toxi, quem communi voto Hungari anno 958 in Regem primum elegerunt, hic primus factus Christianus inter Hungaros"[1]). In tantum bene habet, quatenus ad præcedentia Stephanum tempora Hungarorum conversionem reducit; in tantum male, quatenus Geizam primum appellat Regem. Regnante apud Hungaros rege Toxo plurimi fidem Christi amplexi sunt; imo vero de ipsomet Toxo id praesumimus; de filiis vero dubii parum superest. Filius enim unus erat Michael, quod nomen Christianum sapit; eo enim non insigniebantur Gentiles sed Christiani iique magis Graeci, apud quos eo nomine aliquot erant Imperatores insigniti. Hujus filius erat Ladislaus, pariter nomen est Christianum, cujus posteritas regnavit in Hungaria Christiana ad annum usque 1301, quae defecit in Andrea tertio ejus nominis Hungarorum rege.

§ III. *Geiza Christianus.* — Maximus natu Toxi filius erat Geiza, qui vivente adhuc patre Christianus factus est; si verum est, quod tradit C. Ens: „Taxy miserabili mortis genere sublato Geissa successit pessimi patris optimus filius. Is jam ante Christianae religionis gustu imbutus et ab Adalberto magnae sanctitatis viro Pragae baptizatus: ubi regno potitus est ita secum publicam disciplinam circumegit, ut brevi non religionis tantum, verum etiam morum magna facta fuerit mutatio"[2]). Vivente ergo patre Christum secutus est Geiza. Pater autem sublatus est anno 955 in conflictu cum imperatore Ottone. Convenit Siglerus hujus adserto adsurgens qui ita: Geiza primus inter Hungaros fidem Christianam amplexus et a

---

[1]) In Chronologia Hungarica, pag. 13.
[2]) Histor. Rer. Hung. Lib. II. pag. 35.

S. Adalberto episcopo baptisatus[1]). De hac Jesuita Ladislaus Turotzi ita rhetoricatur: „Vultis boni viri cognitam compertamque habere fidem Ungaricam? est illa, cui primum Geysa dux assurrexit; quam divus Stephanus Geysae illius filius universo cum imperio accepit, mirifice ampliavit, summo studio exornavit" [2]). Belius quoque inter historiae Hungaricae gnaros peritissimus non multum abludit ab hac opinione, qui sic scribit: „Mitescentibus ferocissimae gentis animis jamque inclinantibus ad fidem Christi amplectendam, resedit simul fervor bellicus et seu rapiendi aliena, seu vindicandi, quae amiserant, propositum. Honestissimi instituti, sub Toxo, dein sub Geysa jacta fundamenta, brevi tantopere invaluerunt, ut certatim Christo nomina dare inciperent Hungari, non jam orco, sed coelo ipsi, ea animorum conversione militaturi" [3]). Biographus S. Regis Stephani Joannes Stiltingus etsi alibi non faveat prorsus sententiae Christianismum Hungarorum ante Stephanum adserenti, tamen hic verum fatetur cum ita scribit: Primus Hungarorum princeps, qui fidem Christianam amplexus est, fuit Geysa pater S. Stephani, uti cum Carthuitio testantur scriptores varii. Hanc rem minime dubiam existimo, etiamsi aliqui laudem conversae Hungariae sic attribuerint S. Stephano, ut Geysam videantur excludere. At ideo sic illi videntur locuti, quia rudia et imperfecta fidei initia perfecit sanctus. Prima occasio conversionis Hungarorum nata videtur ex memorata eorundem clade anni 955, nam fractis viribus animisque immensa illa strage, ad pacem cum Germanis stabiliendam respicere coeperunt. Pax vero Christianis praedicatoribus occasionem dedit Hungaros adeundi eorumque conversionem tentandi[4]).

§ IV. *Occasio conversionis Hungarorum clades anno* 955. — *Literae Piligrini.* — Geiza ut animum Christianum declarare posset et Hungaros ad fidem Christi manuducere, occasionem ministravit clades anni 955 ab Ottone imperatore accepta. Magno enim numero Germaniam ingressi, incitantibus sine dubio Bavaris principibus Eberhardo Arnoldo, Ottone et Uverhero, qui non tantum vicini verum etiam sanguine juncti erant, cum imperatore vero male concordantes litigabant. Quacunque de causa adversus imperatorem bella moverint, id verum est, maxima affectos clade ab eo, qui totis viribus se et imperium defendebat. Involutus ea clade rex Hungarorum militia clarissimus Toxus.

---

[1]) In Chronologia rer. Ung. pag. 47.
[2]) In Ungaria sua pag. 91.
[3]) Bel. in Notitia Hung. pag. 108.
[4]) In Vita S. Stephani pag. 30 § VII.

Hungari qui in Pannonia remanserant regem sibi adsciverunt filiorum ejus maximum Geizam, propagationi Christianae fidei summa cura intentum. Aventinus descripsit sequentem in modum: „Ugri qui domi manserant regem creant Geizonem, filium Toxi, parentem S. Stephani; is licet alienus a religione Christi esset, nostros tamen amavit, ab Ottone pacem impetravit, bonus Christianis, suis saevus extitit. Divus tum Pilgrinus Betaviensi Laureacensi templo praesidebat, ad hunc legatos mittit, atque ut Ugrorum regionem adeat, ibi Philosophiam Christianam interpretetur orat, se cuivis cultum Christi recipiendi potestatem facere pollicetur. Lupus juxta divina oracula mores suos mutavit ovemque vivere coepit. Pilgrinus igitur assumpto secum divo Wolphango, viro ejusdem aevi doctissimo, ad Ugros profectus quinque millia eorum sacro fonte lustravit. Captivi Christiani, quorum maxima pars erat, qui eo undique terrarum abacti fuerant, publice nemine prohibente certatim sobolem ad lustricam aquam deferunt, templa exstruunt, id quod antea nequaquam licuerat. Nec animi ferocissimae gentis finitimæque Vinedorum nationes a Christiana pace jam abhorrebant. Pilgrinus cum unus tanto oneri non sufficeret, Benedictum sextum Pontificem Maximum literis et per duos sacerdotes flagitat, ut se archiepiscopum Laureacensem declaret" [1]).

Pilgrini literas ad Benedictum Sextum non ita pridem P. Lambecius ex Bibliotheca Windoboriensi exhibuit sequentes: [2])

„Ordinis ac nominis carismate praerogato S. Romanae Sedis Universalis Pontifici Benedicto, Piligrinus S. Laureacensis Ecclesiae humilis servitor, fidelitatem precum devotumque servitium. Notum fieri dignetur vobis, summe sacerdotum Praesul! quod supra omne animi mei desiderium nunc delectarer et Apostolorum visitare limina vestraque optabili perfrui praesentia et ea facie ad faciem, quae literis et internunciorum committo indiciis, sanctissimae Paternitati vestrae coram ratiocinari, nisi quod a Neophita Ugrorum gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto sub occasione pacis fiduciam sumpsimus operam exercere praedicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum praedicatoribus meæ dioecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus praesentis opportunitas ire me vocavit. Quibus Deus omnipotens, qui solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est januam cordis sui diu clausam, ut discisso velamine duritiae suae depositaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla submittant. A qua ergo praefata Ugrorum gente

---

[1]) Avent. Annal. Bojorum. Dibr. V. pag. 305.
[2]) Comment. Biblioth. Vindobonen. Lib. II. Cap. 8.

multis precibus ipse invitabar, aut missos meos in opus Evangelii illuc dirigere: ad hos dum transmitterem satis idoneos viros ex monachis canonicisque presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus clericos et vita et omni conversatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici, tantum divina gratia suis institutionibus fructum statim ministravit, ut ex ejusdem nobilioribus Ugris utriusque sexus Catholica fide imbutos atque sacro lavacro ablutos circiter quinque millia lucrarentur. Christiani autem, quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtive Domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eas baptizare et gratulantur omnes tanquam de peregrinatione in patriam suam reducti, quod Christiano more oratoria audeant construere et licentia percepta linguam ligatam in laudem Servatoris praesumunt solvere. Ipsi enim barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus invident, quocunque libet proficisci, sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamque ad se invicem habent familiaritatem, ut illuc Esaiae videatur impleri prophetia: Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas. Factum est ergo, ut paene cuncta Ugrorum natio sit prona ad percipiendam fidem sanctam. Sed et aliae Sclavorum provinciae ad credendum promptae et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci.

Unde quoque visum est necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic aliquot jubeat ordinari episcopos, quia et quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios septem antistites eadem orientalis Pannonia habuit et Moesia, meae sanctae Laureacensi, cui ego indignus ministro Ecclesiae subjectos, quorum etiam quatuor, usquedum Ugri regnum Bavaricum invaserunt, sicut praesenti cognitum est aetati, in Moravia manserunt."

Scriptae sunt hae literae ex mente Timonis Jesuitae anno D. 975[1]). At vero Benedictus sextus cui literae inscribuntur praefuit Romanae sedi novem tantum menses anno 973, cui in carcere concluso Bonifacius locum ejus invadere cupiens fauces elisit[2]).

§ V. Geiza cum principatum iniret, plurimi tunc ex Hungaris Christianae jam adhaeserant doctrinae, prouti jam ex superioribus palam est. Circa initia seculi decimi ad Christum redierunt isti Hungari, qui rese-

---

1) In Imagine Hung. Ant. et Nov. Lib. III. Cap. VII. pag 393.

2) Petavius in Successionibus Pontif. pag. 139.

derant in Daciae oris occidentalioribus sub ductu Gyulae Ducis; quos oportet distinguere ab Hungaris Siculis Transylvaniae plagam orientalem accolentibus, inde a fatis Attilae, et distinctis Juribus ad hunc usque diem utentibus, jam tunc probabiliter Christianis. Operabantur autem in conversione Hungarorum Graeci viciniam incolentes et cum imperio tenentes. Zonaras circa annum D. 1120 historiam suam conscribens ita de his: „Turci (Ungaros ita vocat) alias Romanas provincias incursare soliti ad tempus quieti fuerunt. Nam dux eorum Bologudes et partis cujusdam princeps Gylas (Gyula) Imperatorem convenerunt amboque sacro sancto regenerationis lavacro initiati et arcanis nostrae religionis imbuti ac patricia dignitate ornati onustique pecuniis in suas sedes redierunt, abducto Pontifice, per quem multi ad Dei cognitionem pervenerunt. Ac Gylas quidem in fide permansit pacemque servavit. Alter foedere quod cum Deo icerat rupto arma Romanis intulit, idemque contra Francos facere aggressus captus et in crucem actus" [1]). Hos principes describit Cedrenus cum ita fatur: „Caeterum Turcae non ante finem fecerunt in Romanas ditiones grassandi, quam Bulosudes (βυλοσυδης) eorum princeps fidem se amplecti Christianam simulans Constantinopolim venit baptizatusque a Constantino est exceptus, ab eoque Patricii dignitate et magnis donis ornatus ditatusque domum rediit. Non multo post Gylas (Γυλας), ipse quoque Turcicus princeps, eodem se ejusdem rei causa confert, baptizatusque et eodem quo prior modo tractatus, monachum secum abduxit Hierotheum pietatis fama celebrem, quem Turciae episcopum Theophilactus patriarcha designavit. Isque ut in Turciam venit, multos a barbarica fraude ad Christianam religionem traduxit. Ac Gylas quidem constans in fide permansit et neque ipse impressiones in Romanos fecit et captivos Christianos emens curavit. Bulosudes autem pactis quae cum Deo inierat rescissis, saepe cum omnibus suis in Romanos expeditionem suscepit. Quod idem contra Francos tentans captus et ab eorum rege Joanne (erat is Otto Imp.) palo suffixus est" [2]). Contigerant haec in initio seculi decimi tempore Constantini noni* Porphyrogeneti, filii Leonis et Zoës, qui regnare coepit Anno D. 912, emortualis vero ei contigit annus 959 [3]). De ipso traditur quod Turcos, id est, Hungaros muneribus emolliit et eorum aliquot principes ad Christianam traduxit fidem [4]). Certum enim

---

[1]) L. XVI. p. 194. Cent. Magd. cent. X p. 16.
[2]) In Comp. Hist. Tom. II. p. 636.
[3]) Petav. in Ration. succ. Imp. orient. pag. 175.
[4]) Hofni in voce Constant. IX.
* septimi (Ed.)

est scriptores Graecos illius aevi per Turcos intelligere Hungaros, per Romanos Graecos, per Francos Germanos et occidentaliores populos. Conversio horum facta erat ante principatum Geizae. Bologudes enim, Christianam abjurans fidem ac in bello adversus Francos sublatus, unus est ex illis, qui in conflictu cum Ottone M. anno 955, ubi tres Hunnorum reguli capti suspendioque necati sunt. Quod omnino hoc etiam confirmat, quod quem Cedrenus Bulosudem, Zonaras Bologudem, eundem Constantinus Porphyrogenitus nominat Bultzu-m [1]), qui is ille ipse est, de quo Thurotzi in Chronico refert, quod Bulchu captus Ratisbonae suspendio necatus est [2]). Omnia mire hic conspirant in Chronologia, aetas Constantini et Ottonis imperatorum, Theophilacti patriarchae, qui sedet ab anno 933 ad annum 956. Principum Hungarorum conversio refertur plus minus ad annum 945.

Joannes Stiltingus omnem movet lapidem, ut testimoniorum a Graecis petitorum elevet fidem (frustra tamen est), cujus conatui duos ex sociis objiciemus isti obloquentes. Ex his Franc. Borgias Kéri Jesuita ita de Constantino et his Hungaris Ducibus: „Non poterat Constantinus a perpetuo musarum commercio non humanissimus atque erga omnes affabilis esse. Haec forte principis fama exterorum legationes attraxerit. Gemini Ungarorum principes, Bulosudes alteri, alteri Gyla cognomen fuit, ipsi per se urbem illam, ad cujus muros antea armati et feroces processerant, jam quieti adivere. Prior venit Bulosudes ac sacris Christianorum initiatus, patricia insuper dignitate ab imperatore exornatus, magno, si illud aestimare nosset, bono auctior rediit. Alter Gylas priorem secutus, non contentus initiari Christianorum sacris, ut radices religionis apud suos jaceret, Hierotheum episcopum a Theophilacto institutum in patriam duxit. Et melius res cessit Gylae; hic enim firmus in religione eam apud suos quoque protulisse, neque bellorum quidpiam cum orientalibus habuisse memoratur. At Bulosuden, ejurata non diu post religione, saepius arma Thraciae infudisse, demum in Francos quoque gessisse bella, ibi poena eum divinitus consequente a Francis captum ex infelici arbore pependisse.

Bulosudes iste, Zonaræ Bologudes, crediderim non alius fuerit, quam Bultso ab Ottone imperatore post horribilem Ungarorum ad urbem Augustanam cladem captus et cum duobus aliis itidem Ungarorum ducibus in furcam actus. Certe hic idem Porphyrogenitus, cujus res modo damus, in commentario suo meminit Bultsonis dum ait: Termutzen, Tebelis filium, nuper

---

[1]) Const. Porphyrog. de administrando imperio. Cap. XL. p. 110.
[2]) Chronico Hung. Part. II Cap XXV.

in gratiam cum tertio Ungarorum (ille more suo Turcorum) principe et Carcha et Bultsone in gratiam rediisse, subditque Carcham nomen esse dignitatis, quemadmodum et Gylas sit, Gylae tamen dignitatem majorem esse quam Carchae. Ex quo illos quoque refellas scriptores, qui vanissime prodiderunt ab Ottone tres Ungarorum reges patibulis esse appensos, cum primores solum ductoresque fuerint.

Hic idem abs dubie Bultso ducem se Ungaris paucos post annos, antequam in Germaniam moveret, Thraciam infestantibus dederit. Continuator quippe auctor est, Porphyrogenito imperium moderante Ungaros ad ipsam usque urbem Byzantinam exercitum adduxisse rapinis Thraciae gravem, adversus reduces missum ab imperatore Photum Argyrum cum exercitu ab Asia traducto, qui concubia nocte, facto in hostes impetu, victoriam sopitis extorserit, magna eorum edita caede. Ita undique male Bultsoni perjuro ac desertori res se dabant.

Porro eum exercitus fuisse ducem, etsi non meminerit continuator, ex Cedreno liquet, cum ille ajat, saepius Bulosudem imperio bellum intulisse, nec belli Ungarici Constantino imperante mentio nisi semel tantummodo se offerat. Ex quibus tam bellorum ac praedarum inexplebilem aviditatem, quam virium potentiaeque magnitudinem illius gentis facile aestimaveris, qui eodem pene tempore, et a Berengario in Italiam acciti, et in Germaniam Galliasque ipsas sua sponte infusi et ad Byzantii usque moenia hostiliter progressi Europam metu vastitateque compleverint. Illud quoque ex hac narratione patescit, Ungaros non una omnes Christo nomen dedisse, sed sensim et per partes oculos ad veritatem advertisse, quoad Geiza ac post eum divo Stephano gentem moderante, clara Evangelii lux eorum oculos perstringeret, ab antiqua felicius quam a nova Roma petita et accepta" [1]). Hactenus Kéri.

Adjiciat calculum terminetque discursum Sam. Timon itidem Jesuita. „Quoniam vero (inquit), ut Cedrenus et Zonaras perhibent, Theophilactus patriarcha dedit Ungaris pontificem Hierotheum, consequens est ante annum 958 viros illos Christianis sacris imbutos fuisse: siquidem computatione Baronii et Spondani Theophilactus antistes Constantinopolitanus, insanus ille equorum amator, III Calend. Martii anno 956 vita cessit. Fuit autem Jula (Gyula) Daciae et ripae Istri praefectus; qui non solum cuidam vico in Moldavia, verum etiam in penitissima Dacia, Transylvania inquam, urbi nomen suum impertivit. Credibile praeterea est, fuisse patrem Saroltae conjugis Geizae ducis avumque maternum D. Stephani regis. Nil vero obstat, quod filius ejus adversatus fuerit divo Stephano, saepe enim liberi

---

1) Imperatores orientis Compendio exhibiti ad an. 946 pag. 294.

desciscunt a consuetudine parentum. Bolosudes vel Bologudes Pannoniae Sirmiensi praefuerit, qui abjectis repudiatisque Christianis sacris propter vicinitatem pro libidine sua saepenumero molestus fuit Constantinopolitanis"[1]).

§ VI. *Captivi prosunt ad conversionem Hung.* — Plurimum ad conversionem Hungarorum conducebat captivorum ex populis Christianis undique comportatorum multitudo, quibus admixti erant saepius clerici verbo Dei serendo ex occasione advigilantes. Anno enim 906 Hungari Graeciam, anno 907 Bulgariam, anno 908 Italiam depopulati erant ac captivorum multitudine Pannoniam referserant. Hi doctrinam Christianam apud eos Hungaros qui jam ante receperant confovebant; iisdemque animis ac sancto proposito studiisque conjuncti, lumen caeteris accendere conabantur.

§ VII. *Docti in Hungariam confluunt.* — Geiza doctos sanctosque undique viros acciri jubet, qui per Hungariae populos effusi verae fidei rudimenta traderent, falsam ac barbaricam superstitionem abrogarent, erudirent feros eosque patria religione exuerent et Jesu Christi nomen unigeniti Dei filii pro virili parte praedicarent[2]).

Ipse quoque prece et precio, promissis et minis ad Christum perducere conabatur refractarios suoque ipsius exemplo ad pietatem excitabat torpentes[3]).

Nec suo frustrabatur diligentia fine, cum enim nostri Salvatoris nomen per Pannonias libere promulgaretur, plurimi abjurabant superstitionem, caedem detestabantur ac ad exercitium pietatis se conferebant. Geiza, ubi opportunum videbatur erectis Ecclesiis, constitutis ministris, ordinato cultu divino, omnia in decentem redigebat ordinem[4]). Insignis erat locus in monte Pannoniae, ubi monasterium fundabat, aut verius olim fundatum jam vero desolatum restaurabat, quod tandem testantibus literis regiis perfecit filius Stephanus. Imperator Graecorum aeque ac Germanorum vicinique principes, gaudio perfusi ob opus divino numine fecundatum, certatim opem illi ferebant ac ad perficiendum per legatos animum addebant. Proceres plurimi in Hungariam adventabant, quorum plures Hungaris per matrimonia immixti ibidem permanserunt ac in Hungaros transierunt[5]).

§ VIII. *Geizae conjugium rem Christ. promovit.* — Felix Geizae conjugium, quod equidem ut videtur bis fuit, contractum cum principibus

---

[1]) Timon imag. Hung. Ant. et Novæ, Lib. III, Cap. V, pag. 365.
[2]) Bonfin. Dec. I, Lib. X, pag. 193.
[3]) Ens Histor. Hung. Lib. II p. 35.
[4]) Bonfin. II. cc. pag. 194.
[5]) Thurotzi in Chron. Cap. XI—XII, pag. 33.

Christianis virginibus egregie rem Christianam in Pannonia promovit. Quae fuerit conjunx Geizae si quaeras? Sine cunctatione scriptores Hungarici dicunt Saroltam Daciae principis Gyulae filiam[1]). Rerum vero Polonicarum [2]) et Bohemicarum [3]) scriptores eam vocant Adelheiden, sororem Micislai Poloniae regis forma et ingenio excellentissimam, quam viduus Geiza secundaque ad vota transiturus sibi felici omine anno 968 junxit, ex qua (secundum mentem Polonorum) sequenti anno 969 genuit Stephanum, sanctum apud Hungaros ob egregia facta vocatum. Haec una secum magnam presbyterorum ac monachorum in Hungariam deduxit catervam, ad informandum populum rudem et Christo lucrifaciendum. Ubi nunc verum stet, an penes scriptores Hungaricos ac traditionem perpetuam? vel vero Bohemos vicinosque Polonos? determinari non ita facile potest, ac quidem prima fronte apparet.

Thurocius enim, qui primus inter eos est, quorum scripta extant, vixit sub Matthia rege Hungarorum circa annum 1490. Hunc secutus Bonfinius, hosque alii fontes habent et sequuntur in historia rivuli minores. Polonicum autem Chronicon scriptum est circa annum 1359; praecessit igitur plus minus 130 annis. In controversiis autem historicis ac chronologicis, quo scriptor propius adfuerit aetati locoque, eo certius determinare potest casum controversum solidiusque vera prodere, ni suos mordacissime sequatur affectus. Cartuitius controversiam omnino potuisset terminare omnem, qui res gestas regis Stephani filii Geizae temporibus Colomanni memoriae prodidit; at L. Surius monachus, qui vixit circa annum 1578, ita ejus immutavit historiam aetatique suae ac scopo confirmavit, ut ne minima quidem inde controversia decidi possit historica terminarique. Quoniam vero Polonorum chronica tradunt, viduum duxisse Geizam regis Poloniae sororem virginem, nec omnis deroganda fides Polonis sit, fieri potuit, priorem Geizae conjugem fuisse Gyulae Transylvani filiam Saram, qua e vivis sublata, sic tandem cum Polona virgine matrimonium iniisse. Quae ambae Christianam sequebantur religionem. Jam enim Gyula cum Dacicis Hungaris diu ante Christo accesserant. Poloni pariter jam tunc ad Christum colendum erant adstricti. Hanc sententiam de uxoribus Geizæ premit satis Joan. Stiltingus qui ita scribit: Hungarici scriptores nonnisi unicam Geysæ uxorem passim memorant, eandemque matrem S. Stephani fuisse et superstitem viro vixisse asserunt. Poloni vero Po-

---

[1]) Bonfinius, Thurotzius et alii omnes ex his sapientes.

[2]) Dlugossi, Crommerus et alii. vide M. Ant. Mureti orat. XIV vol. I pag. 143.

[3]) Sommersborg refert ex Joanne Polon. Chronico scripto 1359, quod edit ex Mss. Lips. 1729 Idem ex alio refert inter scriptores Rerum Silesiacarum Tom II, pag. 201, Edit. Lips. 1730 Pfaff Inst. Hist. Eccles. sec. X pag. 465.

lonam uxorem Geysæ attribuunt Adleidem nomine et sororem Miceslai Poloniae ducis, quam secundam fuisse Geysæ conjugem scribunt aliqui. Hac de causa cum Carthuitius nihil lucis afferat, obscurum est, quænam fuerit S. Stephani mater; nam scriptores Hungari æque ac Poloni recentiores sunt minusque exacti, quam ut dictis eorum multum fidere liceat. Conjecturas igitur dare possumus, at nihil certi statuere[1]).

Duas igitur Geizæ fuisse conjuges statuit, primam Saroltam Transylvaniæ ducis filiam eamque Stephani matrem; alteram Polonicam Beleknigini i. e. pulchram dominam Sclavonice dictam, cujus forma captus Cupa nuptias ambire potuerit.

§ IX. *Stephanus quando natus et baptizatus.* — Sive habuerit Transylvanam (uti habuit) sive Polonam filius Geizae Stephanus matrem, natus is erat in commodum et salutem Hungarorum. Quis ei fuerit dies natalis? quis Stephani baptismate annus sacer? æque in obscuro sunt ac alia huc facientia[2]). Bonfinius natum esse tradit anno 909[3]), baptisatum ab archiepiscopo Pragensi Adalberto, educatum ab eodem ac Comite Deodato, qui e fonte sacro susceperat, quem puer Stephanus Tatam, id est, patrem appellitavit; in cujus memoriam aedificavit civitatem et arcem Tata dictam, ubi vixit, mortuus ac sepultus est Deodatus Apulus an Siculus. Stephanum Adalbertus ita sacris et pietati innutriit, ut puer adhuc de fide, pietatis exercitio, justitiae administratione magnam mereretur laudem.

Hæc vero, quae Bonfinius ita disserit, alter veritati dissonare egregie ostendit, cum adstruit Stephanum esse natum anno 985, Adalbertum Hungariam ingressum 989, ex Hungaria Romam profectum anno 990, inde a Gregorio V. Pontifice anno 996 Pragam destinatum, a Bohemis vero non admissum ac tandem in Prussiam abiisse, ubi ab idolorum cultoribus anno 997 trucidatum. Atque ita tempus et occasio illi defuit educandi Stephanum filium Geizae. Multo minus fuit ille archiepiscopus Strigoniensis, cujus archiepiscopatus erectio defertur Stephano ad annum millesimum[4]). Si vera sint, quae Platina habet, annus baptismatis Stephani debuit esse 973, cum Donnus sederet in cathedra Romana. Ita ille: „Adalbertus autem Bohemus Pragensis episcopus tantae sanctitatis tum habitus est, ut divino spiritu impellente in Pannoniam descendens, et regem Ungarorum baptizaverit, et omnes pro-

---

[1]) In vita S. Stephani, 51, 52.
[2]) Timon in Epit. Chronol. pag. 1.
[3]) Decad. II Lib. II, pag. 297.
[4]) Szentivanius in Dissert. Paralip. et continuatione p. 65.

vinciae episcopos ad bene de Deo promerendum exemplo et vita instruxerit"[1]). Lubentius meam iis adjungo sententiam, qui natum esse anno 969 contendunt[2]), sed quis eum sacro immerserit fonti pro certo non affirmant. Quoniam vero jam ea aetate plurimi erant episcopi in Hungaria ad latus Geizae, non erat necesse aliquem, uti fabulantur, ex Bohemia arcessere.

§ X. *Geiza moritur, Stephanus succedit.* — Declinante Geiza in senium ac laboribus in regni emolumentum atque Dei gloriam obitis fracto, filium aeque ac religionem Christianam in curam Procerum commendavit ac animam Deo debitam Christo reddidit anno D. 997. Filius autem in regno successit. Imo secundum Chronicon Hungarorum factus est rex 989, anno videlicet aetatis vigesimo. Christianissimi parentis optimus filius, quae pater bene prudenterque orsus erat, ea filius optime feliciterque ad colophonem perduxit. Doctrinam enim Christianam quam cum lacte imbiberat materno, in conversationibus cum doctis ac piis mature confirmavit. Ille ipse munus Doctoris inter indoctos diligentissime obibat, Christianae doctrinae veritatem e sacrarum literarum penu copiosissimo demonstrabat ac contrariae consuetudinis falsitatem solide refellebat.

Narrat ita Bonfinius: „Neque illud ignorabat (Stephanus) nullum diu principem esse regnaturum, nisi justitia et religione praepolleret. Huc omnes ingenii nervos intendebat et ut haec facilius assequeretur, divinis codicibus incumbebat. Adhibebat sibi sacrarum rerum praeceptores, quibus familiarissime et assidue utebatur. In re quaque gravissima viros sanctos consulebat, ne quo se suosque piaculo incestaret" [3]). Plurimi partim e Graecia, partim a Germania viri sapientissimi confluxerant in Hungariam, quorum ope et consilio nixus Hungaros refractarios adhuc in religione partim vi, partim blandioribus monitis in apertam veritatis lucem deduxit, omnibus mandata sacrae legis et axiomata orthodoxae fidei addiscenda injunxit [4]).

§ XI. *Episcopatus in Hungaria erecti.* — Episcopatus in Pannonia Stephanus, a Geiza vel antecedentibus temporibus erectos, restauravit ac confirmavit; aliaque* ipse erexit ac fundavit, privilegiis ornavit, libertate donavit, decimis ditavit ac stabilivit. Qui sint episcopatus a Stephano rege in Hungaria fundati? inter alia dubia tenebris ignorantiae sunt involuti. Alii decem; alii enumerant duodecim; sed quam fluxa fide, apparet ex discursu historico Ladislai Turótzi Jesuitae [5]), cujus

---

[1]) Platina in vita Donni pag. 343.
[2]) Timon in Epitome Chronolog. pag. 1.
[3]) Bonf. dec. II Lib. 1, p. 200.
[4]) Bonf. ll. cc. p. 203.
[5]) In Ungaria suis cum Regionibus pag. 105—116.
* aliosque (ed.)

itidem opinionis fundamentum mera est conjectura. In Christianum et mitius ingenium paulatim emollire contendens Hungaros Stephanus pro iis experiundi gratia peregrinantibus Hierosolimis in Palestina, Constantinopoli ac etiam Romae hospitalia erexit, quae sufficientibus etiam proventibus instruxit ac ornavit.

§ XII. *Geislæ reginæ crudelitas.* — Scriptores Alemannici Hungarorum ad fidem Christianam conversionem deferunt Henrico secundo piissimo imperatori, cujus sororem Giselam aut Keislam in conjugio habebat Stephanus. Nec abnuerim piissimum Caesarem magnis juvisse conatibus suum affinem, et quantum in se esset, omnino confirmasse Hungaros in religione Christiana. Verum diffitendum hic non est, conjugium isthoc (nisi duas ejus nominis Geislae successive habuerit conjuges) plus nocuit, quam profuit Hungaris; majora quoque objecit scandala novellis Christianis, quam superare ea valerent pii regis jam in senium fracti vires. Nam crudelitate inaudita, ut in regnum promoveret Gisela sanguine junctos, Vazulium Stephani avunculi Michaelis filium ausu nefario per scelerata ministeria quorundam nebulonum exoculavit, infuso insimul in aures plumbo liquefacto, ut ita prorsus inhabilis ad principatum capessendum redderetur vitaque privaretur. Reliqui regii sanguinis principes Ladislai Calvi filii, audita crudelitate Reginae, vitae conservandae gratia, consilio Stephani regis, jam afflictissimi e regno sese subduxerunt[1]. Regnum ita per multas factiones distractum conturbavit regina, Hungaros in fide Christiana nondum satis confirmatos scelerato facto scandalis objecit, maritum inter omnes illius aevi Europaeos reges piissimum, quo non pientior alter nec justitia clarior extitit, cum moerore e vita abire coegit anno aetatis LXIX, atque omnia scandalis factionibusque repleta reliquit. Gloriosissimus hic rex tantum exhausit operae in reducendis ad Christiana sacra Hungaris, fundanda Ecclesia, functiones exercens Apostolicas verbum Dei praedicando, ut rex et apostolus dici meruit*[2]. Ita Christianis laboribus vitam exercens produxit ad annum 1038, quem ultimum habuit, quo sine prole mascula e vivis discessit.

§ XIII. Successores in regia dignitate habuit Stephanus Petrum Alemannum, Abam seu Samuelem Saroltam D. Stephani sororem in matrimonio habentem Palatiique Regii comitem: quibus regnantibus perpetuis civilibus motibus est enervata Hungaria. Inde factum est, ut regii sanguinis principes in exilio extra patriae fines vitam tolerantes

[1]) Thurotzius in Chronico Hung. P. 2 Cap. XXXIII pag. 41. Bonfin. Decad. II. Lib. I pag. 214. P. de Rewa Cent. I, pag. 3.

[2]) Verbötzi Tripart. Part. I Tit. II art. 1. 2, 3, pag. 11.

* meruerit (ed.)

clam in Hungariam revocarentur Andreas et Leventa. Hungari varie per clericos exagitati, auctore quodam Vata principe, ab Andrea ac Leventa obtinuerunt libertatem redeundi quibus ita placeret ad Paganismum. Edictum autem secundum Turótzium sequens est promulgatum[1]): Ut episcopi cum clero sint necati; Decimator trucidetur. Paganismus abolitus resumatur. Petri pereat memoria in aeternum et ultra. Bonfinius autem pluribus ita exponit: Ungarus quicunque est, antiquas majorum cerimonias resumito. Scythicos Deos recolito. Christianos peregrinosque ritus exigito. Adversus Christianos arma sumito. Petrum tyrannum interficito, Theothonem et Latinum quemque passim caedito. Nova templa amolitor. Pontifices ac sacerdotes trucidato. Qui contra sanctionem hanc dixerit feceritve capitalis esto ac hostis Ungaricae gentis haud aliter atque si Martis Herculisve aris ac focis vim intulerit, promulgato[2]).

§ XIV. Displicuit pluribus e Hungarica nobilitate ea principum facilitas et Paganis placendi studium; quorum studio et interpositione effectum est ut prius Edictum non solum revocaretur, verum etiam contrarium proponeretur, quod ita rursus Bonfinius tradit: Quicunque Ungarus, Ungariaeve incola peregrinusque frequentans, deposito pagano ritu cerimoniisque Scythicis abrogatis, quos rex, quia usus ita postularat, paulo ante permiserat, ad veram Jesu Christi fidem e vestigio non redierit ac sacram legem a divo rege Stephano traditam non receperit, capitalis esto. Vicus, oppidum et civitas quaeque demolita templa basilicasque reficito. Pontifices collegiaque sacerdotum pristino more observato et pareto. Christianorum ritus revocato. Profanas cerimonias falsosque Deos exigito, eorum simulacra demolitor. Si quis magnis verisque numinibus ac sacerdotibus maledixerit feceritve, Deûm hominumque hostis esto. Si quis sacra legerit, lecta continuo restituito. Quicunque sacro vel quovis alio humano sanguine manus foedarit, commissa piacula expiato. Ungarus demum quisque caedibus, latrociniis ac caetera denique vi et injuria abstineto. Sanctionem igitur hanc quicunque contempserit adversusve iverit, capitis ac rerum omnium reus esto[3]).

---

[1]) In Chronico Parte Secunda. Cap. XXXIX.
[2]) Rerum Ungar. Decade II. Lib. II. pag. 224.
[3]) ll. cc. pag. 226.

§ XV. Monumentum venerandae antiquitatis res praemissas aliasque illius aevi eximie illustrans placet hic verbotenus exhibere, prout ex archivo Posoniensi exhibitum est, cujus tenor est talis:

Nos, Capitulum Ecclesiae Posoniensis, memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod reverendus dominus Visa, civitatis Gyöngyösiensis capellanus, coram nobis personaliter constitutus exhibuit nobis et praesentavit certas quasdam litteras sancti Ladislai regis Hungariae, Budæ nona Calendas Junii et anno millesimo nonagesimo secundo sub sigillo pendenti secreto et majori in plumbea pyxide ceraque Hispanica impresso, super praeclaris prosapiae ejusdem domini Joannis Visæ gestis, Recognitionales, testimoniales ac titulo officioque ducatus Bosnensis et certis bonis in contextu earundem uberius declaratis perennales, donationales et simul privilegiales cum subscriptione nominis ejusdem beatae memoriae regis collatisque et depictis in superiori earundem margine, more etiam defacto usitato Insignibus, in pergameno patenter confectas et emanatas petens Nos, debita cum instantia, quatenus easdem literas protocollo nostro inseri, deinde transcribi et transumi facientes in transumpto literarum nostrarum eidem extradare non gravaremur. Quarum quidem litterarum tenor et verbalis continentia talis est:

Nos Ladislaus, Dei gratia, Hungariae Bohemiae, Serviae, Dalmatiae, Croatiae, Traciae, Savoniae, Bosnae, utriusque Misiae, Daciae, Jasiae, Moldaviae, Moraviae, Austriae, partium Bulgariae &c. rex. Agnoscimus hunc nostrum, non tantum fidele membris regni nostri instrumentum, verum tanquam commembrum; scimusque eum origenem traxisse a parente suo Kund, qui ex septem primis capitaneis erat unus, quamvis is modo, propter actum qui contigit, cum ad praedecessorem nostrum regem Andream dux Vata petitionem habuisset, ut Hungari, quibus visum foret, possent libere ad cultum suorum antiquorum Deorum redire, cui propter metum imminentem data est a rege authoritas colligere voces magnatum hac sequenti forma: Liberum fiat nec ne, nomen et religio Christi esse visa vel invisa?

Dum vero jam plurimi faverent, alii silerent, ventum est ad hunc fidelem nostrum credibile Christianissimi parentis nostri discipulum: An nomen et religio Christi fiat ad libitum visa nec ne?

Is, uti vivi testes ex ore hujus audita referunt, in eodem praetorio praesentibus his testibus et praedecessore Andrea rege, una duce Vata correspondens Leoni suo, quem acquisiverat ab Attila pro insignio parens hujus, exclamavit dicens: Nomen et religio Christi non relinquatur ad libitum ulli, nulli permittatur ab incepto bono et vestigio parentis nostri Stephani resilire, sed sine respectu omni invitis fiat omnino visa et colatur

ab omnibus, nulli itaque invisa, verum cunctis visa habeatur nomen et religio Christi. Huic magiens ille dux Vata illudere volens, aliorum mentes partim metu, partim vero arte sua eludens, huic nostro fideli, qui antea nomen habebat Kund, affinxit nomen Visa, qui una cum eo ex inferioribus ditionis nostrae finibus erat, ubi plurimi ex concessu præfati praedecessoris nostri ad rogata redierant; is ab omnibus illarum partium finitimis incolis per vexationem Visa vocatur. Hinc nomen istud ita adhaesit, ut praeter magnates nostros nemo sciat eum Kund esse vel fuisse, sed Visa ex fictione ducis Vatæ, vel propter praeclare gesta Corvinum vocitent. Corvinum ex eo, quod sine metu uti ebrius videatur irruere in hostes nostros, quod ipsi authores hujus nominis Corvini fatentur, omnes ejus actus non generositati vel fidelitati, sed vino volunt adscribere, unde illum nolunt laudare ex corde audaci, verum cor ejus volunt nominare bonum vinum, quod primo tunc intelleximus, cum victis Cunis adversus Ruthenos movissemus copias nostras, ubi jam ageremus de victoria cum Ruthenis in secundo prelio ducis Syllae, qui Cunis praebebat adversus nos auxilio consilium, in medio eorum ab hoc nostro fideli decapitati caput ad nostram praesentiam adlatum est. Hinc itaque designamus illi et semini ejus pro insignio leonem in capite coronam Ducatus et in duobus pedibus gestantem gladium robustum, in arena, quod et antecedenter habebat, cui addimus propter actum quem elicuit contra hostes nominis et religionis Salvatoris, veritati illi quam simillimam petram, supra quam collocetur mater omnium nostrum tenens in ulnis diadema, amicta sole et terens lunam pedibus, et jam non Kund, nec nuper ficto Corvino; verum quod zelo erga Deum, fidelitate erga parentem nostrum Stephanum, pietate erga Christum nomen Visa acquisivit, nomine Visa vocari et honorari volumus. Licet noster fidelis habeat pro supplicibus intercessoribus totum coetum optimatum nostrorum, potissimum Nicolaum Opourdum, quem alii Frangepan volunt, qui jurejurando adserit, se non magis per se suosque milites, quam per hunc et hinc milites delegatos Ducatum suum, verbi gratia utriusque Mysiae Coronae nostræ acquisivisse, quem commendarent per acta gloriosa plurima ejus, inferius licet non adaequate enumeranda, partim ex relationibus patrum nostrorum in memoriali bene meritorum repertis, partim experientiis nostris manifestis. Hunc testatur parens noster Stephanus una secum varias subiisse vexationes propter receptam fidem et fortem contra hostem suum domesticum Kupa ducem, a quo dum aciem praefati Ducis usque ad ipsum delevisset, eumque clementer capere vellet, in dextra facie pectoreque simul grande vulnus accepit, cui par et hic reddidit, quod et hodie cicatrices oculis nostris patentes testantur, ex hoc tam militum, quam corporis sui flagello ducis

Kupa testatur se parens noster habuisse pacem cum adversa parte. Hunc nos obligando memorat parens noster, sibi fausta infeliciaque, vere et sine omnibus verborum latibulis omnia tam ea, quae in finibus, quam quae facta et acta in bellis fuere retulisse. Unde plurima pericula testatur se evasisse. Hunc adfirmat parens noster praefatus in finibus ditionis suae inter Idololatras esse oculum suum vigilantissimum, et partium earundem vel potissimum regni Bosnensis optimum instrumentum, dum ageret de conversione animarum, cui et fidelitati suae condignam mercedem testatur se parens praefatus multoties velle designare, praeter hoc quod habeat salarium consiliarii et supremi capitaneatus Ducisque pro tempore regni Bosnensis, sed isto ex eo ruente, quod communiter credatur esse sterilis. Hunc testatur parens noster Decessor, Béla, minari ducem Vata post mortem parentis nostri Stephani dicendo: Pereunte capite et oculus debet perire, quod et confirmavit Dux Magicus per varias insidias huic instructas et alia nefanda quæque in hunc perpetrata. Hunc Béla prædecessor in praefato memoriali refert primum, qui revocavit sensum contra Idololatras et dedisse consilium, quod optimum esset humiliare eos, quomodo et humiliati sunt et potissimum per hunc, ubi inter caeteros et ducem Vata misit ad suos Deos. Unde praeter hoc, quod multi laudabiliter memorant sententiae hujus fidelis nostri eventum, proxime praefatus rex manum suam adpellat et varii ex praedecessoribus exemplum verae fidelitatis asserunt. Hunc et nos habuimus constantem et semper intime fidelem, qui fidelitatem suam sanciens erga nos insidias jam nobis a fratre Salomone patratas variis viis per ducem Ditescum optimo modo nobis retulit, et in quantum eum cernebat laudabiliter remediatus est. Non solum haec sed et alia similia cum advertit, insinuavit, et insinuata dicto modo multoties sanavit. Hic in quadam rebellione ducis Ditesci, quia nobis minaretur, ducem praefatum occidit. Et cum ageremus in Dalmatia, hoc solo in finibus nostris relicto, eruperunt Cuni in Regnum nostrum cum duce suo Kopolchoi, quibus satis restitit, sed praevalentibus eorum viribus coactus est appellare victoriam ad nostras copias, quibus habitis, solus is cum suis triplo plus victoriae reportavit, quam omnes Cuni arripuerant, verbo, uti testatur parens noster Stephanus primus rex et primum lumen Christianae fidei in nobis, testatur (inquam) vitam suam ab hoc fideli nostro Visa de Mata variis viis fuisse custoditam. Ita et nos testamur authoritate regia et veritate Christiana, tribus vicibus ab eodem fuisse vitam nostram defensam, quod et ipse scit et magnatum nostrorum nullus est, quem lateat. Propter haec itaque et ea, quae ab annis plus quam quadraginta usque hodie laudabiliter gessit tam in officio quam extra officium et propter authoritatem parentum et praedecessorum nostrorum et in gratiam

ab iisdem a parente nostro usque ad ultimum benedictionis impositae et contrarietatem benedictionis evitandam, quam conditionate nobis et propter nos omnibus omni tempore successoribus imposuerunt, hæc sequentia: Nempe cujus tempore acquiret tunc Kund, nunc Martinus Visa de Mata filium, sequenti forma imposuere et injunxerunt nobis et omni tempore successoribus, Eum per omne semen ejus ab aliquibus bonis regni nostri, uni primis ex optimatibus nostris integre convenientibus, remunerari. Acquisito itaque in initio regni nostri filio suo Christophoro jam adimplere volumus. Hunc ergo praeter consiliarii et supremi capitaneatus salarium et vice Ducis regni Bosnensis, eum imprimis cum omni semine ejus, et omni retro seculorum tempore Ditionis nostrae vel successorum, non jam magnifica baronum et supremorum capitaneorum; verum illustrissima regnorum nostræ Ditioni conjunctorum supremorum in iisdem Ducum nobilitate fulgere volumus et haereditamus perpetuando eum cum omni semine ejus in quotacunque generatione ejus seminis, vel sedis nostrae ditionis, dando ei et semini ejus pro haereditate arcem Jaytza, caput regni Bosnensis, cum omnibus oppidis, castellis, pagis et caeteris ad eam pertinentibus, confirmamusque hunc fidelem nostrum Martinum Visa de Mata cum omnibus bonis suis, tam ad praefatam arcem pertinentibus et Syrmiensibus et in oppido suo Mata penes Debretzen ad Varadinum, quam in aliis hic non nominatis, et constituimus modo eum supra Ducatum regni Bosnensis, quem teneat et possideat per omnem generationem de semine ad semen. Et si Deo optimo ita placeret, ut aliquando semen hujus una cum corona nostra Ducatu praefato carere deberet, Ducatus Ducatui regni Bosnensis par, hujus semini in quotacunque generatione sedis nostrae, semini hujus adsignetur. Et si etiam comitatus, in quibus habet bona, aliquando in aliqua parte retro seculorum durante, durante Ditione nostra semen hujus praefatis bonis carere cogeretur, vel propter hostes et externas nationes, uti eis oppositus est maxime praefatus Ducatus, vel si in tutores filii redirent hujus, unde invidiosa vel avara impietas, semen hujus in agazones vel alios ex abjectis decrearet, imponimus in benedictione parentum nostrorum huic, in omni seminum generatione utriusque favente Stephani regis primi, Andreae, Belae et nostra Ladislai in omnimoda benedictione Dei et prosperitate regni tam nostri quam successorum. Imponimus, inquam, in omni tempore retro seculorum Ditionis nostrae successoribus et obligamus eos in praefata benedictione et in fide Christiana, quod si praefati casus eventus aliquando accideret, ut dictum est, etiamsi Agazonem ageret semen fidelis nostri de Mata, vel alium quemque abjectissimum ex plebe, quam primum ostenderit has a nobis ei fide sincera datas literas. Item in eadem benedictione praefata regni nostri successorumque

imponimus, illico erigant de stercore pauperem et collocent eum cum principibus, cum principibus populi sui. Pro Ducatu amisso Ducatum similem, pro bonis amissis bona adaequantia praefata bona, et salarium consiliarii et supremi ducis unius Ducatus ex bonis Coronae ad fiscum vel alio modo ad Coronam relabentibus detur. Si vero Ducatu careret regnum, successorum hujus semen haereditabit supremum capitaneatum, seu ut aliae nationes vocant generaleatum, una bonis uni ex primis optimatibus successorum adaequate convenientibus. Haec itaque volumus in benedictione superius jam dicta, et caveant successores, non præstare, quod nos et reges praefati, ex corde sincero bene merito ex obligatione Matris nostrae Christianaque charitate et justitia vera imponere voluimus et statuimus, quia si contrarium sensui nostro et parentum nostrorum facient, sentient contrarietatem et partem oppositam, verbi gratia maledictionem et ruinam regni sui, eadem benedictione et contrarietate imponimus semini hujus Visa de Mata, ne quaerat ullus refugium, quo evitet onus praefati officii, nisi sint plures superstites apti, etiam religiosa vita eos non defendet. Hanc ergo nostram voluntatem et parentum nostrorum consensumque optimatum nostrorum, pro perpetuo bono Martini Visa de Mata et pro emolumento regni nostri et successorum, munimus et stabilimus insignio duorum diadematum, nostro regio in parte dextra et sinistram hujus fidelis insignii commune regni nostri insignium, quod Baronum, verbo omnium optimatum consensum refert, in infima parte Ducis utriusque Mysiae Opourdi testatur praemissa, quod est cum duobus fluviis et Leone Ducatus sui coronato et corona et sigillo donatorio unius Diadematis et petrata cruce duobusque leonibus id tenentibus, cujus extremitates cingentur his verbis: Gratia Regum Hungariae beat fideles. Quod sine ruptura zonae pergamineae vel pyxidis plumbeae indissolubiliter junctum est in pyxide praefata in cera Hispanica. Insignia Martini Visa de Mata ut dixi ea et non alia fient. Extremitates viridi colore, qui designat sedis nostrae sempiternam gratiam Ei, partes mediae rubro, qui promptitudinem ad sanguinis effusionem referret, intime coeruleo, qui reciprocam pietatem ejus et successorum referret, et in omni tempore confirmare vult. Coloribus insigniorum zonae correspondent colores jungentes litteras nostras cum pyxideato sigillo. Editae et confirmatae in urbe sedis nostrae Buda, anno salutis millesimo nonagesimo secundo, nona Calendas Junii in conventu solenni.

Ladislaus. Oblatae ei in Campo electorio nostro Rakos in fine congregationis rerum nunc tractatarum cum optimatibus Quarto Calendas Junii. (L. S.)

Nos itaque justa et legitima praememorati reverendi Domini Joannis Visa petitione inclinati, praeinsertas literas privilegiales, quamvis jam

antiquas et utcunque infectas nihilominus tamen adhuc integras, legibiles, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, omnique prorsus vitio et suspitione carentes, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali, prius inprotocollari, deinde transcribi et transumi facientes, in transumpto praesentium literarum nostrarum jurium ante fati domini Joannis Visa futuram ad cautelam necessarias, sub sigillo nostro capitulari et authentico extradandas duximus et concedendas. Originalibus earundem in conservatorio nostro pro securitate in certa laminea theca penes nos depositis, eidem domino Joanni Visa vel familiae suae hominibus, dum et quando rehabere voluerint, vicissim in specie restituendis. Datum Feria quinta proxima post Dominicam Jubilate. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo quinto.

(L. S.) Lecta in capitulo.

Declarant hae literae varia nascentis apud Hungaros Christianismi fuisse praepedimenta, quae tamen miserentis bonitate Dei tempestive sunt sublata. Pandit quoque pulcherrimam antiquorum Hungariae regum consuetudinem, qui in memoriali optimorum virorum bene facta, more regum Persicorum, remunerandi gratia conscribebant conservabantque libello.

CAPUT OCTAVUM.

De Fabulis, quibus Historia conversionis Hungarorum commaculata est.

§ I. Viam, qua ad Christianam religionem amplectendam Hungari perducti sunt, hactenus brevissime delineavimus. Sed ea luce contenti non sunt illi, qui plus curabant regionis proventum, quam religionis sacramentum. Commenti igitur hic sunt varia miracula, unde regis Stephani sanctimoniam declararent, qui talibus non indigebat adminiculis per sua satis clarus pro Dei gloria exantlata facinora. Ex miraculis tantum Stephani derivabant zelum, quo regnum suum beatae Mariae virgini per eamque Romano pontifici offerret, confirmantes omnia cerebri hic commenta ex literis diu post eam aetatem ad hanc scenam ornandam conformatis. Prodit haec aperte illustris Baronius Romanae columen

ecclesiae, qui ita scribit: Cur Stephanus tantam divinitus revelatam gratiam promeruit, ut alteri paratam coronam acceperit, quod scilicet ipse regnum Hungariae Romanae ecclesiae donavit[1]). Speculemur jam propius figmenta notabiliora.

1. De nativitate Stephani R. filii Geizae.

§ II. *Geizae visio nocturna.* — Nocte dieque Geiza cum in id animum intenderet, qua via Hungaros ad Christianismum deducere posset, ut illi ad perfectam Dei agnotionem pervenire possent, apparuit illi in visione nocturna juvenis forma eximius humanaque excellentior qui ita compellavit: Pax tibi Christi electe! facessat cura isthaec et solicitudo, non fiet per te id quod meditaris. Habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autem tibi filius, qui divinae providentiæ consilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Erit is rex et ex eorum regum numero, quos Dominus elegit coronam regni temporarii aeterna commutaturus. Tu vero hominem spiritali legatione apud te functurum honorifice excipito. Exceptum reverenter habeto, ejus adhortationibus syncerum pii pectoris assensum adhibeto[2]).

Expergefactus somnio ingenti de visione, perfusus est gaudio. Eadem nocte uxori partui vicinae apparuit beatus Levita et protomartyr Stephanus, Levitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans: Confide mulier in Domino et certa esto te filium parituram, cui primo hujus gentis et regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen impones meum. Bonfinius mulierem nominat Saroltham, Transylvani Gyulae filiam[3]), Dlugossi Polonus Adelheidam[4]). At multum ab utrisque differt Ranzanus, qui ita scribit: „Quadam nocte visa est Geizae per quietem mulier pulcherrima, miro circumsepta lumine, quam multae speciosae virgines comitabantur. Ea his ipsum verbis allocuta est:

Bono esto animo Geicha, ego sum Maria illa intacta virgo, quam Christiani homines tibi dixerunt esse Jesu Christi filii Dei matrem. Nosse te volo, filio meo tuum erga ejus cultores animum gratum acceptumque fuisse. Ob honorem igitur, quem illis impendisti, praemia ipse tibi reddet cumulatissima. Et quod nunc te latet scias, te susceptorum ex uxore filium, qui regis appellatione domina-

---

[1]) Ad an. 1000 n°. 19.

[2]) Cartuitius in Vita Stephani, pag. 269.

[3]) Dec. II. Lib. I. pag. 197.

[4]) Histor Polon. Tom. I. pag. 99.

bitur Hungaris eritque veri Dei praecipuus cultor. Ego autem ob ipsius excellentia apud filium meum merita tibi polliceor, fore me regni tui fautricem patronamque praecipuam. Caeterum hoc tibi est cura intentissima agendum. Est in Bohemia vir, morum integritate Christianaque doctrina et ecclesiastica dignitate insignis, Adalbertus nomine. Huic Deus inspiravit mentem et animum, ut veniat in Hungariam, tibi tuæque genti viam consequendae veræ salutis ostensurus: hunc tu humane benigneque suscipito.

Haec ubi dicta sunt imago illa veneranda discessit somnoque Geisa solutus incredibili gaudio laetitiaque afficitur"[1]).

Haec, quae apud Bonfinium, Ranzanum et alios variis circumstantiis sunt vestita, nemo est, qui non videat figmenta legendariorum esse, igiturque B. V. Mariam ad Geizam tanto lumine perfusam cum Comitiva deduxerunt, ut tanto facilius in patronam Hungariae inaugurarent Hungariamque feudum Romanae sedis efficerent.

Non est cur multa in his refutandis adhibeatur diligentia, tenue est figmentum, perlucet. Nec Timon Jesuita sine virgula potuit transmittere censoria[2]). Andreas quoque Schottus fabulis accensuit[3]).

2. De origine Coronae Hungarorum et ejus ad Hungaros missione.

§ III. Summa eorum, quae de Corona Hungarorum traduntur et creduntur, in his consistit. Quod Stephanus dux Hungarorum, quarto a parentis Geizae mortis anno, Anastasium vel Astricum abbatem Romam ablegavit, qui regnum Hungariae pontifici offerret benedictionemque Hungaris recenter ad Christianismum conversis impetraret, Stephano vero regis titulum, quo majori fructu ad perfectionem bonum opus jam inchoatum deduceret. Legatus iter ingressus continuavit Romam versus, qui priusquam designatum attigisset portum, angelus summo pontifici apparuit tali nuncio: Noveris cras hora diei prima ignotae gentis nuncios ad te venturos, suo Duci coronam regiam et apostolicae benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergo coronam, quam parari jussisti, illis incunctanter tribue ad ipsorum ducem eam asportaturis, nec dubites illi eam cum regni gloria pro vitae ejus meritis deberi. Sequenti igitur die adfuit Astricus Romae, qui ingenti gaudio exceptus tum a pontifice, tum vero a cardinalibus, cui transposuit coronam alteri paratam et crucem duplicatam, quam ante se deferri curaret

---

[1]) Indice VIII. pag. 221.
[2]) In Imagine Hung. Ant. Lib. III Cap. VIII pag. 399.
[3]) In Prussia Christiana pag. 48.

in signum apostolatus cum dicto: Ego sum apostolicus, at ille merito Christi apostolus dici potest, cujus opera tantum populum Christus acquisivit. Cum hac igitur corona Stephanus accepit regium titulum et potestatem a Romano pontifice [1]).

Hæc ita a doctis indoctisque hodie passim scribuntur et creduntur. Fundamentum vero si quaeramus tantae molis non aliud inveniemus, quam quasdam literas sub nomine Sylvestri secundi confictas, ad hanc comoediam exornandam duci Stephano velut Roma missas. Quarum tenor sequitur hoc modo:

Sylvester episcopus servus servorum Dei, Stephano Duci Ungarorum salutem et apostolicam benedictionem.

Legati nobilitatis tuæ, in primis vero carissimus confrater noster Astricus, venerabilis Colocensis episcopus, tanto majori laetitia cor nostrum affecerunt ac minori officium suum labore confecerunt, quanto divinitus praemoniti cupidissimo animo illorum adventum de ignota nobis gente praestolabamur. Felix legatio, quae coelesti praeventa nuncio atque angelico pertractata ministerio, prius Dei conclusa est decreto, quam a nobis audita fuisset. Vere non volentis neque currentis, sed secundum apostolum miserentis est Dei, qui teste Daniele mutat tempora et aetates, transfert regna atque constituit, revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta; quia lux cum eo est, quæ, sicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Primum ergo gratias agimus Deo Patri et Domino nostro Jesu Christo, qui temporibus nostris invenit sibi David filium Geysae, hominem secundum cor suum et luce irradiatum coelesti, suscitavit illum pascere Israel populum suum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem sublimitatis tuae in Deum et reverentiam erga sedem apostolicam, cui divina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio, praesidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, apostolorum principi regnum ac gentem, cujus dux es, cunctaque tua ac teipsum per eosdem legatos et literas perpetuum obtulisti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte testatus es et revera talem te merito esse demonstrasti, qualem ut nos te declarare dignaremur studiose expetivisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot ac talia præclare pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipse commendat, amplius commendemus. Quare gloriose fili! cuncta a nobis et sede apostolica expostulata, diadema nomenque regium, Strigoniensem metropolim et reliquos episcopatus de omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus authori-

---

[1]) Conferatur Surius in Vita S. Stephani p. 271 Bonf. Dec. II Lib. 1, pag. 203.

tate, praemonente atque ita jubente eodem omnipotente Deo, cum apostolica et nostra benedictione libenter concessimus, concedimus et impertimur. Regnum quoque a munificentia tua s. Petro oblatum teque una ac gentem et nationem Ungaricam praesentem et futuram sub protectionem sanctae Romanae ecclesiae acceptantes, prudentiae tuae, haeredibus ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum ac possidendum reddimus ac conferimus. Qui quidem haeredes ac succesores tui quicunque, postea quam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis et successoribus nostris per se vel per legatos debitam obedientiam ac reverentiam exhibere seque sanctae Romanae ecclesiae, quae subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos, subditos esse ostendere atque in catholica fide Christique Domini ac Salvatoris nostri religione firmiter perseverare eandemque promovere. Et quia nobilitas tua apostolorum gloriam aemulando apostolicum munus Christum praedicando ejusque fidem propagando gerere non est dedignata nostrasque et sacerdotii vices supplere studuit atque apostolorum principem prae cæteris singulariter honorare; idcirco et nos singulari insuper privilegio Excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, haeredes ac successores tuos legitimos, qui sicut dictum est electi atque a sede apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut postquam tu et illi corona quam mittimus, rite juxta formulam legatis tuis traditam, coronatus vel coronati extiteritis, crucem ante te Apostolatus insigne gestare facere possis et valeas atque illi possint valeantque, et secundum quod divina gratia te et illos docuerit ecclesias regni tui praesentes et futuras nostra ac successorum nostrorum vice disponere atque ordinare, Apostolica authoritate similiter concessimus, volumus et rogamus, sicut in aliis literis, quae in communi ad te optimatesque regni et cunctum fidelem populum per nuncium nostrum quem ad te dirigimus deferendis, plenius haec omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui te de utero matris tuae vocavit nomine tuo ad regnum et coronam, quique diadema, quod duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandavit; augeat incrementa frugum justitiae suae, novellas plantas regni sui rore suae benedictionis perfundat largiter, regnum tuum tibi teque regno servet incolumem, ab hostibus visibilibus et invisibilibus protegat, ac post terreni regni molestias in coelesti regno corona adornet aeterna. Datum Romae VI Kal. April. Indictione XIII id est anno M. die vero XXVII Martii[1]).

---

[1]) Belius in Notitia Hungariae pag. 323 L. Turotzi in Ungaria p. 116.

Hae sunt literae, quibus fundatur conversionis Hungarorum ad fidem Christianam, missionis sacrae coronae Hungaricae ac praetensionis paparum ad regnum Hungariae historia. Qualem autem habeant authentiam infra examinabimus.

3. De origine Patronatus B. V. Mariae in Hungaria.

§ IV. *B. V. M. Patrona Hungariae.* — Jam diu est, quod affirmant plurimi Stephanum Hungariae regem regnum suum obtulisse in patrocinium B. V. Mariae. Ita Laurentius Surius: seipsum quoque et regnum suum per votum et oblationem in perpetuae virginis Mariae tutelam assiduis precibus contulit. Cujus sacratissimae virginis honor et gloria tam est celebris apud Hungaros, ut festum assumptionis ejus tacito proprio nomine sua lingua diem dominae appellent[1]). Haec quoque Bonfinius stilo a Livio mutuato tradit: „Assiduis divam virginem precibus (Stephanus) exoravit, ut se suumque regnum perpetuo magna mater patrocinio tueretur, cujus tutelae ac potestati se Ungarosque omnes addixerat, omniaque suorum fortunasque dicaverat. Quin etiam illud solenne promulgavit edictum, ut omnes diem beatae virginis, quo inter divos relata fuit, inter celebratissimos haberent Dominæque diem appellarent ac caetera ejus festa jejunius et singulari solemnitate transigerent. Hanc demum peculiarem sibi Deam pientissimamque patronam in coelo terrisque ducerent[2]). Ita Bonfinius habet, qui vixit circa exitum seculi decimi quinti. Ad ejus verba Stiltingus sequentem adhibuit crisim in Vita S. Stephani pag. 116: Commodo sensu intelligenda sunt verba scriptoris hujus, qui subinde verba mutuatur a paganis iisque utitur in significatione impropria aut certe inusitata in ecclesia. Ita quoque Surius monachus, qui diu post ejus aetatem scripsit. Ex his alii pleno alveo in suos derivarunt commentarios. Lad. Turotzi in tantum discrepat quatenus refert, quam Stephanus dominam, Ladislaus rex appellavit patronam regni Hungariae.

Ast Stephanum Hungariae regem ita sensisse nullum ejus extat vestigium vel apud antiquiores rerum scriptores vel vero in ejus decretis, imo contraria omnia in iis apparent. Illum non alium in coelo vel terra quaesivisse patronum, nisi solum Deum Patrem, Filium et Sp. Sanctum; hunc sibi et filio suo solum proponit colendum et adorandum[3]). Quamvis autem Hungaros in initio Christianismi sui sanctissimam virginem Mariam

---

[1]) In Vita S. Stephani pag. 273.
[2]) Bonf. Dec. II Lib. 1 pag. 208.
[3]) In Decret. ab initio et Lib. I. Cap. IX.

velut peculiarem patronam ad formam modernae consuetudinis coluisse ex ejus aevi monumentis non appareat, nec in tutelam aliorum sanctorum se commendasse, invaluit tamen sat propere apud eos a recto tramite deviantes ex ignorantia errata superstitio, cujus mater est zelus luminis orbus, fervor sine doctrina.

§ V. *Sanctus Ladislaus Patronus Hung.* — Cum tempore patronum adoptarunt Hungari Ladislaum, ejus nominis primum regem Hungariae, ob egregias virtutes Sanctum dictum, qui regnare coepit anno 1077. Hujus effigie monetas signabant reges cum inscriptione Sanctus Ladislaus; ab altera vero parte regni et sua insignia, effigiem ac nomina caelabant usque ad Wladislaum Polonum, qui primus observatur exeunte seculo decimo quinto B. M. virginis infantem in ulnis gestantis imaginem monetis induxisse, conservata Ladislai quoque effigie ab altera parte [1]). Verum a temporibus Rodolphi regis, cui emortualis annus fuit 1612, Ladislai icone et nomine praetermisso sua nomina reges ab una ponunt, ab alia vero in Ducatis aureis B. Virginis cum inscriptione Patrona Regni Hungariae. Venerabantur ergo antiqui Hungari patronum sanctum Ladislaum [2]) et aliquando etiam Ludovicum [3]). De Ladislao ad augendam sanctitatis ejus famam tradit Turotzius Jesuita: „Primus gladio jungit corollam beatissimae virginis, et Martialem hactenus populum Marianum efficit militem. Primus item ejusdem Magnæ Dominae effigiem infert auro Ungarico et quam D Stephanus dominam nominaverat, patronam dicit regni Ungariae. Rex undique Marianus sed et Thaumaturgus in lapides vertit aurum argentumve, saxa in fontes liquat et flumina, famem militum adductis per preces cervis et bubalis sedat, infinita id genus alia vivus ac mortuus agit [4]). De Rosario quæ narrat, verum esse non potest, si inventor ejus sit Dominicus Calaguritanus, praedicatorum pater ex mente Dominicanorum, qui vixit longe post tempora Ladislai. Unde habent, quæ narrant fabulis simillima, apud antiquos eorum mentio est nulla. In literis etiam ad Eugenium pontificem anno 1446 datis Hungarica nobilitas in Comitatu Bihariensi vocat regem Ladislaum patronum suum, cujus praesidio tuta esset. Vide scriptores rerum. Hungar. Tom. II pag. 26 Epistol. IX Johan. de Zredna.

§ VI. Obvertere haec tradenti possis: Hodie sanctissima ac b. virgo habetur pro patrona regni Hungariae: id vero novum non est, cum

---

[1]) Jac. a Mellen series Regum Hung. e numis pag. 30.
[2]) Beesman, de Dignit. Tit. VIII Cap. III § 6 pag. 822.
[3]) Sibelius ad Psalm XVI pag. 63.
[4]) In Ungaria sua pag. 219.

Bonfinius quoque jam eo titulo saepius eam ornaverit? Quamvis apud Bonfinium, res gestas Hungarorum antiquiores describentem, ita saepe denominatam reperias, tamen fieri potest titulum illum non adeo antiquum esse. Ludovicus ejus nominis decimus tertius Galliae rex adoptavit in Galliae patronam B. Virginem ejusque tutelae suum commendavit regnum. Wladislaus Poloniae rex praeterito seculo Poloniae regnum in patrocinium M. Virginis obtulit eamque patronam Poloniae esse voluit. Si quis jam res Gallicas aut Polonicas stilo nunc recepto mansuris mandaret tabulis antiquisque attribueret modernorum acta, inde non sequeretur Gallos seculo quinto, Polonos decimo patronam veneratos B. Virginem. Parium par est ratio. Patrocinium illud recentius est tempore Stephani, etsi post ejus aetatem non ita diu invalescere sensim coeperit.

Quod Bonfinium attinet, ille sequitur in omnibus etiam erroribus magistrum Turotzium[1]), unde sua hausit; alii ex utrisque et ita error errorum cumulum secum traxit. Jam olim de his questus est vir doctissimus Joannes Decius, qui institut. Imp. et Ungarici Juris Claudiopoli 1593 edidit, quod Ranzanus et Bonfinius Itali multis superstitionibus Italicis historiam Hungarorum commacularunt. Eorum rursus scripta pro genio suo interpolata edidit Samboki. Atque ita fabulis fabulas annectentes et ex corruptis fontibus corruptiores aquas haurientes, hanc induxerunt rerum faciem, quae jam apparet.

Verba Detsii digna puto, quae hic legantur, qui ita scribit: „Si unus quidam scriptor barbarus nomine Marcus majorum nostrorum originem ac res gestas in adversaria non retulisset, peregrini certe ac hospites in ipso natali solo esse cogeremur. Ex eo enim Thurocius materiam scribendi sumpsit omnem, sed ita horrido, barbaro ac poetico sermonis genere usus, ut tenebras potius historiae, quam patriae gloriam suo studio conciliare voluisse videatur. Ejus vestigia secuti Petrus Ranzanus, Antonius Bonfinius, homines peregrini, qui tot anilibus fabulis ac rebus exoticis obscurarunt veritatem Historiae nostrae, ut dolendum sit, aliquem e nostris, qui curam ejus rei suscepisset, hactenus inventum non esse. Præsertim cum Joannes Sambucus, homo ut nihil aliud dicam de historia Ungarica male meritus, etiam ea quae ab illis peregrinis alioquin auctoribus vere ac simpliciter memoriae posteritatis commendata fuerant, tam turpiter favore partis alterius corruperit. Quo magis laudanda et omnibus praeconiis celebranda est liberalitas, opera ac industria eorum, qui paralipomena rerum Ungaricarum Bonfinio attexere conantur. Sed ut mea quidem fert

---

[1]) Carolus A. Belius in Dissert. de Maria Regina pag. 22. Czwittinger in Censur. Bonfini pag. 89.

opinio ad perfectionem antiquitatis nostri hoc desideratur, ut collatis omnibus omnium in hoc genere scriptorum monumentis ac figmentis, universa rerum Hungaricarum historia vere breviter ac pure inde usque a primordio ad hanc nostram memoriam in unum quoddam corpus ac breve compendium redigatur et quidem redigatur a nostratibus, ne semper accersita peregrinorum industria nostram orbi accuset infantiam ac negligentiam plusquam certe barbaram. Hoc si aut mihi unquam facere licuerit, quod jam diu cogito et non exiguis laboribus molior, aut quispiam me vel impedito occuparet vel mortuo effecerit, is certe non solum studiis eorum qui sapientiae studiis delectantur, sed etiam universae patriae summe necessariam atque gloriosam praestitent operam"[1]). Neque Jesuita Joannes Stiltingus Bolandi continuator scriptoribus his rerum Ungaricarum plenam adhibet fidem, qui ita loquitur: „Seculum XV tres produxit rerum Hungaricarum scriptores, qui de gestis S. Stephani uberius disputarunt. Hi sunt Antonius Bonfinius, Joannes Thuroczius et Petrus Ranzanus, qui omnes claruerunt regnante Matthia Corvino sub finem seculi XV. In Chronotaxi vero omnes illi tres minime sunt accurati. Hac de causa horum scriptorum asserta hic allegabimus, ut simul examinaturi simus, quam recte congruant cum antiquioribus monumentis, quamque aliunde certa videantur aut probabilia. Nam certum est hosce subinde a vero aberrasse; sed non omnia idcirco repudianda sunt, cum multa etiam vera narraverint[2]).

CAPUT NONUM.

De eo, quod tempore conversionis Hungarorum Corona Hungarica, Regia Dignitas, Apostolicus Titulus Roma non sint arcessita ac accepta.

§ I. *Error antiquus reliquus.* — Absque testimonio fide digno aliquid in historia affirmare frustraneum est. Etsi enim antiqua sit aliqua, quae invaluit consuetudo, si in veritate fundamentum non habeat, nil nisi vetustas erit erroris, quam prudentior non amplius sustinebit

---

[1]) In Præfat. Syntagmatis Institutionum Juris Imperialis et Ungarici an. 1593.
[2]) In Vita S. Stephani Hung. Regis pag. 8 et 9.

defendere, quam errorem esse animadverterit. Coronam Hungaricam Romae esse confectam, indeque cum regia dignitate et titulo a Stephano expetitam acceptamque, docti indoctique fere pari passu affirmant.

§ II. *Coronam Hung. quis in Hungariam miserit eaque Steph. donaverit.* — Quis coronam Roma in Hungariam deferri jusserit eaque Ducem Stephanum donaverit? variant scriptores. Baronius plurimis contendit verbis Adalbertum mandato Romani pontificis in Hungariam ad convertendos Hungaros missum. Quis autem tunc Romana sederit in Cathedra? Platina dicit Donum Secundum: „Adalbertus Bohemus Pragensis episcopus tantae sanctitatis tum habitus est, ut divino spiritu impellente in Pannoniam descendens et regem Hungarorum baptizaverit et omnes provinciae episcopos ad bene de Deo promerendum exemplo et vita instruxerit" [1]). Erant ergo ante Adalberti adventum in Hungaria episcopi. Hic Donus vel Donnus sedit Romae anno 973 sub effluxu trium mensium ex mente Petavii [2]). Bonfinius scribit quarto post fata Geizae anno Astricum Romam a Stephano expeditum ad Benedictum pontificem maximum [3]). Hunc Benedictum Aventinus dicit sextum, qui ad pontificatum anno 973 promotus, nono pontificatus mense à Bonifacio in ejus locum subrepere volente carceri conclusus ac gula elisa mori jussus [4]). Jordanus scriptor Bohemus Benedictum fuisse septimum asserit [5]) qui juxta Petavium sedem Romanam occupavit anno 974. Huic quoque defert coronam Roma missam. Praefatio quoque antiqua Decretis Stephani praemissa in Corpore Juris Hungarici, ubi ita: „Sanctus Stephanus filius Geysae, filii Toxis, primus rex et apostolus Ungarorum, natus Strigonii anno salutiferi partus nongentesimo sexagesimo nono, patre e vivis sublato, regnat et Ungaros relicta idololatria ad fidem Christi convertit. Episcopatus et templa magnifica erexit et ea spectatae sanctimoniae viris undique ex omni ordine cleri in regnum accitis illustravit, quibus totius regni decimas contulit et varie distribuit. Huic Benedictus septimus pontifex maximus anno nongentesimo octogesimo tertio, angelico monitus oraculo, Coronam misit et per legatum suum inungi et solemni pompa coronari fecit [6]). Hanc sententiam sequitur celebris in Hungaria juris consultus, Stephanus Huszti, qui Stephani regis coronationem refert ad

---

[1]) In Vita Doni 2di, pag. 343.

[2]) In Successione Pontificum, pag. 139.

[3]) Bonf. Dec. II. Lib. I. p. 203.

[4]) Petavius ll. cc.

[5]) In Notis ad Hist. Bohemicam Dubravii, pag. 155. Sarnicius in Annal. Polonicis, Lib. VI. Cap. V.

[6]) In Corpore Juris Hung. pag. 1.

annum 983. Est, qui deferat hanc gloriam Bonifacio Benedictum in carcere mori jubenti[1]); est qui Gregorio quinto[2]), qui sedem occupaverat anno 996: ad ejus quoque aetatem refert Petavius Hungarorum conversionem[3]). Ex modernis plures deferunt Sylvestro secundo regnum anno 999 occupanti, cujus literas superius dedimus. Haec clare ostendunt esse hic omnia incerta: ex incertis autem qui certum deduxerit Argo oportet eum esse oculatiorem.

§ III. *Sylvestri literæ examinandæ.* — Examinanda jam erit Sylvestri literarum authentia, in qua fundant sententiam scriptores moderni. Hae sunt literae, quas Sylvester absque dubio vidit unquam; cum certissimum hoc sit ante Inchofferum Jezuitam, nemo ejus meminerit. Magister Thurotzi qui aetate omnes antecellit, quorum scripta de rebus Hungaricis supersunt, ejus non meminit. Neque Bonfinius, quam si ejus aetate extitisset minime referre neglexisset.

In ejus rationem jussu regis Matthiae capitula et archiva excussa sunt. Faciebat ad ejus scopum maxime, qui tamen missionem coronae in Hungariam attribuit Benedicto. Melchior Inchoffer Jesuita est, qui primus edidit Romae (ipse vita excessit anno 1648) de quibus scribit ex archivo Traguriensi ad se missas, scriptas autem fuisse a Christo nato mille annis, conservatas vero inter literas ibidem ejus ævi. Verum Joannes Lucius Dalmata, qui propius Tragurio adhabitabat, ita scribit: Compertum mihi et notissimum est illam, quam ipse Inchofferus refert, Sylvestri papae epistolam anno M. Stephano duci Hungariae scriptam in archivo Traguriensis ecclesiae non reperiri, cum diligentissime a me recensitum sit, neque in eo ullam antiquiorem scripturam anno 1185 reperiri. Unde ergo habuerit et ediderit Inchoffer? ipse noverit haud dubio, quod dissimulavit, e tabulario vaticano.

§ IV. *Stephanus rex.* — Materia literarum arguit sequiorem ætatem in formulis, quibus investita est. At scriptor suo scopo conformabat, ut esset apta ad ludendam comoediam in theatro Europaeo. Tradit Stephanum non regem, verum Hungarorum ducem; persuadere enim conatur regium titulum ac dignitatem a Romano pontifice accepisse Stephanum ejusque successores. Scribitur etiam Stephanus primus Ungarorum rex. Quod concedi in tantum potest, quatenus Hungarorum conversionem ad perfectionem deduxit, ecclesias in ordinem redegit tantumque pro Christiana religione laboris solus praestitit, quan-

---

[1]) In Proemio Comment. ad jus Hung. p. II.
[2]) Balbinus et Bucellinus apud Smeizel de Coronis, pag. 207.
[3]) Rationar. Part. I. Lib. VIII. Cap. XVII, pag. 361.
[4]) In Notis ad Marci Marulli Hieronymum, pag. 459*b*.

tum non omnes ejus praedecessores. Igitur non abs re primus in catalogo regum ponitur, qui primus inter Hungariae reges sine controversia Christianus fuit. Rex tamen primus Hungariae non fuit; si enim attenderis ad scriptores tam exteros quam domesticos, Stephani quoque decessores aeque reges appellantur[1]) Geiza, Toxus, Salardus, Attila et alii. Imo ipse Otto M. Imperator Geizam appellat regem, minime facturum ni talis fuerit; literae istae sic ad Pilgrinum sonant:

Otto Dei gratia imperator augustus Piligrino venerabili Pataviensis ecclesiae episcopo salutem et gratiam. Brunonem episcopum vestrae mittimus et committimus delectioni, ut quibuscunque apud vos indiguerit utensilibus abundantissime adjuvetur, et tam vestris hominibus, quam et caballis aliisque in itinere rebus necessariis quanto propius possit Ungrorum confinio honorifice ac cautissime perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quo rex eorundem nostro quam propere arbitrio sic colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc citissime fieri legationem: nam si ut apud nos sedet prosperabitur, vobis in hoc vestrisque omnibus admodum consuletur. Dedit literas Joannes Stiltingus in Vita S. Steph. H. R. pag. 31. Vivente adhuc Geiza Stephanum in regem esse electum a regni proceribus Bonfinius[2]) clare testatur. Tunc Geiza filium, regnum et Christianam religionem in fidem et tutelam procerum commendavit; imo cum filium inaugurari cerneret, ingenti perfusus gaudio pius senex regni contributiones relaxavit. Rex ergo, non tantum Dux erat Stephanus anno, quo hae finguntur literae ad Stephanum exaratae, quarto enim post excessum e vita Geizae anno fingitur legatio ista Romam.

Sunt inter scriptores rerum Alemannicarum, qui tradant Stephanum regiam dignitatem ab imperatore Germanorum accepisse[3]). At insulse satis fatente Struvio qui ita loquitur: De Hungariae regibus idem dicitur, quod dignitatem suam imperatoriae debeant majestati, cum tamen prima ejusdem fundamenta potius populi consensu Stephanus primus rex ipse jecisse videatur[4]).

Alii ita distinguunt: dignitatem Stephanus regiam habuit a populo, titulum et majestatem a Caesare, coronam vero a pontifice Romano[5]). Verum hac ratiocinatione non indigemus, cum Stephani pater et avus caeterique majores fuerunt reges. Illi unde suam

---

[1]) Bonf. Dec. I. Lib. X. Cromer, Dlugossi.
[2]) Bonfin. Dec. II. Lib. I. pag. 198.
[3]) Jony in Diss. de Auspicio Regio, pag. 10.
[4]) Struvius in Jure Publ. Imp. Cap. IV. § XIV. pag. 135.
[5]) Ludwig de Jure Reges appellandi, pag. 56.

habuerunt dignitatem, titulum et majestatem? Non aliunde, quam a communitate. Ita Werbötzius: „Postquam inspirante spiritus sancti gratia, ad agnitionem veritatis Catholicaeque fidei professionem, opera ipsius sancti regis nostri, Hungari venere et eundem sponte in regem elegere pariter et coronavere, omnis nobilitationis et ex consequenti possessionariae collationis, qua nobiles decorantur et ab ignobilibus segregantur, facultas plenariaque potestas in jurisdictionem sacrae coronae regni hujus et per consequens in principem ac regem nostrum a Communitate et Communitatis auctoritate simul cum imperio et regimine translata est[1]).

§ V. *Hungari gens ignota esse non possunt.* — Legatum Hungarorum Angelus praemonitor pontificis pronunciat de ignota gente advenisse. At, quomodo gens ignota Hungari ea aetate? quorum tot extabant monumenta in Italia et Germania, quot urbes et loca notabiliora, quibus sæpe sæpius vastitatem induxerant. Insuper multis jam annis ante aetatem Stephani magna Hungarorum pars Christianam sequebatur religionem, Astricus legatus jam Colocensis episcopus nominatur et alios fuisse in Hungaria episcopatus affirmatur. Nonne auditum hoc erat Romae? Gentem hactenus idolis inservientem ad Christum rediisse.

Quid ergo de Geiza Pilgrini literae ad Benedictum nunciabant? Quot sententiae in iis literis, si ad unguem omnia resecare conemur, tot sunt contradictiones historicae. Pro fabula etiam Dlugossus habet, qui ita scribit: Apparitionem ab Hungaris Angelicam, quo coronae missio eis a Benedicto papa facta foret celebrior, confictam et somniatam esse, quam etiam in hanc diem parum justa appellatione sanctam vocant[2]).

§ VI. Scribitur in praetensis Sylvestri papae literis: nos inquit singulari insuper privilegio excellentiam tuam tuorumque intuitu haeredes ac successores tuos legitimos, qui sicut dictum est electi et a sede apostolica approbati fuerint.

Contraria haec sunt historiis et consuetudinibus Hungarorum, qui circumspecti semper attendebant in idque enitebantur, ne praetensionem in Hungariam formare posset Romanus pontifex. Rejecerunt et eum, quem solummodo commendabat in regem. Mortuo enim rege Andrea Tertio Romanus pontifex Hungaris commendabat Carolum, Siciliae regem Hungaro sanguine ortum. Verum archiepiscopus Colocensis (sede Strigoniensi vacante), Agriensis, Vaciensis, Varadiensis, Tsanadiensis,

---

[1]) Tripart. Part. I. Tit. III. § 6.
[2]) Histor. Polonicae Lib. II.

Boznensis, Scepusiensis episcopi cum maxima procerum ac baronum parte elegerunt, inque Hungariam deductum coronarunt Wenceslaum Bohemum addita ratione: ne regni liberi libertatem amitterent in susceptione per ecclesiam dati regis[1]). Haec non quadrant cum literis Sylvestri, nolunt regem ab ecclesia commendatum ne libertatem amittant, quam tamen secundum eos non habuissent. Cum anno 1279 legatus pontificis Philippus Firmanus Ladislaum regem ob excessus graves sacris arcere vellet affirmaretque coronam Hungariae Stephano Hung. regi Roma missam, tantopere Hungarorum animos offendit, ut conviciis laceratus igni aquaque interdictam* Budaque facessere jussus sit[2]). Contrariantur haec etiam facto Clementis XIII, qui in litteris anno 1758 d. 19 Aug. editis ita scribit: „Habent hoc etiam Hungariae reges, ut a plerisque omnibus isthic „appellatione certe magnifica et gloriosa reges apostolici salutari et „nominari soleant. Cujus quidem sive consuetudinis sive pri„vilegii fons et caput ignoratur. Eapropter motu proprio et „certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque pontificiae aucto„ritatis plenitudine majestatem suam apostolicam tanquam Hungariae „reginam suosque in illo regno successores titulo, appellatione, nomine „apostolici regis harum vi litterarum in forma Brevis ornamus, honesta„mus, condecoramus, insignimus atque etiam ab omnibus Te quidem „reginam apostolicam, tuos vero in Hungarico regno successores reges „apostolicos nominari, appellari, inscribi, salutari ac tractari mandamus".

§ VII. *Pontifex non potest episcopos dare Hungaris.* — Non modo regem, sed ne episcopum quidem Hungaris dare papa potest. Quanta cum parrhesia et acrimonia Matthias gloriosus Hungarorum rex de his ad cardinalem Arragoniæ scribat, docent ejus literae ita sonantes: „Profecto dolemus nos post multos et assiduos labores, quos sine intermissione de fide et defensione Christiana suscipimus, saepius a pontifice a quo aliam gratiam mereremur conturbati et antequam justitia nostra cognoscatur ipsum in aliorum transire sententiam. Fuit et hoc nobis grave, quod jus nostrum, quod in electionibus praelatorum regni nostri a praedecessoribus nostris regibus devolutum ad nos, turbare voluit, cupiens aliis cum nostro praejudicio et juris nostri detrimento de episcopatu Modrusiensi, qui ad nostram electionem semper pertinuit et pertinet, complacere. Nec considerat quantum nobis ea res praejudicii inferat et quam impossibile sit nobis, in ea re ponti-

---

[1]) Thurotzi in Chronico Cap. LXXXIV pag. 81.

[2]) Bodin Lib. I Cap. IX apud Smeizel de Coronis p. 129, 231 Confer. Peterfi in Concil. Hung. T. I. pag. 96.

* interdictus (ed.)

fici morem gerere et id tolerare. Credimus id non faceret, si sciret quanti momenti ea res apud nos Hungaros reputatur. Quod quidem in his diebus patuit, cum certos regnicolas harum partium feceramus convenire, a quibus tanti clamores contra nos sunt habiti, quod nos jura nostra negligamus, ut profecto veriti simus, ne populus omnis in seditionem verteretur. Et ut aperte cognoscat, certo scire pontifex debet duplicatam illam crucem, quod regni nostri est insigne, gentem Hungaricam libentius triplicare, quam in id consentire, ut beneficia et praelaturae ad jus coronæ spectantes apud sedem apostolicam conferantur"[1]). In beneficiorum ecclesiasticorum collationibus summus pontifex in Hungaria nullam juris dictionem exercere potest, præter conformationis auctoritatem[2]), quoniam ibi nec praedicando Christianitatem propagavit, nec ecclesias fundavit, sed ipse rex fuit quoque apostolus regni. Si ergo nullam in episcopos habeat authoritatem; multo minus in regem, quem ipsi libere eligunt, coronant, cui Communitas defert authoritatem et majestatem[3]).

§ VIII. Scribit fictus Sylvester: diadema quod duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum (Deus) mandavit. Hic jam in ipso facto deprehensus auribus tenetur. Confectum enim per Sylvestrum in rationem Ducis Polonorum Micislai sub id tempus Christianismum amplectentis, refert. Atqui ex coronae forma, praeparatura, caelatis in ea Graecorum imperatorum imaginibus, characteribus Graecis, extra controversiam positum est Sylvestri opus non esse, sed operis Graeci. Timon ita de ea: Coronam Hungaricam ob characteres Graecos, qui in ea conspiciuntur, ob imaginem Constantini Magni crucemque ejus insigne coelatam in illa eam ipsam esse, quam imperator Christianissimus Sylv. 1 Pontifici donaverat, adstruit pluribus Petrus de Rewa[4]).

Plenissime coronam Hungaricam describere poterat Petrus de Rewa comes Turocensis custos ejusdem coronae, qui in opere anno 1620 edito ita tradit: „Est itaque forma s. Coronae, auro solido, artificio sculpturae magis coelesti quam humano in orbem fusa, a cujus latiore circumferentia pariter primae florentes forma triangulari circumeminent, quatuor angulis rectis, absides se mutuo intersecantes desinunt in crucem. In ipsa vero circumferentia, a fronte recta, imago Sal-

---

[1]) Apud Rewam Cent. V pag. 45.
[2]) Werbötzy Tripart. Part. 1. Tit. XI.
[3]) Werbötzy P. 1. Tit. III § 6.
[4]) Timon in Epitome Chronol. Hung. p. 1.

vatoris nostri pomum tenentis, ex adverso divae matris virginis, et deinde sacerrimus apostolorum ordo, regumque ac imperatorum martyrumque Christianorum, ut videre licet literis Graecis cujuslibet imaginis species, aureis vultibus ac propriis trophæis per corpus totum usque ad crucem summam mutuo consequuntur, interjectis cuilibet imagini gemmis ac unionibus candicantibus, item preciosioribus lapidibus, smaragdo, sapphiro, hyacintho, crysolyto, rubino" [1]). Hoc modo formam coronae pingit, ubi post discursus vanos et conjecturam propriam, quatenus conjicit a Constantino Magno donatam Sylvestro primo, unde venerit ad manus Sylv. secundi. Post multa pergit: „Quod si pontifex (sive fuerit ille Benedictus septimus sive Sylvester secundus) dictum diadema fieri curasset, tum habuisset causam propter quam a characteribus linguae Graecae in opere proprio abhorreret. Gentem enim Graecam, imo terram et linguam ipsorum ob schisma et divortium a Romana religione factum graviter oderat, eo magis quod toties per pontifices tentata concordia nullo pacto ad conformitatem fidei reduci poterant. Quin potius pontifex velut opus suum literis Latinis atque nominibus Romanis imaginibusque exornasset, quo et beneficium donumque potestati Romanae et genti conforme illustrius fuisset, praesertim cum Romani insita ambitione et gloria templa, columnas, trophaea aliaque monumenta, tota Romani magnitudine imperii, non nisi priscis Romanis Latinisque literis ubique insignire et consecrare solebant. Et quod magis ad probandam rei veritatem evidentius, quam communis rerum discretio per notas vel possessoris vel autoris proprias, si quidem hic et imago Constantini est et insigne ejusdem crux invenitur. Quod si inventionis et operae pontificis corona esset, tum sine dubio pontificum insigne, corpori suo impressum, firmiter ostentaret, ut monumentum tam excellens autori suo sine hæsitatione adscriberetur. Tales tamen pontificiae dignitatis notae in Corona nusquam visuntur; sicut eas in pomo adjuncto Coronae clenodio ab una parte (ab altera vero insigne regni Hungariae) invenire licet. Quod si itaque utrumque et corona et pomum, uni et eidem authori imputetur, tum nullum est dubium, quin in nobiliori opere majestatem regibus conferente, pontifex suum insigne exprimi curasset" [2]). Haec sunt verba Rewaiana, quæ nemo unus ad hunc usque diem refutavit neque refutaturus est, quo usque corona Hungarorum literas Græcas, imagines ac characteres ostentabit. Si autem hæc vera sint, literae

[1]) Centuria VII. pag. 143.
[2]) Idem II. a. pag. 142.

Sylvestri docentes Coronae praeparationem Romae factam nullo fundamento innixae in figmentorum classem erunt relegandae. Cum coronam talem prout P. de Rewa descripsit abnegare non posset, quaesivit tamen, quo se suaque expediret Joannes Stiltingus qui ita ratiocinatur: Facile crediderim quasdam antiqui diadematis partes adhibitas fuisse a pontifice, ut ex his conficeret coronam Hungaricam ea forma, qua ad S. Stephanum fuit missa. Sic facile inteligemus, cur literae Græcae, cur imagines Graecorum imperatorum in corona expressae: cur etiam appensae fuerint pretiosae catenulae, ac demum cur forma ex parte congruat cum coronis Graecorum, ex parte vero ab iis sit diversa. Sumpserit nimirum pontifex antiquum diadema clausum, in quo praedicta omnia cernebantur, illique addiderit ea ornamenta nova, quibus coronis occidentalium regum fieret similior, atque ita effinxerit coronam Hungaricam, quae aliquid haberet ex Graecis diadematibus, aliquid ex Latinis, sicut regnum Hungaricum inter utrumque imperium erat medium[1]).

Egregiam vero ratiotinationem! Centonem hinc inde consutum lubentius coronam fingit Hungaricam, quam verum aperte de ea proloquatur.

§ IX. *Origo literarum Sylvestri.* — In originem harum literarum si inquiramus, nisi sint recentioris aevi figmentum, simul cum praetensione ad Hungariam nata esse videntur. Gregorius Septimus, antea Hildebrandus dictus, anno 1073 Romanam occupaverat cathedram, qui nullum regnum non affirmabat suum. Ediderat quædam decreta quae ipse Dictatus intitulavit, recenset Baronius cum encomio. Talia sunt: Quod Romana ecclesia a solo Domino sit fundata. Quod solus Romanus pontifex jure dicatur universalis. Quod solus possit uti imperialibus insigniis. Quod solius papae pedes omnes principes deosculentur. Quod illius solius nomen in ecclesia recitetur, quod unicum est nomen in mundo. Quod illi liceat imperatores deponere. Quod a nemine ipse judicari debeat &c. [2]). Hic toto vitae suae tempore in id molimen adhibebat omne, ut imperatores ac reges sub jugum mittere posset, in hunc finem varias adhibebat artes, diversis subrepebat modis ac semitis occultis. Non reformidavit Hungaros quoque suis praetensionibus disturbio involvere. Expediit literas tam ad Salomonem quam ad Ladislaum Hungariae reges, in quibus affirmat Stephanum S. Petro

[1]) In Vita S. Stephani, pag. 88.
[2]) Vide Hofman in Voce Dictatus.

detulisse regni Hungariae habenas; attenderent igitur sibi et bona cum ejus venia occuparent solium. Literas exhibet Baronius, quae ita sequuntur:

Gregorius, servus servorum Dei, Salomoni regi Ungarorum salutem et apostolicam benedictionem.

Literae tuae ad nos tarde propter moram nuncii tui allatae sunt, quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua in causa conditio non adeo B. Petrum offendisset. Nam sicut a majoribus patriae tuae cognoscere potes regnum Hungariae S. Romanae ecclesiae proprium est, a rege Stephano olim B. Petro cum omni jure et potestate sua oblatum et devote traditum. Propterea Henricus p. m. imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad corpus B. Petri coronam lanceamque transmisit et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quae cum ita sint, tu tamen in cæteris a regia virtute et moribus longe discedens, jus et honorem S. Petri quantum ad te imminuisti et alienasti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in benificium (sicut audimus) suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam S. Petri et nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse si justitiam vis attendere non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae non regiae majestatis beneficium recognoscas. Neque enim nos timore vel amore aut aliqua personali acceptione (quantum Deo adjuvante poterimus) debitum honorem ejus, cujus servi sumus, jure quæsitum relinquemus. Verum si hæc emendare et vitam tuam ut decet regem instituere et Deo miserante adornare volueris, procul dubio dilectionem S. Romanae ecclesiae sicut matris dilectissimus filius et nostram in Christo amicitiam plene habere poteris. Datum Romae v. Kalend. Novembris Indictione XIII qui fuit annus Redemptoris nati 1073[1]).

Dictatoria potestate exaratæ sunt hae literae, at parum his profecit, imo nihil promovit. Nam interea Geiza et Ladislaus pulso Salomone regnum occuparunt, qui rursus pro confirmatione non requirebant pontificem vel imperatorem, sed potestate ab optimatibus accepta regnabant. Tentabat Hildebrandus variis artibus eo deflectere Ladislai animum, quatenus confirmationem quoquo modo Roma peteret, verum id Ladislaum fecisse non apparet. Scripsit ad Nehemiam Strigoniensem episcopum in hæc verba: „Admonemus fraternitatem tuam, ut regem,

[1]) Baron. ad an. 1000.

qui inter vos electus est, cum aliis tuis fratribus et principibus terrae alloquaris, notificantes et consulentes sibi ut apertius nobis suam voluntatem et erga reverentiam sedi apostolicae debitam per idoneos legatos denunciet devotionem et ita demum quod ad nos attinet ad honorem Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis benigne sibi respondebimus" [1]). Cum nihil profecisset, pellicere adhuc aliis literis tentabat sequentem in modum exaratis:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Ladislao Ungarorum regi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut fidelium tuorum crebra relatione cognovimus, idemque ipsum nostris attestantibus ratum habemus, Exellentia tua * serviendum B. Petro, quemadmodum religiosa potestas debet, et ad obediendum nobis, ut liberalem filium decet, toto affectu et cordis intentione parata est. Unde nimirum devotionem mentis tuae super hoc studio non indigne laudamus, eique sincere gratulamur, quod quidem optimorum regum sequendo vestigia illustrat servando tam moribus normam justitiae, quam etiam lineam nobilitatis in sanguine. Igitur quia de Celsitudinis tuae liberalitate et obedientia satis confidimus, ad quiddam nostrae universali solicitudini congruens, quod honori quoque tuo non parum concordat, invitare te non dubitamus, quatenus in eo et illa, quæ de te verbis credita sunt esse vera, facti indicio pateant et nobis sit aperta firmior causa, qua prae caeteris te, regiae dignitatis, amplius specialiusque diligere debeamus [2]).

Satis ex his elucet Gregorium in Hungariam praetensionem formasse, ac Ladislaum minis et promissis territando et alliciendo ad sedem Romanam deducere voluisse; at vero effecisse non constat. Imo in Decretis Ladislai anno 1092 invenitur severum adversus Italos edictum, qui nisi se Hungaris in jejunio conformaverint regno facessere jubentur. Pronus nunc in eam sum sententiam, qua asseritur literas sub nomine Sylvestri ea aetate fuisse formatas, qua praetensiones in Hungariam Gregorii VII, ut harum in iis substerneretur fundamentum. Magna talium literarum fictarum in omnes reges et regna ea aetate fuit seges ac proventus uberrimus. Vera hic fateri ne ipse quidem Timon Jesuita erubuerit, qui ita: „Non accedo illis, qui scripserunt a sancto illo (Stephano) rege Feudi nomine Romanae sedi oblatam esse Ungariam, regesque beneficiarios ejus fuisse, sed reverentiam atque obedientiam ei exhibebant, multa arbitratu ejus agebant, interdumque ab hostibus eam defensabant. Pars literarum his de rebus ad Geizam regem a prædicto Gregorio Septimo papa sancto scriptarum est ista: Notum vero

---

[1]) Baron. ad an. 1077.
[2]) Idem ad an 1079.
* ad (ed.)

tibi esse credimus, regnum Ungariae sicut et alia regna in propriae libertatis statu debere esse et nulli alterius regni subjici nisi sanctae et universali matri ecclesiae Romanae, quae subjectos habet non ut servos, sed ut filios. Adeatur Respublica Bodini. Lib. I. Cap. IX"[1]).

§ X. *Origo Coronae Hung.* — Coronam Hungarorum haec omnia docent Roma missam non esse Stephano Hungariae regi occasione conversionis Hungarorum. Unde ergo origo ejus arcessenda? Non tam facile invenitur, quam quaeritur. Petrus de Rewa Comes Turotziensis refert ad Constantinum Magnum, qui inter alia donaria obtulisset Sylvestro primo Romano pontifici, a quo post multa secula venisset ad manus Sylvestri secundi indeque ad regem Hungarorum. Ratiocinari equidem ita licet, at rem ita evenisse non constat. Coronam a Constantino praeparatam esse facile persuaderi potest, adest enim subscriptum imagini nomen; Constantinum tamen eum fuisse Magnum difficilius est creditu. Ea enim aetate reges similis formae diademata non gestabant, multo minus signo crucis ornabant. Globum quoque aureum imperium portendentem crucis forma adornare anno 579 coepit Tiberius secundus, tandem Phocas anno 602 in usum convertit et consuetudinem transtulit. Coronae vero fastigio primum superimposuit Philippicus, qui imperare cœpit anno 711[2]). Duplici cruce suas signare monetas et sceptri loco manu ferre perrexit Constantinus, Irenes filius, ejus nominis septimus[3]), qui regnum simul cum matre tenebat anno 780. Simplici equidem cruce jam Olybrius utebatur. Hos tandem majori imitabantur fervore ac superstitione imperatores Graeci et alii imperantes. Ajunt equidem Constantinum M. pro signo imperii primum posuisse et usurpasse crucem. Alii tamen ex ejus numis qui supersunt demonstrarunt, non tam crucem, quam initiales Christi (Χριϛος) nominis literas, signum ☧ illud fuisse[4]). Constat insuper ex historiis aevo Constantini primi inter Christianos picturam crucis et caelaturam imaginum nondum in morem abiisse. Igitur coronam, quae ad Hungaros tandem delata est, praeparare non potuit. Caelatura enim coronae impressa tempori non quadrat isti. Accedit quod in hac caelata conspiciuntur Christianorum imperatorum imagines. Constantinus M. eas exprimere non potuit, ante se enim nullos habuit, post se futuros ignoravit.

§ XI. *Coronae in Hungariam adventus.* — Ortum coronae Hungaricae

[1]) Epitome Chronol. Hung. pag. 307.
[2]) Belius in Notitia Hung. pag. 342.
[3]) Hofm. in voce Crux.
[4]) Ibidem. ll. cc.

ejusque ad Hungaros adventum referri posse autumo ad Constantinum eo nomine Nonum, dictum Porphyrogennetum, qui seculo decimo diu regnavit. Imperare enim coepit anno 912 ac desiit anno 959. Hujus regiminis tempore Christianismum amplexus erat Gyula princeps Hungarorum cum alio potentissimo principe, quos bene donatos Constantinus ad suas dimisit regiones[1]). Hujus aetate ac paulo post vixit Geiza, imo vero Gyulae Christiani filiam Christianam Saroltam aliis Askoltam in matrimonio habuit, ex qua natus Geizae Stephanus. Saroltæ germanus erat Gyula qui adversa arma in Stephanum moverat, ob quasdam prætensiones inter condivisionales oriri solitas. Inter munera imperatoris Constantinopolitani Gyulae oblata esse quoque potuit haec corona affabre praeparata; quae a morte Gyulae facile ad manus Stephani venit, vel per matrem suam Gyulae filiam aut dum avunculum suum Stephanus Gyulam Gyulae filium captivum cum omnibus suis divitiis et gazis ad se deferri curavit[2]). Hanc quoque tenet sententiam de origine coronae Hungaricae Becmannus, qui, postquam recensuisset opinionem Petri de Rewa, de origine coronae, ita pergit: „Qua in re plene assentimur illustri viro, ad pontificem aliquem coronæ originem referri non posse; imo e contrario Graecorum imperatorum fuisse ob rationes ab eo redditas. At Constantinum M. ideo autorem habuisse, id vero est, quod non abs re in dubium vocamus. Nam nec coronarum regiarum usus Constantini Magni temporibus extitit. Nec Graecorum imperatorum nomina ille insculpi curare potuit, cum nullos ante se habuerit, futuros ignoraverit. Ne dicamus totam donationem Constantinianam plane dubiam et ab ipsis pontificiis scriptoribus in incerto positam, eoque una coronae donationem suspectam esse. Vero simile igitur coronam illam a Graecis quidem profectam, sed non Constantino M., verum alio Constantino, vel pontificis vel etiam priscorum Hungariae ducum amico profectam, horumque postea solenni usui consecratam fuisse"[3]). Is vero, prout e superioribus palam est, non alter fuit, quam Constantinus Porphyrogennetus.

Verbo hic memorandum et reliqua regni Hungariae clenodia Constantinopoli arcessenda. Globus aureus crucifer, calceamentum et reliqua prout Belius ostendit[4]). Duplicis quoque crucis signum loco sceptri apud eos gestabatur, unde ad Hungaros quoque mos ille transiit et in signum Christianismi receptum retentumque. Memorat Dlugossus ab Emerico filio S. Stephani ecclesiae s. crucis in Polonia dona-

---

[1]) Hofm. in voce Const. IX.
[2]) Thurotzi in Chronico, Cap. XXIX. XXX.
[3]) De Dignitt Disput. IV Cap. III § 8 pag. 478.
[4]) In Notitia Hung. Nov. p. 342 § XVI. pag. 350 § XXIV.

tam esse crucem bifurcatam, portionem notabilem Dominici ligni continentem, modico argento obductam, parenti suo Stephano Hungarorum regi a Graecorum cæsare ex Constantinopoli pro magno munere transmissam, quam vir Dei in pectore ex patris largitione gestare consueverat[1]). Haec ita constituta ostendunt infirmo talo niti traditionem, qua asseritur coronam a Sylvestro Hungaris donatam; infirmiori adhuc ejus aevi Hungaros ad religionem moderno-Romanam ex gentilismo transiisse.

CAPUT DECIMUM.

DE CHRISTIANISMO HUNGARORUM, QUEM SECULO DECIMO AMPLEXI SUNT, ET CONFESSIONE EORUMDEM.

§ 1. *Seculi infelicitas cum Hungari sunt conversi.* — Felices merito Hungari, suo e gentilismo ad Christianam religionem transitu, quamvis sterile nimiumque infelix esset seculum, quo id contigit; dum mores corrupti, disciplina abjecta et doctrina multis modis in ecclesia Latina erat depravata. Qualis fuerit ecclesiae Romanae facies exeunte nono et ingruente decimo seculo necesse est ut speculemur verbis Cardinalis Baronii, qui tales aspergit colores: „En incipit annus Redemptionis nongentesimus indictione tertia notatus, quo et novum incipit seculum, quod sui asperitate et boni sterilitate ferreum malique exundantis deformitate plumbeum atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti, hic lectorem monendo praefari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo, sed magis miretur et cognoscat in ejus custodia divinam invigilare potentiam, cum non ut olim tantam abominationem secuta fuerit mox desolatio templi intelligatque solidioribus illo niti hoc fundamentis, promissionibus Christi".

Pergit porro luridam ecclesiae Romanae faciem depingere: „Quæ tum facies sanctae ecclesiae Romanae, quam foedissima, cum Romæ dominarentur potentissimae æque ac foedae meretrices (Theodora, Marozia), quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur episcopi, et quod horrendum auditu et nefandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii pseudo-pontifices &c. Sic vindicaverat omnia sibi libido, seculari potentia ficta insaniens, aestu percita dominandi. Dormiebat tum plane alto

---

[1]) Historiae Polonicae Lib. II Cap. pag. 149.

sopore Christus in navi, cum hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. Et quod deterius erat, deërant qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent discipuli stertentibus omnibus, qualesnam veris delectos ab hisce monstris presbyteros et diaconos, cardinales putandum, cum nihil tam natura sit insitum, quam unumquemque sibi similem generare [1]).

§ II. Paria Genebrardus scriptor antiquus habet: „Infelix inquit dicitur hoc seculum, exhaustum hominibus, ingenio et doctrina claris, sive etiam claris principibus et pontificibus, in quo nihil fere dignum memoria posteritatis gestum sit. Unde ferunt tunc repertum fuisse quoddam monstrum capite leonino et cæteris membris humanis, quod statum illius temporis mirifice referret. Hoc vero uno infelix, quod per annos centum quinquaginta pontifices circiter quinquaginta a virtute majorum defecerunt prorsus apotactici apostaticive potius, quam apostolici" [2]). Sergius Tertius, qui acta Formosi resciderat Maroziae adulterae suae ex qua Johannem XI sustulit artibus, papatum invadit. Johannes X alterius Glycerii Theodorae Maroziae matris artibus papa creatur, Sara quam ara dignior; ab alio scorto Marozia cervicali in os conjecto necatur. Johannes XI patre Sergio et matre Marozia natus ille est, de cujus tempore Baronius exclamavit: Quae tum facies ecclesiae Romae? Johannes XII puer annorum duodecim sceleratissimus omnium in adulterio deprehensus ab adulterae marito confossus. Leo VIII laicus adhuc papatum invadit. Bonifacius duodecimus Benedicto VI vi prius deturbato et in carcere strangulato papatum rapit, bestia verius quam homo [3]). Sylvester Secundus (cui hodie missio coronae Hungariae tribuitur) ita a Platina describitur: „Adolescens relicto monasterio diabolum secutus, cui se totum tradiderat.... ambitione et diabolica regnandi cupiditate impulsus, largitione primo quidem archiepiscopatum Remensem, inde Ravennatem adeptus, pontificatum postremo majore conatu adjuvante diabolo consecutus est, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat. Nam cum Gilbertus regnandi cupidus diabolum sciscitaretur quandiu in pontificatu victurus esset? Respondit humani generis hostis ambigue (ut solet): si non attigeris Jerusalem diu vives. Dum itaque pontificatus sui anno quarto, mense uno, die decimo in basilica S. crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato moriturum se

[1]) Ad an. 900 et 912.
[2]) Chronograph. Lib. IV apud Hejdegg in H. P. pag. 68.
[3]) Hejdegg Histor. Papat. pag. 20.

statim cognovit" [1]). Fatetur horum pontificum excessus Petavius Jesuita [2]): Spondanus non negat, imo miratur tantam tum fuisse corruptionem morum et depravationem doctrinae et tamen homines non fecisse ab ecclesia divortium [3]). Exclamat ad horum conspectum Baronius: „O, inquit, lugenda Roma! quae nostris majoribus clara lumina præbuisti, nostris temporibus monstruosas tenebras, futuro seculo famosas offudisti. Quid sub haec tempora non vidimus? Vidimus Johannem, cognomento Octavianum in volutabro libidinum, etiam contra eum Ottonem, quem Augustum creaverat, conjurasse. Quo fugato Leo Neophytos in pontificem creatur. Sed Ottone Cæsare Roma discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Johannem diaconum naso dextrisque digitis ac lingua mutilat multaque caede primorum in urbe debacchatus brevi moritur. Cui Benedictum Grammaticum, cognomento Diaconum, Romani substituunt. Eum quoque Leo Neophytus cum suo Caesare non longe post aggreditur, obsidet, capit, deponit perpetuoque exilio in Germaniam dirigit. Succedit Ottoni Caesar Otto. Succedit Roma in pontificatu horrendum monstrum, Malefacius cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus et in Magna Synodo damnatus est. Talibus monstris hominum ignominia plenis, scientia humanarum et divinarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum, scientiae et vitæ merito conspicuos, subjici decretum est" [4]).

§ III. *Corruptio morum et doctrinae.* — Corrupti erant ergo mores, corrupta disciplina ac doctrina ea ætate mere plumbea, qua Hungari facti sunt Christiani. Unde multi putant eos nomen tantum amplexos esse, non ipsam Christianismi realitatem et essentiam. Titulo tantum permutato ex idolorum veneratione transierunt ad sanctorum cultum, atque ita ex una in diversas cerimonias. Ita Hanerus sentire videtur. Ex hac inquit Πανσπερμια et cerimoniarum coagmentatione id est secutum, ut ad Reformationem usque ignoraret pene Transylvania se Christianam esse, aliquod Dei verbum esse, religionem ad Deum et conscientiam pertinere. Nam illud populi manibus et mentibus excussum; haec reducta ad digitorum articulos, labiorum murmura, sacrificulorum mugitus, monachorum receptacula, claustrales tonsuras, anachoretarum cilicia, laciniarum, pectinum, crepidarum venerationem, indulgentiarum nundinationem et alia id

---

[1]) Plat. in Vit. Pontif. pag. 354.
[2]) In Successione Pontif. pag. 138, 139.
[3]) Epitome Annal. ad an. 908 § III.
[4]) Ad an. 990 apud Heideg. in Hist. P. pag. 69.

genus fascina, distinendae et occupandae plebi accommoda erant"[1]). Deveniendum tamen in hanc sententiam non prorsus censeo. Nam vel in tanta corruptione remanserat adhuc in ecclesia Latina fundamentum veræ religionis: Religonem e sacris hauriendam. Secundum articulos Symboli Apostlolici esse credendum. Juxta legem Dei esse actiones dirigendas, Deum esse adorandum secundum orationem Dominicam, coenam Domini et baptismum esse sacramenta[2]). His vero plurimas novas ac superstitiosas adjunxerant cerimonias, quibus superiora abnegabant ac ejurabant. Talia erant: Coeca obedientia obediendum episcopo Romano tanquam Christi vicario. In Missa esse propriam pro peccatis satisfactionem. Esse post hanc vitam purgatorium, nec esse sufficientem in hac vita purgationem. Particulas crucis esse colendas, B. virginem Mariam et sanctorum imagines esse adorandas, ministris verbi vitanda esse matrimonia, et alia fundamenta Christianismi convellentia.

§ IV. *Confessio Stephani Regis.* — Hungaros multo meliorem esse amplexos christianismum palam est e confessione Stephani regis. Ex qua liquet quoque non ad fidem moderno-Romanam ea aetate esse conversos. Audienda ergo est confessio Stephani, quae extat inter ejus decreta ubi ita ad filium loquitur:

„Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles et Catholica fide imbutos accedere, idcirco sanctae fidei in nostris mandatis primum damus locum. Imprimis praecipio, consulo, suadeo, fili charissime, si regalem cupis honestare coronam, ut fidem catholicam et apostolicam tali diligentia et custodia conserves, ut omnibus a Deo tibi subjectis exemplum praebeas, cunctique ecclesiastici viri merito te verum Christianae professionis nominent virum, sine qua pro certo scias Christanus non diceris vel ecclesiae filius. Qui enim false credunt vel fidem in bonis non implent et ornant operibus, (quia fides sine opere moritur) nec hic honeste regnant, nec in aeterno regno vel corona participant. Si vero scutum retines fidei, habes etiam galeam salutis. His quidem armamentis contra invisibiles et visibiles legitime dimicare poteris inimicos. Nam ait apostolus; non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Fides ergo de qua loquor, haec est: Ut Patrem Deum, omnipotentem, factorem totius creaturae et unigenitum ejus filium Dominum nostrum Jesum, de Maria virgine angelo annunciante natum et pro totius mundi salute in crucis patibulo passum, et spiritum sanctum, qui per Prophetas et Apostolos et Evangelistas locutus est, unam Deitatem perfectam indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas et sine omni ambigui-

---

[1]) In Hist. Eccl. p. 101.
[2]) Spanheim in Historia pag. 1425.

tate teneas. Haec est fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter firmiterque crediderit salvus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inveniantur potentiam (quod absit) qui hanc collationem sanctae Trinitatis dividere vel minuere sive augere conabuntur, hos ipsos scias esse haeresiarchae servos et non sanctae ecclesiae filios. Tales vero nec nutrias nec defendas, ne tu etiam videaris amicus et fautor. Hujus modi enim viri sanctae fidei filios omnino reddunt morbosos et istam novellam sanctae ecclesiae plebem miserabiliter destruunt ac etiam dissipabunt. Hoc ne fiat principaliter cura" [1]). In hac eximia ac plane regia admonitione ac Christiana confessione speciatim sequentes includuntur Christianae fidei articuli:

I. Deum esse unicum.
II. In una indivisaque Trinitate tres esse personas, Patrem, Filium et Spiritum sanctum coessentiales.
III. Deum esse omnipotentem omniumque creaturarum factorem.
IV. Jesum Christum esse unigenitum Dei filium.
V. Jesum esse Dominum nostrum.
VI. Jesum esse a Maria virgine natum.
VII. Salutem mundi a passione Christi in crucis patibulo pendere.
VIII. Spiritum sanctum nos sanctificare, unde dicitur sanctus.
IX. Scripta Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum esse verba spiritus sancti, non aliorum hominum.
X. Haereticum esse de sancta Trinitate male sentientem.
XI. Absque fide neminem esse ecclesiae membrum, verum Christianum.
XII. Absque fide neminem salutem consequi.
XIII. Veram fidem conjunctam esse bonis operibus.
XIV. Fidem bonis operibus vivificatam esse armamentum adversus inimicos visibiles et invisibiles.

Hi sunt articuli in hac confessione explicite et implicite conclusi. Jam quae religio hos ita tradit, credit corde, re et ore exprimit, ea convenit sine dubio cum Stephani religione, quam ille una cum Hungaris seculo decimo amplexus est. Quæ autem verbo et facto abnegat, ea minime consonare censenda est cum religione Stephani et priscorum Hungarorum. Examinemus ergo cui religioni conveniant. Traditur in hac confessione:

I. Deum esse unicum. Ita nos docent scripta Prophetarum et Apostolorum. Ita Reformati confitemur in confessionibus publicis, ita in praxi quotidiana exhibemus, re et facto. Deum unicum esse in confessione fatetur etiam ecclesia Romana; at vero praxi abnegat, cum

---

[1]) In Decretis. Cap. I.

cultum unico soli Deo debitum etiam creaturis, angelis ac sanctis praeter Deum defert.

II. In unica indivisibili Trinitate tres esse personas Patrem, Filium et Spiritum sanctum coessentiales. Optime confessus est rex piissimus, quam doctrinam hausit ex verbo Dei 1 Joh. V:7. Joh. XIV:16. Ita quoque patres priorum seculorum sentiebant, uti palam est ex apologia Athenagorae pro Christianis, ex dialogo Justini Martyris cum Triphone, ex operibus Athanasii et aliorum. Sentimus quoque ita, et in confessionibus et in praxi[1]).

§ V. III. Deum esse omnipotentem et omnium creaturarum factorem. Ita verbum Dei docet, ita antiqui patres confessi sunt, ita Reformati confitentur, nec contraria possunt gravari sententia. At vero in religione Romana plurimi sunt, qui cum Petro Lombardo, sententiarum magistro, affirmant, Deum creaturis communicare potentiam creandi[2]). Imo Salasar Jesuita post alios ita scribit: Dispositione, tua sanctissima virgo, perseverat mundus, quem et tu cum Deo ab initio fundasti.[3]) Scopus horum est ut firmius transubstantiationem docere possent. Paulo quinto in dedicatione cum censura editi cujusdam libri attribuunt omnipotentiam, qui his verbis est oblatus. Paulo V, Vice-Deo Christianae reipublicae monarchae invictissimo et pontificiae omnipotentiae conservatori acerrimo[4]). Quid Faustus Sabeus Brixianus Vaticanae bibliothecae praefectus Julio tertio pontifici deferat, apparet ex epigrammatibus ejus; ubi ita:

In te speravi, fac ne confundar in aevum
  Juli! et egestatis pondere me exonera.
Porge aurem, accelera meque eripe ab hoste sequaci.
  Libera ab aerumnis, retibus, insidiis.
Esto et apud temet Dominum mihi, maxime Juli!
  Confugiique domus, praesidiumque meum.
Tuque meae vires, portus, spes una, salusque
  Dulce tuum ob nomen, numen et esto meum.
Inque tuas commendo manus, Juli optime princeps!
  Spiritum et hos canos, plectra, lyram, calamumque[5]).

Sive tales adulentur, sive ex vero ita sentiant Deitatis attributa

---

[1]) Confer. Confess. Helv. Cap. III. pag. 17. Catech. Palat. Q. XXV.
[2]) Lib. IV cap. ult. apud Turret 1 Tom. pag. 477.
[3]) Apud Cattenburg in Spicileg. pag. 554.
[4]) Editus est liber Bononiae 1608.
[5]) In Epigram. pag. 513.

incommunicabilia miseris mortalibus attribuunt, quod absque sacrilegio fieri non potest.

IV. Jesum Christum esse unigenitum Dei filium.

V. Jesum Christum esse nostrum Dominum. Quia nos sanguine proprio redemit. At Dominium ejus abnegant, qui non a Christo in totum, sed aliunde salutem quaerunt.

VI. Jesum esse a Maria virgine natum. Ita scriptura sacra et nos cum ea sentimus. Esa VII : 14. Luc. I : 31—36 [1]). Romanis addicti sacris statuunt corpus Christi ad haec verba a sacrificulo pronuntiata „Hoc enim est Corpus meum" in panem, aut panem in corpus transubstantiari.

VII. Salutem omnium a passione Christi pendere. Sive quicunque salvantur in Christo eam consequuntur. Ita scriptura tradit, ita Reformati sentiunt [2]). At moderni Romanam fidem sequentes facto diversis modis abnegant, (1 Cum salutem ex propriis operibus et meritis expectant. (2 Cum quaerunt per indulgentias, processiones, et aere redimunt e purgatorii flammis, ac si sanguis Christi non esset perfectum purgatorium. (3 Cum expectant ex intercessione et merito sanctorum. (4 Cum Christum nunc quoque quovis die passionibus subjiciunt, docentes realem in sacramento praesentiam; et quotidie pro peccatis vivorum et mortuorum offerri.

VIII. Spiritum sanctum sanctificare nos. Hic quoque articulus in sua puritate non docetur in ecclesia Romana, dum sancti non isti reputantur, qui a spiritu Dei sunt sanctificati, verum quos ecclesia canonizare solet.

(5 Cum docent irregenitos etiam bona opera praestare posse [3]).

IX. Scripta Prophetarum, Evangelistarum, verba esse spiritus sancti, non aliorum hominum. Ita scriptura tradit 2 Tim. III:16; 2 Petr. I : 21. Ita quoque Reformati confitentur. At minuunt dignitatem hujus articuli vario modo. (1 Cum docent authoritatem s. scripturæ a Romano pontifice dependere [4]), (2 Dum scripta apocrypha pari reverentia cum veris Prophetarum ac Apostolorum scriptis observant. (3 Cum epistolas, responsa pontificum Romanorum, Decreta conciliorum aequali cum verbo Dei honore observant [5]).

X. Haereticum esse de sancta Trinitate male sentientem. Recte ita sentit, nam in edictis quoque imperatorum ita traditur [6]). Male

---

[1]) Catech. Pal. Q. XXXV.

[2]) In Confes. Helv. Cap. XIV. Cap. XVI. Catech. Palat. Q. III.

[3]) Concil. Trid. Sess. VI. Canon. VII.

[4]) Vide autores apud Turret. de s. sra Q. VI. p. 95.

[5]) Idem ll. cc. Q. XXI. p. 180.

[6]) Cod. Tit. I. Lib. I. Reehemberg in Voce Haereticus.

ergo nos, Trinitatem in spiritu et veritate adorantes, haereticis annumerant Romani.

XI. Absque fide neminem verum esse Christianum. Recte ita sentit rex optimus. Ecclesia enim est corpus Christi mysticum, in quo omnia membra fide capiti adhærent Christo. Col. I:18. Efes. IV:11—17. V:24—32. Ita Reformati sentiunt, at Bellarminus secus doctrinam Romanorum tradit, qui ita statuit. Ut aliquis possit dici absolute pars verae ecclesiæ, de qua scripturæ loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantum externam, potissimum fidei et sacramentorum communionem, quae sensu ipso percipitur [1]). Externam professionem et usum sacramentorum etiam infideles utcunque peragunt, sequeretur inde et eos veros Christianos esse, negat tamen Stephanus rex.

XII. Absque fide salvari neminem. Tradit ita etiam scriptura Rom. III:30. Sid. X:6. Sentiunt quoque ita Reformati [2]). At naturam verae fidei enervant in ecclesia Romana, ubi fidem implicitam ad salutem sufficere docent.

XIII. Veram fidem conjunctam esse bonis operibus. Ita scriptura tradit Jac. II:17: ita Reformati docent ac sentiunt [3]).

XIV. Fidem bonis operibus vivificatam esse armamentum adversus invisibiles inimicos. Secus ii sentiunt, qui thuricremiis, aqua consecrata, sanctorum reliquiis, imaguncul is ac signo et particulis crucis inimicos abigere tentant.

Qui hos in confessione Stephani complexos articulos sine praejudicio ruminaverit, cum articulis ecclesiae Romano Catholicae, uti hodie est, contulerit, facile persuaderi sibi patietur, seculo decimo non hodiernam Romano Catholicam fidem Hungari sunt amplexi. Sed ad hoc assertum comprobandum majora illustrioraque sunt, quae sequuntur argumenta.

§ VI. *Controversia de primatu Petri* — Nota est ex historiis controversia de primatu Romani episcopi, quae per multa secula divisit animos ecclesiamque. Nam Romanus episcopus relicto officio, Evangelii verbo oves Christi pascendi, erexit sibi imperium ac cupit regnare in ecclesiis et mundo; a seculo praecipue septimo se pro capite et vicario Christi voluit observari universali. Fundamentum tanti moliminis sunt verba illa ad Petrum Christi, prostrata Mat. XVI:18: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam. Scopo suo inservire cogit haec verba Spondanus, celebris Baronii epitomator ac episcopus Apaminensis, ita Christi verba in literis ad pontificem dedicatoriis explicans, ut per Petrum summus pontifex, per Petram intelligatur

---

[1]) Apud Turret. de Ecclesia, Q. III. pag. 12.

[2]) Helv. conf. Cap. XVI. Catech. Palat. Q. XXI.

[3]) Confes. Helv. Cap. 16. Catech. Palat. Q. LXXXVI. XCI.

sedes apostolica, semel in sempiternum Romae constabilita et indissolubili nexu adeo suo capiti juncta, ut nefas fuerit alterum ab altero divellere[1]). Bellarminus vero in persona quoque aliorum ita sententiam profert: „Affirmant Catholici Petrum apostolum fuisse totius ecclesiae caput et principem, loco Christi ab ipso Christo institutum. Et non est simplex error, sed haeresis, negare primatum Petri a Christo institutum" [2]). Extra controversiam est ita hodie Romano-Catholicos sentire. Audiamus et regem apostolicum, an in ea fuerit sententia? Loquatur ipse in sua ad filium instructione:

„In regali quidem palatio post fidem ecclesia secundum tenet locum, a capite nostro scil. Christo prius seminata, deinde per ejus membra utique apostolos sanctosque patres transplantata et firmiter aedificata atque per totum orbem diffusa. Et quamvis novam semper pariat prolem, in certis tamen locis quasi antiqua habetur". Ne quis hic excipere possit: Christum dicere Stephanum non ecclesiae per mundum plantatae, sed caput sui ipsius? Explicat egregie verba etiam Christi ad Petrum prolata: „Nam qui minuit aut foedat sanctae ecclesiae dignitatem, ille Christi corpus mutilare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctae ecclesiae: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Seipsum quidem nominabat petram, verum non ligneam vel lapideam super se aedificatam ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentem electam, divinam, gregem fide doctum, baptismate lotum, Chrismate unctum, sanctam super se aedificatam ecclesiam dixit et appellat" [3]) Clarissima haec est interpraetatio; ubi ecclesiam corpus Christi, Christum ecclesiae caput, Petram Christum ecclesiae fundamentum dicit. Qui haec non cernit in verbis beatissimi regis Hungarorum, nae ille praejudiciis occoecatus est. Stiltingus tamen vario torquet ea verba, ut ad Petrum non Christum referre posset in Vita S. Stephani pag. 98. Haec sententia est scripturaria, ubi Christus ecclesiae caput et fundamentum dicitur, praeter quod aliud non datur 1 Cor. III : 11. Convenit cum mente veterum patrum. Cyprianus ita: Hoc erant utique et caeteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur ut una Christi ecclesia eo cathedra una monstretur, et pastores sunt

---

[1]) In Annal. dedicat. ad Pontificem.
[2]) De Pontif. Rom. Cap. X.
[3]) In Decret. Steph. Lib. I. Cap. II.

omnes et grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Idem affirmat Christum apostolis omnibus post suam resurrectionem parem potestatem tribuisse. Gregorius Nyssenus: Non Petrus et Jacobus et Johannes sunt columnae ecclesiae, sed omnes qui ecclesiam sustentant[1]). Ita nos quoque sentire Libri nostri symbolici loquuntur[2]). Concordat ergo Reformatorum doctrina cum regis apostolici confessione etiam in hoc puncto. At Romano-Catholicos quam pedibus manibusque nitantur defendere Romanum pontif. esse caput ecclesiae universale Christique vicarium, ex hoc loco certum est. Igitur neque ad eam religionem cum populo ea aetate est conversus.

§ VII. *Deus solus adorandus.* — Deum unicum adorationis objectum credidit eumque solum adorandum constituit ac voluit: non vero etiam sanctos ex modernorum Romano-Catholicorum mente. Nonam ergo regulam hanc praescripsit filio: „Continua oratio est peccatorum ablutio et remissio. Tu autem, fili mi, quotiescunque ad templum Dei curris ut Deum adores cum Salomone filio regis, et ipse rex semper dicas: Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine Pater et Deus vitae meae, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et desiderium malignum averte a me Domine, aufer a me concupiscentiam, et animo irreverenti et inpunito ne tradas me Domine. Hac itaque oratione antiqui utebantur reges. Tu quoque hac eadem utere, ut Deus cuncta vitia a te auferre dignetur, ut invictissimus rex a cunctis nomineris. Ora etiam, ut desidiam et hebetudinem a te depellat et supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles et invisibiles vincas inimicos, ut securus et expeditus ab omni incursione adversariorum, cum omnibus tibi subjectis, cursum aetatis tuae vitae cum pace possis finire"[3]). Deum solum adorare jubet nec contrarium in praeceptis, actis vel factis sanctissimi regis habetur. Recte quidem, ita enim Deus injungit. Mat. IV : 10.

Haec secus docent faciuntve Romanam fidem amplexi, qui praeter Deum dirigunt suas preces ad angelos, patronos patronasque, praecipue vero ad sanctissimam Deiparam virginem. Nemo haec negabit; extant enim palam in luce hominum libelli precatorii, qui tales exhibent

---

[1]) Apud Turretin. de Ecclesia Q. XVII pag. 180. Thesi XIII.
[2]) Confess. Helvet. XVII pag. 149.
[3]) In Decret Steph. Lib. I Cap. IX.

precum formulas. Editus libellus Antverpiae anno 1625 cum approbatione et privilegio sub titulo Hortulus Mariae ubi talis exstat invocatio:

Diva divarum mater omnis misericordiae, regina cælorum et terrae, quæ insides throno gloriae pleno omni majestate, undique stipata choro angelorum, ad te solam confugio, in te omnem fiduciam meam collocavi, si a te derelinquar, ad quem me convertam, qui me gratia complectatur? Spem meae salutis pono in fiducia misericordiam tuam consequendi. Largiaris mihi gratiam o Maria! ut te verear, tibi inserviam in omni sanctitate et justitia. Oro te regina coeli et domina angelorum, mundes cor meum, illustres animam meam, laves, purifices eam ab omnibus peccatis, magnitudo tuae misericordiae deleat multitudinem meorum delictorum. Voluit Deus ut o Maria agnoscaris tanquam omnem potestatem habens in coelo et terra et tanquam suprema Domina in ejus regno[1]).

Quod petendum erat a sòlo Deo, solicitant a B. Virgine. In concilio quoque Constantiensi anno 1414 celebrato, loco invocationis: Veni Sancte spiritus, canebatur Litania b. virginis Mariae hoc modo:

1. Veni Mater gratiae,
   Fons misericordiae,
   Miseris remedium.
2. Veni lux ecclesiae,
   Tristibus laetitiae
   Nunc infunde radium.
3. Te Reginam colimus,
   Tibi laudes canimus
   Ex affectu cordium,
4. Quae et in angustiis
   Et in rebus dubiis
   Salus et solatium.
5. O stella perfulgida,
   Tu dira certamina
   Maris hujus reprime.
6. Simonis navicula &c.

Refert cardinalis Bona ex missali monastico Lib. II. Cap. IX de rebus Liturgicis sequentia: Suscipe sancta Trinitas, unus Deus hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam beatae

---

[1]) Apud Cattenburg in Spicileg. pag. 552.

passionis, resurrectionis et ascensionis D. nostri Jesu Christi, et in honorem b. Mariae semper virginis, genitricis ejus et omnium sanctarum et sanctorum coelestium virtutum et vivificae crucis ut eam acceptare digneris pro nobis peccatoribus, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Praecipuum cultum b. virgini deferunt et angelicam salutationem Ave Maria dictam habent pro precibus efficacioribus. Tradunt mulierculam Japonensem centies quadragesies millies eam continue et toto vitae cursu quotidie recitasse [1]). Non ita antiqui sentiebant patres. Queritur Epiphanius quosdam haereticos eo devenisse, ut Mariam semper virginem adorarent; ipse ita loquitur: Revera sanctum erat corpus Mariae, non tamen Deus. Revera virgo erat ipsa virgo et honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum qui ex ipsa carne genitus est, de coelis vero ex sinibus paternis accessit. Item: Sit in honore Maria. Pater et Filius et spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, et si pulcherrima est Maria et sancta et honorata, at non ad adorationem [2]). Pari modo Augustinus de sanctis loquitur: Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus &c. [3]). Ludovicus Vives Hispanus, pontificiis sacris addictus, ad haec verba Augustini tales addit notas: Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur, quam Deum. Nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, et id quod gentiles putabant de suis diis.

Nos b. virginem tanquam Domini nostri Salvatoris Genitricem veneramur omnemque illi honorem deferimus, ita quoque sanctos, qui se tales facto exhibuerunt. At pro religiosi cultus objecto non habemus, nec cultu divino colimus, nec adoramus, nec invocamus, eum cultum soli omniscio et omnipotenti Deo reservantes et deferentes cum S. Stephano Hungarorum rege, qui illum solum docet filium adorare.

§ VIII. Ex his omnibus fas est concludere unicuique aequo rerum arbitro, quod in qua religione observantur fidei articuli, quos Stephanus, cum eoque Hungari Christum amplectentes, credidit ac observavit, ea consonat religioni priscorum Hungarorum. Verum in religione Romano-Catholica, prout ea nunc traditur, illi pure non observantur, neque igitur

---

[1]) Jesuita Solier Histor. Japon. Lib. XIX. Cap. XXIX apud Cattenburg pag. 553.
[2]) Epiphan. Haeres. LXXIX pag. 344, 345.
[3]) De Civitate Dei, Lib. VIII. Cap. XXVII. pag. 513.

convenit cum religione priscorum Hungarorum. Nec ad hanc igitur conversi sunt, dum e gentilismo facti sunt Christiani, unde etiam apparet elumbe esse Dilemma, quod Pontificii Hungari Reformatis objicere solent: Aut ad veram fidem tempore regis Stephani Hungari conversi sunt, aut non? Si non; ergo sanctissimi Hungarorum reges falsum pro vero amplectentes decepti sunt et perierunt. Si vero ad veram fidem conversi sunt, ergo vera est Romano-Catholica fides, quam tunc amplexi sunt? Nam vera illa fides non est Romano-Catholica, prout hodie ea traditur et observatur. Apparet quoque pro nobis loqui eos, qui urgent regem Hungarorum obligatum esse religionem apostolicam et Catholicam a Stephano rege filio suo in confessione sua commendatam defendere. Ita enim rex, religionis nostrae apostolicae ac verae Catholicae patronus et defensor esse tenetur, quae in fundamentalibus articulis summam habet convenientiam cum Stephani et antiquorum Hungarorum religione.

CAPUT UNDECIMUM.

De Religione, quam Hungari e gentilibus tenebris ad Christianae Doctrinae lumen emersi sequebantur, et quando Religionem Romano-Catholicam sunt amplexi.

§ 1. *Dissidium inter Ecclesiam Graecam et Latinam.* — Unica tantum est Religio salutaris ac vera; fieri autem potest dissonantia in ritibus ac cerimoniis externis salvo et immoto fidei fundamento. Jam diu est, quod Ecclesia occidentalis ab orientali sejunxit sese. Primum controversia orta erat de Paschate, cujus occasione Victor, episcopus Romanus, Ecclesias Asiaticas ac Africanas anno a Christo nato 195 anathemati subjecit atque ita ab istis divortium fecit seque abdicavit. Ab eo tempore succreverunt controversiae variae, quae penetrarunt etiam ad fidei articulos fundamentales, atque oppositas tenuerunt orientis et occidentis Ecclesias ad ingens verae Religionis detrimentum et propagationis Christianismi sufflamen. Latina quoque Ecclesia paulatim ad eam declinavit gravissimam corruptionem, traditionibus inventisque hominum in locum verae doctrinae sensim sensimque subrepentibus, de qua jam olim dixit monachus Augustinianus Theodoricus Urias: „Ecclesiam Romanam ex aurea in argenteam, ex argentea in ferream, ex ferrea in terream, ex terrea in stercoream

abiisse"[1]). Ad nostrum nunc scopum facit, ut inquiramus, Majores nostros e tenebris gentilismi emersos num Ecclesiae Latinae instituta, num Graecae amplexos? et quidem iis circumstantiis, quibus hodie Romano-Catholici sua dogmata credunt ac defendunt. Ecclesiae magis orientalis quam occidentalis instituta secutos esse Hungaros, præter ea quae hactenus produximus, infallibilibus potest monstrari docerique argumentis e penu Historiarum desumptis.

§ II. *Argumentum primum.* — Argumentum primum desumimus ex iis, quae sparsim superius de rebus Hungarorum tradita sunt. Apparet saepius numerosas familias, potentes Principes Christianis se addixisse sacris, qui Constantinopolim adeuntes ibi religionem edocti et sacro baptismate initiati sunt. Talis erat Gordas Hungarorum Princeps circa annum 528 temporibus Justiani Imperatoris; eadem aetate vidua quaedam Hunnorum Regina cum multis suorum millibus. Circa annum D. 618 multi ad Christum conversi, sudoribus ac fatigiis Caroli Magni Hunno-Abares ad amplectendam doctrinam Christi adacti sunt. Gyula Daciæ Princeps cum alio potentissimo Principe in initio seculi decimi Constantinopoli Christiana suscepit sacra circa annum D. 945, qui inde Episcopum Hierotheum virum doctissimum ad Hungaros detulit. Hujus Gyulæ filiam habuit in matrimonio Geiza Rex Hungarorum. Imo Adalbertus alio nomine Voitech dictus, qui ad Geizam missus praetenditur, a quo volunt etiam Stephanum baptizatum, ritus sequebatur Ecclesiae Graecae[2]).

Haec cum ita se habeant (prout superius passim certis documentis ostendimus) initia Christianismi et ritus quosdam Hungari acceperunt Constantinopoli. Coactus est fateri Carolus Peterfi Jesuita, qui sic scribit: „Neque tacendum, ab anno millesimo Salutis ad seculum prope tertium, sanctionum nostrarum capita ex Ecclesiae Chritianae natalibus et oecumenicis Conciliis accepta esse: populos præterea orientales, mercaturam et conjugia ultro citroque apud Hungaros facientes, abusus varios genti nostrae appendisse, primigeniae institutiones Stephani, Ladislai, Colomanni Regum aperte innuunt[3])".

§ III. *Argumentum secundum.* Articuli confessionis Hungarorum e gentilismo emersorum, superius recensiti, contrariantur articulis fidei Romano-Cath. Ecclesiae; egregie vero concordant cum articulis Ecclesiae Græcae. Sufficeret hic, etsi nihil præter istum articulum esset, quo Romani suum Episcopum volunt Ecclesiae caput universale, fundantes sententiam in istis Christi Domini verbis: Tu es Petrus et

---

[1]) Apud Hydegg. Hist. S. pag. 6.
[2]) Pfaffius Histor. Eccl. pag. 456.
[3]) Concil. S. Hungar. in Praef. § VII et infra pag. 16.

super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Graeci enim negabant semper, hæc de Pontifice intelligenda Romano, sed de Christo, qui solus Ecclesiae est fundamentum et caput. Stephanus quoque Rex Hungarorum ex mente Graecorum egregie interpretatur tum verba Christi, tum rem, nempe Christum esse caput Ecclesiae.

§ IV. *Argumentum tertium.* — Jejunium antiquorum Hungarorum monstrat ritus Graecos. Non enim ex consuetudine Latinorum, sed Graecorum jejunabant. Ita Rex Ladislaus decrevit: »Latini, qui Ungarorum consuetudini legitime consentire noluerint, scilicet postquam Ungari carnes dimiserint, ipsi iterum in secunda et tertia feria comederint, si se nostrae consuetudini meliori non consentire dixerint, quocunque volunt, eo vadant: pecuniam vero, quam hic acquisierunt, hic relinquant, nisi forte resipuerint et carnes nobiscum dimiserint" [1]). In margine Decretorum editionis an. 1581 haec notata sunt: Olim Hungari secundum ritum Graecorum jejunabant. Si igitur Hungari religionem accepissent a Latinis, quomodo non etiam ritus cum religione acceperint? Et ita in contrariis esse ritibus minime potuerunt, atqui hic patet contrarium. Jejunabant autem Hungari uti et nunc Graeci ritus, lac, butyrum, caseum et ova non gustantes [2]).

§ V. *Argumentum quartum.* In Hungaria temporibus adhuc Colomanni Regis, qui vixit initio seculi duodecimi, Episcopi et Clerici erant conjugati. Sed capitula ad eam materiam facientia ex recentioribus Decretorum editionibus eraserunt, adest vero in editione antiqua anni 1581, edidit quoque Carolus Peterfi an. 1741 Posonii, in opere de Conciliis in Regno Hungariae celebratis; ubi dolosis supponere vellet cineribus, suis interpretamentis huc illuc sensum articulorum trahens, tandem veritas fateri rem cogit [3]).

Huc facit ex Decretis Ladislai capitulum quod inscribitur: De indulgentia ad tempus facta Presbyteris, ut cum uxoribus maneant [4]). Presbyteris autem, qui prima et legitima duxere conjugia, indulgentia datur, propter vinculum pacis et unitatem spiritus sancti, quousque nobis in hoc Domini Apostolici paternitas concilietur. Appendicula haec sine dubio transcriptoris est in aetate seriore. Hodie tamen conjugia nullo respectu concedunt. In Decretis Colomanni, Titulus: De uxoratis in Episcopum promovendis. Si qui ad Episcopum promovendi, si legitimo matrimonio juncti sunt, nisi ex consensu uxorum non assumantur. Tit.: De Sacerdotibus ante Presbyteratum uxo-

[1]) Decret. S. Lad. Lib. I. Cap. XXXI.
[2]) Galeotis Mart. de Mathiae Regis dictis et factis, pag. 368.
[3]) Apud Peterf. Decret. Lib. II. Cap. XI, XXXI, XXXIII.
[4]) Decret. Lad. Lib. I. Cap. III.

ratis. Presbyteris uxores, quas legitimis ordinibus acceperint, moderatius habendas praevisa fragilitate indulsimus. Tit: De uxoribus Episcoporum. Uxores Episcoporum episcopalia non inhabitent[1]). Clarum ex his est, clericos fuisse conjugatos; elucet quoque ritum Ecclesiae Græcae debuisse observare etiam in conjugio, ubi viduam aut repudiatam ducere nefas; defuncta quoque semel uxore aliam adjungere sibi vetitum. Ita apud Hungaros in usu fuisse loquitur S. Rex Ladislaus in Decretis, Tit: De Bigamis Presbyteris et Diaconis. Bigamos Presbyteros et Diaconos et viduarum vel repudiatarum maritos jubemus separari et peracta poenitentia ad ordinem suum reverti. Et qui noluerint illicita conjugia dimittere, secundum instituta canoniis * debeant degradari. Separatas autem feminas parentibus reddi jubemus suis, et quia non erant legitimae, si voluerint, liceat eis maritari[2]). Ad marginem in Corpore Juris Hungarici, hujus Canonis talis nota jam ab olim adjecta est: Conjugati Presbyteri ante 400 annos in Pannonia ritu Graecorum. In indice quoque Corporis Juris Hung. illa verba habentur editionis Tyrnaviensis an. 1734: Conjugati fuerunt olim Presbyteri in Ungaria.

Loquuntur eadem Decreta Colomanni Regis, Tit: De Bigamis Presbyteris. Bigami et viduarum vel repudiatarum mariti a conjugiis cessent illicitis, vel cleri excludantur consortiis. Tit: De Degradatione Bigamorum. Si quis Bigamus propter uxorem divinum officium reliquerit, omni Ecclesiastica dignitate privetur et inter Laicos deputetur.

Tit: De Privatione Bigamorum Presbyterorum et eorum beneficiis. Ut clerici et viduarum aut repudiatarum mariti, temporalibus Ecclesiae beneficiis et cunctis dignitatibus Ecclesiasticis priventur. Tit.: Si Presbyteri Bigami recipiant ordines. Bigami Presbyteri, qui ad ordines suos redire noluerint ex consensu uxorum suarum recipiantur[3]). Fatetur ad hæc Peterfi temporibus Regis Colomanni Presbyteros et Diaconos omnino fuisse conjugatos; rationem vero hanc addit: quoniam ex oriente plures clerici ad Hungaros adventarant[4]). Id est verum, quo nostram firmat sententiam.

---

[1]) Coloman. Decret. circa an. 1114. Cap. XI, XXXI, XXXIII.

[2]) Decret. Lad. Lib. I. Cap. I.

[3]) Variis Capitibus in Decret. Coloman. in antiqua editione 1581 et apud Peterfium de S. Hung. conciliis.

[4]) ll. cc. pag. 50.

* Canonis (ed.)

§ VI. Canones præmemorati concordant Ecclesiae orientis ritibus jam ab olim observari solitis. Videamus ad hoc solum Canones illos, quos Baronius defert Clementi Apostolorum discipulo. Quintus inter hos ita sonat: Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis non abjicito; si abjicit, segregator a communione; si perseverat, deponitor.

Can. XVII. Qui viduam duxit aut divortio separatam a viro aut meretricem aut ancillam aut aliquam, quae publicis mancipata sit spectaculis, Episcopus, Presbyter aut Diaconus aut denique ex consortio sacerdotali esse non potest.

Can. L. Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus aut quivis omnino de sacerdotali consortio, nuptiis et carnibus et vino abstinuerit, non propter ea quod mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem oblitus quod omnia pulchra valde, et quod masculum et feminam Deus creavit hominem, sed diffamationibus lacessens creationem Dei vocat ad calumniam; aut corrigitor aut deponitor et ex Ecclesia rejicitor. Meminit Canonum horum Gratianus collector et verba sequentia addit: Nos antiquum sequentes Canonem Apostolicae diligentiae et constitutiones sacrorum virorum legales nuptias a modo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in tempore opportuno. Si quis igitur praesumpserit contra Apostolicos canones aliquos Presbyterorum et Diaconorum privare Contactu et Communione legalis uxoris deponatur. Similiter et Presbyter aut Diaconus, qui Religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur; si vero in hoc permanserit, deponatur[1]).

Constantii Caesaris quoque constitutio an. 357 immunes clericorum uxores et liberos a publicis oneribus declarans arguit ea aetate conjugatos fuisse clericos. Ita illa sonat:

Omnibus clericis hujusmodi praerogativa succurrat, ut et conjugia clericorum et liberi quoque eorum et ministeria, id est, mares pariter ac feminae, eorumque etiam filii et filiae immunes semper ab hujus modi muneribus perseverent[2]).

Cum ergo Canones Hungarorum de Conjugio clericorum concordent

---

[1]) Grat. Dist. XXXI. Cap. XIII. pag. 102.
[2]) Codic. Just. Lib. I. Tit. III. pag. 25.

cum consuetudinibus Graecorum, infallibiliter concludi potest eorum recepisse Religionem. Si vero fateantur moderni Romano-Catholici ea aetate ita quoque fuisse in Ecclesia Romana, deseruerunt ergo ipsi antiquos mores et consuetudinem. Vel sic verum est, quod contendimus, Hungaros non modernam fidem Romanam amplexos esse, secundum quam clericis non licet esse uxoratis.

§ VII. *Argumentum quintum.* — Leges de Episcoporum filiis confirmant nostram sententiam. Nullius enim eae essent valoris apud modernos coelibes Clericos, tunc quoque nullius fuissent momenti. In Decretis Colomanni talia extant: Episcopis, qui obierunt, jam neque Ecclesiis providerunt, sed tantum filios suos ditaverunt, placuit medietatem auferre et Ecclesiae reddere. Tit: De libertate Canonicorum et filiis eorum. Si quis clericus servus Ecclesiae fuerit, filii ejus ad pristinam non redeant, sed inter liberos Ecclesiae habeantur. Tales huic capitulo notas adjunxit Peterfius: Hanc libertatem pro filiis suis obtinuerunt Rutheni sacerdotes a Caesare Leopoldo an. 1697. Sperabatur hoc beneficio unio cum Romana Ecclesia. Nec enim addicebat ut aratro et ligoni jurarent filii sacerdotum [1]).

De Presbyterorum filiis talis extat constitutio anni 1267: Presbyterorum filios ad sacros ordines accedere nullatenus permittatis, nisi aut in coenobiis aut in monasteriis [2]). Tandem anno 1279 ita deliberant: Prohibemus sacerdotibus et aliis Clericis in sacris ordinibus constitutis districte, ne secum prolem habeant, quam in sacro ordine genuerant, propter scandalum. Filii autem sive filiae praedictorum in familia sive famulatu, seu pro famulis majoris Ecclesiae, cui sunt immediate subjecti, redigantur ac etiam teneantur [3]). Uxorem filiosque Episcopus non vetatur habere etiam in Canonibus Apostolicis, ubi ita habetur: „Manifestæ sunt privatae res episcopi, si modo et privatas habet. Manifestae item sunto Dominicae, ut privatas quidem res episcopus, cum moritur, quibus vult et quo modo vult relinquendi facultatem habeat. Neque occasione ecclesiasticarum rerum intercidant res episcopi qui non nunquam uxorem et liberos aut cognatos aut servos habet. Justum enim est apud Deum pariter et homines, simul ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat, simul ne Episcopi et cognati ejus prætextu Ecclesiae oblaedantur; aut etiam qui illum generis proximitate contingunt incidant in negotia, ejusque mors implicetur diffamationibus [4]).

---

[1]) In Decret. Coloman. Cap. XIII apud Peterfium pag. 57, 58.
[2]) Peterfi ll. cc. p. 90. § XII.
[3]) Idem pag. 112. Cap. XXVI.
[4]) Canone XXXIX.

Luculentum in Historiis hujus rei extat exemplum. Salomone enim apud Hungaros regnante, Cumani spolia et praedas agebant in regionibus Bihoriensi, Nyiriensi et vicinis, quos bello persequens Rex eos fugavit. Ladislaus Dux cernens Cumanum in equo secum puellam forma excellentem bajulare, non destitit eo usque persequi, donec equo dejectum puella et vita privaret. Quod autem tanto ardore annisus fuerit eam liberare, haec causa traditur: putabat Episcopi Varadiensis filiam esse quamvis non esset[1]). Noverat ergo Ladislaus Episcopum Varadiensem habere filiam, imo etiam de persona eam noverat. Extat quoque de Filia Episcopi quaestio in Jure Canonico[2]).

Haec dici de Clericis Romano-Catholicis non possunt, quibus liberi non sunt, at possunt de Graecis. Interim tamen Gratianus in Corpore Juris Canonici plures enumerat Episcopos Romanos Presbyterorum filios qui ita: „Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius papa fuit filius Jucundi presbyteri, Felix papa filius Felicis presbyteri de titulo Fasciolae, Agapitus papa filius Gordiani presbyteri, Theodorus papa filius Theodori episcopi de civitate Hierosolymae, Sylverius papa filius Sylverii episcopi Romae. Deusdedit papa filius Stephani subdiaconi. Felix enim tertius natione Romanus ex patre Felice presbytero fuit. Item Gelasius natione Afer ex patre episcopo Valerio natus est. Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano presbytero originem duxit. Complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati Apostolicae sedi praefuerunt[3]). Hos si quis ex impuro concubitu prognatos asserere vellet; nae illi injurius tantis viris esset, crassoque versaretur in errore. Imo tradunt bene multi Paulum Rom. Pontificem anno 757 elevasse corpus filiae Petri Apostoli, cui ipsemet Epitaphium hocce posuerat: Aureae Petronillae dilectissimae Filiae[4]). Fuit ergo et Apostolo uxor (1 Cor. IX:5) quam non ut sororem secum circumducebat; alias ex ea Petronillam minime generasset.

§ VIII. *Argumentum sextum.* — Elucet, quod urgemus, etiam ex clenodiis Regni Hungariae, quae omnia Constantinopoli originem traxisse videntur. Ejusmodi sunt:

1. Corona Regia, quae operis et artificii certissime est Græci; docent id structura, imagines, characteres et inscripta Imperatorum nomina. Superius de Corona actum.

2. Crux Duplicata. Vulgaris ea est opinio, quoniam bis ad Christiana conversi sunt sacra Hungari, igitur duplicarunt Crucem Chris-

---

[1]) Bonfin. Dec. II. Lib. III. p. 237. Thurotzi in Chr. P. 11 pag. 54.

[2]) Decret. P. II. Causa XXVII, Q. I. Cap. XXVI.

[3]) Distinct. LVI. C. II. pag. 191.

[4]) Biblioth. Patrum Tom. VIII. Martinus Polonus in Chronico, pag. 300.

tianitatis signum. Aliorum, quoniam Stephanus rex, et Apostoli praedicando verbum, et Regis gubernando et administrando Regnum, functus est officio[1]). Verius habent Hungari a Graecis et orientalibus populis Christianis, ubi Imperatores jam diu sceptri loco duplicatam Crucem gerebant: quos imitati in signum Christianitatis etiam Hungari.

3. Pallium coeruleum Regale est quoque originis Græcae, apud quos erat in more positum, imaginibus sacris ac figuris picturisque intextis variegare vestes. Affirmat ita Belius[2]).

4. Calceamentum Regium arcessitum itidem est ab Imperatoribus Constantinopolitanis[3]). In Regnum receperunt haec Clenodia inde ab initio Christianismi. Unde autem haec, procul dubio inde et Religionem habent, a Graecis.

§ IX. *Argumentum septimum.* — Synodorum quoque apud Hungaros forma eadem docet, quae celebrabantur non ad normam modernorum: indicebant enim Reges imperantes, qui ipsi praesidebant Synodis e Statu Ecclesiastico et Politico collectis. Exemplum ejus est in facto Ladislai, qui anno 1092 concilio in Szabolts celebrato praefuit[4]). Secus omnia Romani nunc et docent et faciunt, qui Reges et Imperantes e Synodis excludunt. Vellet factum Ladislai obnubere peplo apud ignaros rerum ignorantiae Peterfi Jesuita; affirmat enim præsidii tantum loco adfuisse, verum quicquid Episcopi concludebant id ratum erat[5]). Bene habet: præsidii gratia Constantinus Nicaeno, Martianus Chalcedonensi, Carolus M. Francfurtano adfuerunt concilio; interim quod ex eorum authoritate concludebatur, ratum id erat; ita etiam apud Hungaros, quod Ladislaus sanxit, ratum fuit.

§ X. *Argumentum octavum.* — Vicina Hungariae Regna illo aevo Orientalium seu Graecorum sequebantur ritus, in initio scilicet seculi decimi Moravi, Bohemi, Dalmatae, antiquo nomine Venedi et cognatae suis linguae populi Bulgari, Crobatae, Rasciani, Sclavi, Poloni, Russi. Ita de his Historicorum Livius Spanhemius sentit: Hoc aevo non Romanorum, verum Graecorum sequebantur ritus Bohemi, Moravi, qui a Cyrillo, Methodio ac praecipue ab Adalberto ipsis Voitech dicto Christianismum receperant[6]). Cyrillus primus Moravorum scribitur Episcopus, qui seculo nono convertit ad Christum Venedos, hujus socius laboris Methodius

[1]) Verbotzi Tripart. Part. I. Tit. XI. § 3.
[2]) In notitia Hungariae pag. 347. § XXI.
[3]) Belius ll. cc. pag. 350. § XXIV.
[4]) In initio Decretor. Ladis.
[5]) Peterfi in S. Concil. pag. 15
[6]) Spanh. in Hist. pag. 1423. Pfaff. in Hist. E. p. 456.

quorum opera Baptismate tinctus Boriverius Bohemorum rex cum Ludmilla Regina ejus conjuge et pluribus aliis Principibus[1]). Ex mente quorumdam contigit seculo decimo ea conversio circa annum 998[2]); at vero integro prius contigit seculo. Cosmas scriptor Bohemus ita tradit: Anno incarnationis Dominicae 894 Boryvay baptyzatus est[3]).

Cyrillum et Methodium contrariae Latinorum institutis fuisse factionis palam est. Scriptor antiquus seculi noni refert: Methodium Græcum linguam Latinam doctrinamque Romanam superdicendo vilescere fecisse cuncto populo ex parte Missas et Evangelia, Ecclesiasticumque officium eorum, qui hoc Latine celebraverunt. Aventinus de eodem narrat, quod explosa lingua Latina, exsibilato ritu Romano, suum consecravit eloquium[4]).

§ XI. Cyrillus alio nomine dicebatur Constantinus et Methodius uterque originis erant Græcae, nati in Thessalonica[5]). Bogorem Regem Bulgarorum ad Fidem Christianam deduxerant. Rex autem Moravorum venia illis ab Imperatore Graecorum Michaele impetrata evocavit in Regnum suum ad instituendum populum sibi subjectum, qui late tunc in Quaddis dominabatur. Cyrillus plus in Moravia, Methodius vero morabatur in Pannonia, unde Archiepiscopus Pannoniae dictus a Johanne Octavo Pontifice Romano, qui Literis monebat ac obsecrabatur eum, ne lingua Populo vernacula sacra perageret. Litterae, quas edidit Balbinus, ita sequuntur:

Reverendissimo Methodio Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiae. Prædicationis tuae doctrinis Populum Domini tibi quasi spirituali Pastori commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus quod non ea, quæ sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit et quotidie prædicat, docendo dedoceas et ipsum populum in errorem mittas. Unde his Apostolatus nostri literis tibi jubemus, ut omni occasione postposita ad nos de praesenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus et cognoscamus, utrum sic teneas et sic prædices, sicut verbis et literis sanctae Romanae Ecclesiae credere promisisti, aut non, ut veraliter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod Missas cantes in barbara, id est, in Sclavina lingua. Unde jam Literis nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea Lingua sacra Missarum solemnia celebrares, sed vel in Latina vel in Graeca,

[1]) Dubrai. Histor. Boh. pag. 104, 115.
[2]) ll. cc. pag. 103.
[3]) In Chron. Pragon. pag. 7.
[4]) Lampe. Histor. Reform. pag. 15.
[5]) Balbinus in Miscell. Boh. Tom. II. p. 1—5.

sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa et omnibus Gentibus dilatata cantat. Prædicare vero aut sermonem in populo facere tibi licet, quoniam Psalmista omnes admonet Dominum Gentes laudare, et Apostolus, omnis inquit lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Datæ XVIII Julii Indict. XII i. e. an. 879[1]).

Apparet Methodium consuetudine Romana usum non esse[2]) quae consuetudo in Sacris tunc recepta perduravit apud Moravos, Bohemos Venedosque et ad eam, quæ excipiebat Hungarorum conversionem, aetatem.

§ XII. Quare renuerent Latini sacrum Dei cultum lingua populis nativa celebrare, perscripsit Gregorius Septimus in literis ad Uratislaum datis, qui ita præscribit:

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Uratislao Duci Bohemarum Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter alias petitiones Exellentia tua a nobis per literas tuas hoc petit, ut lingua Venedorum apud vos cultum Dei concederemus. Scias igitur charissime Fili! nos nullo modo petitioni tuæ locum dare potuimus. Nam saepius meditantes de sacris scripturis, ita invenimus, quod placuit Dei omnipotenti cultum sacrum lingua mystica peragi, ne ab omnibus praecipue rudioribus intelligatur. Si enim communiter et palam ab omnibus caneretur, facile in contemptum et abusum veniret, aut si a quibusdam e plebe non intelligeretur, ex iterato ejus auditu et non intelligentia qualescunque errores oriri possent, quos ex hominum animis eradicare esset difficilimum. Nec potest dici, aliquando concessum fuisse indoctis, praecipue recenter conversis. Sic est* in Ecclesia primitiva concessum est fidelibus simplicibus Populis, sed quoniam compertum est, inde plurima mala, imo etiam haereses esse ortas, jam nunc ordo Christianus, postquam confirmatus est, connivere non decet. Non potest ergo concedi, quod populus tuus ex ignorantia petit, quod nos Dei et S. Petri potestate prohibemus. Te quoque per cultum Dei omnipotentis rogamus, ut tam inutili contumaciæ omni modo contra eas, tibi praecipimus. Datae Romae an. 1079[3]). Docent hæ Literae, nondum eas Ecclesias ritus observasse Latinos.

Dederat quoque Joannes Pontifex Romanus ad Boleslaum Secundum Bohemorum Regem literas circa annum 940, in quibus obsecratur, quatenus vellet erigere quasdam Abbatias, at non secundum linguam et consuetudinem Bulgarorum, Ruzziarum, Sclavorum, sed Latinorum, quod erit ex mandato Apostolorum, referente Cosma Pragensi.

---

[1]) Balbin. Tom. III. Concil. Epist. Joan VIII. Num. 195.
[2]) Commenius, in Historia Fratrum Bohemorum, pag. 8. XVI—XX.
[3]) Cosmas, in Chronico Boëmorum, pag. 12.
* et (ed.).

§ XIII. *Bulgari Graecorum Ritus secuti.* — Bulgari quoniam a Graecis acceperunt Religionem, ita quoque eorum secuti sunt Ritus semper. Dependentiam Archiepiscopus Bulgariae habuit ex Constantinopoli, quamvis allaborarent variis artibus Romani Pontifices ad se pellicere, imo in Synodis quoque hanc ob causam disceptarent; frustra tamen operam luserunt[1]). Quando Hungari seculo decimo Religionem Christianam amplexi sunt, tunc regionem cis Savanam et civitatem Taurunum, Albam Graecam dictam, Graeci imperio tenebant; tempore Salomonis tandem Regno Hungariae est applicata[2]). In Regionibus istis ad praesentia tempora incolae semper fuerunt ritus Graeci. Unde cum Georgium Rascianorum Despotam ad Ritus Latinos relictis Graecis amplectendos urgeret Joannes Capistranus Legatus Pontificis de latere, ita respondit apud Aeneam Sylvium: Annis nonaginta vitam produxi, nec aliam Religionem, quam suscepi a Parentibus, novi; sapientem me cives mei, quamvis infelicem, hactenus putavere. Tu nunc, quod sæpe agitant, senem delirum efficere cupis: laqueo finire vitam malim, quam Patrum traditiones relinquere[3]). Monuit saepius efflictimque rogavit Gregorius Episcopus Romanus Belam IV Regem Hungariae anno 1234, ne Walachos in Regno suo existentes patiatur dependentiam habere ab Episcopo Graeci Ritus Cumaniae[4]) (Cumania autem tunc dicebatur tota illa Regio, quae jacet a fluvio Aluta intra Alpes et Danubium Nesterque fluvium, quae nunc dicitur Moldavia et Walachia[5]); sed in id totus incumbat, ut dependentiam ab ipso ac ejus episcopis habeant. Bela ad eos nihil motus, nihil etiam effecit. Walachi quoque ad hunc usque diem Ritus sequuntur Graecos.

Si quis argumenta haec Historica, absque opinione praeconcepta, accurate percensuerit, non potest non ad hanc descendere sententiam: Hungaros temporibus Geizae et Stephani, non Religionem Romano Catholicam prouti nunc se habet, verum Ritus Graecos, cum gentilismo renunciarent, esse amplexos.

§ XIV. *Hungari amplectuntur Ritus Latinos.* — Expedienda erit jam quaestio Historica: Quando ergo amplexi sunt Hungari instituta Ecclesiae occidentalis, ita ut ad instar Regnorum aliorum in Europa sese Romano Pontifici submitterent? Tanti momenti haec questio non est, quae solvi facile non possit. Initium enim inclinationis ad Ritus Latinorum referri potest ad ea tem-

---

[1]) Pfaff in Histor. Eccl. pag. 405.
[2]) Bonfin. Dec. II. Lib. III. Turotzi pag. 55.
[3]) In Europa sua.
[4]) Rzovius in Annal. ad an. 1234.
[5]) Rewa in Cent. pag. 148. Timon Epist. IV ad Baronem Apor pag. 40.

pora, quae statim excipiebant Stephani Regis obitum. Variis artibus vario modo per totum illud seculum tentabant, at tunc proficientes parum: sensim tamen sequentibus jactum est fundamentum, praecipue per matrimonia Regum. Stephani uxor erat Gisela Henrici Imperatoris soror, Latinorum magis quam Graecorum sacris addicta. Connubii hujus occasione plurimi Proceres ex Germania ac Italia Hungaris immixti sunt. Quibus sine dubio consenserat, imo eorum utebatur ministerio, sive haec illa fuerit Gisela, sive alia Burgunda ejus nominis, dum cognatos mariti Stephani Regis sed jam effecti senis persequebatur, qui e Hungaria dilapsi apud vicinos Polonos vitam servarunt. Stephanum excepit Petrus. Hunc alii Venetum, alii scribunt Burgundum. Quiscunque fuerit, Religionis a Graecis acceptæ promotor non fuit. Hujus aetate Henricus Tertius Imperator, bello Hungaros adortus, Petrum ab Hungaria abactum restituit. In signum victoriae quædam de manubiis ab hoste partis ex Hungaria misit Romam, devotionem suam testaturus. Inde nata occasio, arrepta avide a Gregorio, prætensionem formandi ad Regnum Hungariae. Jussit quoque Reges Hungarorum abs se confirmationem devote petere; omnia enim Regna sunt Feuda Romani Pontificis, qui Regna Regibus dare potest. Multae hujus Gregorii extant Literae hodiedum, quibus Jus in Hungariam formare conabatur. Movit et quicquid potuit per Literas ac Legatos promovit pauca quidem sua aetate; at tamen secuturis fundamentum posuit.

Uxor Salomonis erat filia Henrici tertii Cæsaris. Hanc aeque ac maritum Gregorius Pontif. saepius per literas pulsabat. Tales erant Reginae; uxor Colomanni Regis Siciliæ filia Stephani tertii, Agnes filia Leopoldi Austriaci, Belae tertii Margarita Regis Galliae filia, vidua Henrici Angliae Regis, Emerici Constantia Arragonum Regis filia, Andreæ Secundi Gertrudis Alemannica, et alia Beatrix Itala. Per hæc connubia facile Rituum immutatio contigit; quod enim Aulae placet imitantur Proceres, hos Nobilitas exprimit, huic vero Plebei se conformant, atque ita facile contingit Morum Doctrinæque permutatio. Multo magis cum Reges e Sicilia et Gallia occuparent Regni habenas, qui Romano Pontifici subjecti prorsus Ritus immutarunt sacros. Tandem ignorantiae tenebris sensim Regiones immersae, relicta Christianismi realitate, habitum ejus amplectebantur externum vacuisque pro religione innitebantur cerimoniis. Loco veræ sanctimoniae occuparunt Religionem Processiones variae, indulgentiae et alia id genus monopolia ac nundinationes pro remissione peccatorum, quæ Doctrinæ Christianae veritatem cineri subjecerunt doloso.

CAPUT DUODECIMUM.

De Chuno-Hungaris et eorum ad Christianismum Conversione.

§ I. *Cumani Hungaricae originis.* — Est in Hungaria intra Tibiscum ac Chrysium fluvios infra Debrecinum Cumanorum Regio, a Cumanis vel Chunis ita dicta, qui Hungariam erant ingressi anno 1237 tempore Belæ IV Regis [1]). Originem trahebant ex Hunnis aut Chuno-Hungaris, verum ad ista usque tempora immersi gentilismi tenebris crassa haerebant in ignorantia. Fuisse Hungaricae originis docet tam nomen, quam lingua eorum, qui quamvis a primo in Hungariam ingressu sejunctim regionem eam incoluerint, tamen lingua Hungarica ut vernacula utuntur [2]). Quae* fieri minime potuisset, si eorum lingua in Radice eadem cum Hungarorum non fuisset absque commixtione, ita quoque suam non totam amisissent, sed tertiam ex duabus cum tempore formassent, prout contigit cum linguis Italica, Gallica, Hispanica, Anglica, Wallachica. Multo minus Praedicatores primo in Hungariam adventus tempore ad se missos intellexissent.

§ II. In Hungariam venerant ex Moldavia ingressum a Bela Rege Hung. exorantes. Nunciaverat enim eorum Rex bellum ipsi esse cum Tartaris, quos bis equidem acre superatos vicit, verum ab istis rursum victus in proprio Regno perfugium habere non potest. Si igitur eum cum populo receperit in Regnum suum, Hungariam ingressus Christianam amplectetur fidem. Gavisus hoc audito per internuncium Bela; tum quia eorum adventu Regnum suum, in desolatis Regionibus, populo firmabit, tum quia magnum ita animarum numerum Christo lucrifacturus est. Misso igitur nuncio significavit Kuttenio Chunorum Regulo paratum recipere modo veniret [3]). Hungariam ingressus cum suo populo, plusminus quadraginta millia aequante, factus est Christianus. Eam multitudinem ad deserta cis Tibiscum loca collocatum donavit ea libertate, ut nullo discrimine Hungarus et Chunus habiti, eodem uterque uterentur jure.

§ III. Verum ex hac aequalitate et populorum commixtione orta est in Regno ingens discordia et tandem Hungariæ desolatio ac fere finale exordium. Nam elatio Hungarorum hanc Chunorum cum ipsis aequalitatem non ferebat. Chunorum vero perfidia, qui nomine magis quam re

---

[1]) Rogerius in Script. Rer. Ungaricarum, p. 178.
[2]) Timon, Epist. III. p. 38. Epist. IV. pag. 40.
[3]) Turotzi, ll. cc. Otrokotsi in origin. 275. Revai Cent. III. pag. 15.
* quod (ed.).

erant Christiani, Hungaros perpetua afficiebat injuria. Rex enim illis tanquam novellis Christianis favens querelas adversus eos non audiebat, multo minus digno responso sedabat; unde Hungarorum odium eousque exarsit in novos hospites, ut etiam Regem eorum Kuttenium virum bonum ac innocentem dolo malo sustulerint. Aegre admodum Chuni tantum facinus ferentes, cum Tartari 500.000 adversus Hungaros adventarent, se illis adjungentes, ut vindictam pro Kuttenio sumerent, affligebant Hungaros et in solitudinem Hungariam redigebant. Tartari triennium in Hungaria morati; tandem omnia ibi consumentes vastitas et fames inde depulit. Reliquiae Hungarorum, Rege quoque ex exilio revertente, prodeuntes ex arcibus, sylvarum abditis, ac montium cavernis aedificabant ac reparabant civitates ac loca habitationum ex ruinis. Ita quoque aliqua Chunorum pars remanserat in loco ipsis attributo, quae rursum ad Fidem se Christianam obligans Jure Hungarico donata est. Quale horum conversioni rapacitas Cleri Hungarici obstaculum posuerat, adparet apud Raynaldum ad annum 1328 numero 83 ex literis Joannis Papae ad Clerum Hungaricum, qui ita scribit: „Significavit nobis charissimus in Christo filius noster Carolus Rex Ungariae illustris, quod vos, cum contingit aliquos ex Cumanis, Blachis et Slavis et aliis infidelibus ad fidem Catholicam divina gratia et dicti Regis inductione converti, ab hujusmodi taliter conversis et in fide catholica praedicta novis, decimas integras nimis rigorose exigitis ac etiam extorquetis, propter quod neophyti et conversi hujusmodi ex eo, quod solvere decimas ante conversionem non consueverunt, interdum asserunt, quod ad fidem catholicam praedictam adsumendam ex eo invitantur, ut dent clericis bona sua, et multi, qui ad fidem ipsam libenter converterentur, a conversione hujusmodi propterea retrahuntur.

Hac de causa addit: Mandamus, quatenus in exigendo decimas praedictas ab hujusmodi de novo conversis vos sic benigne curialiter, quousque conversi ipsi in fide praedicta perfecti et in ea plenarie roborati fuerint, vos geratis, quod conversi ipsi se gravatos non reputent: quin imo benignius pertractati alios infideles ad prædictam fidem catholicam adsumendam adducant, et ipsi in fide Catholica devotius perseverent". Pars alia cum Tartaris secessis e Regno, quae, imperante Ludovico gloriossissimo Hungarorum Rege, in Hungariam ad Christianismum et Regionem olim desertam rediit. Hi tempore Reformationis, nullo jam fere discrimine inter Hungaros et Cumanos existente cum caeteris Hungaris Reformationem amplexi, eandem hodie quoque sequuntur Religionem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Festis in genere, in specie vero de Die Dominico.

§ 1. *Origo Festorum.* — Nullae tam barbarae extiterunt Gentes, quæ non aliqua celebrarent Festa ac Ferias. Sic autem vocabant diem illum, quo in unum conveniebant ad res proprias vel Communitatis ordinandas. Praecipue vero ad vendendum vel emendum aut res commutandas, permutatio enim erat primigenium emendi vendendique genus. Cum autem sparsim incolerent rura ac villas, certum praefigebant locum ciendum, unde civitas, et tempus quo confluerent. Tunc etiam publicabantur conclusa ac decreta in communitatis conservationem, ut ita ad omnium pervenirent notitiam. Cultum quoque divinum ac sacrificia eodem die, loco ac tempore perficiebant, quibus Deorum animos aptius devincirent. Apud Romanos nonus erat dies, unde Nundinae dicebantur et Novemdialia sacra; quo die ruricolae civitatem intrabant, tum ad Leges perdiscendas, tum Deos colendos, tum praecipue ad necessaria pro victu et amictu sibi comparanda[1]).

§ II. *Festa Christianorum.* — In decursu Novi Testamenti, certa Deus Festa ad tempus interstinguendum [Deus] non indixit, quoniam tota N. T. facies est quasi celebris aliquis Dies Festus. Festa autem V. T. erant umbrae futurorum bonorum; cum vero tempus N. T. est non umbrarum sed implementi, Deus ea mandare noluit. Primum tamen Hebdomadis Diem ab initio consecravit Ecclesia Dei praecipue cultui divino peculiariter exercendo. A temporibus Apostolorum observatus est ille mos et consuetudo huic diei adstricta: in ea enim Christus Dominus a mortuis resurrexit; unde a Domino Dies Dominicus dictus. Insuper Ecclesia primaeva, ut eo magis gratitudinem testaretur suam ob opus Redemptionis in memoriam Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis in coelos et Missionis Sp. sancti, celebravit Festa, quibus Deo gloriam attribueret.

§ III. *Festa Hungarorum.* — Hungari existentes adhuc in superstitiosae gentilitatis et ignorantiae tenebris, qualia coluerint Festa, incertum aeque ac ignotum est nobis. Sine dubio habuerunt illum Nundinarum diem, quo emendi vendendique gratia in unum coibant. Qui Dies ex more aliarum Gentium, ubi facti sunt Christiani, ad Dei cultum consecratus, denominationem retinuit Vásárnap, Dies mercatus dicitur, translata significatione a rebus terrenis ad coelestia, quae eo die compararentur. In Decretis Stephani H. R. dicitur Dies Dominicus, de

---

[1]) Hofm. in voce Nundinae.

quo sequens promulgavit Edictum: De observatione Dominicae diei ut abstineatur a laboribus. Cap. VII. Si quis Presbyter vel Comes sive aliqua alia persona fidelis die Dominica invenerit quemlibet laborantem, abigatur. Si vero cum bobus, tollatur sibi bos, et civibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus bove redimat si velit, et idem bos manducetur ut dictum est. Si qui aliis instrumentis, tollantur instrumenta et vestimenta, quae si velit cum cute redimat. Cap. VIII. A Sacerdotibus vero et Comitibus commendetur omnibus villicis, ita ut ipsorum jussu omnes concurrant die Dominica ad Ecclesiam, majores et minores, viri et mulieres. Exceptis illis qui ignes custodiunt. Si quis vero obstinatus remanebit, vapulet et depiletur[1]). Dura sane Lex sed necessaria, quae sinon Pietas, non Poena decreta, Pudor cum ignominia omnium oculis exponeretur, cogeret adire cultum sacrum.

§ IV. Proposita erat quoque Clericis officii sui Ratio, quid die Dominico ipsis agendum esset. Labor populo instruendo impendendus. In decretis Colomanni anno 1114 editis talis conclusio extat: In omni Dominico die in majoribus Ecclesiis Evangelium et Epistolae exponantur populo, in minoribus vero Fides et oratio Dominica[2]). Sensus Praecepti est, ut in majoribus Ecclesiis ubi doctior et cultior esset populus Pericopae sacrarum scripturarum praelegerentur et interpretarentur, indeque adhortationes formarentur: in minoribus vero Ecclesiis de Fidei articulis instructio haberetur. Interdictum erat autem eo die exercere:

1. Nundinationes et actus emendi vendendique. In Decretis s. Ladislai ita mandatur: Si quis Dominicis diebus, vel in majoribus Festivitatibus Ecclesiam negligens mercatum frequentaverit, equo careat. Item: Si quis die Dominica mercatum constituerit, praecepit sancta Synodus, ut sicut constituit ita destruat. Si autem renuit, quinquaginta quinque Pensas solvat[3]). Quantum Pensa faceret? non est in liquido. Ex mente quorundam Denariolum Hungaricum: ex aliorum autem, una Pensa faciebat quadraginta denarios Hungaricos seu viginti cruciferos, atque ita poena reis injuncta florenos Hung. viginti duos.

In Decretis Colomanni illa habentur: Si quis in die festo

[1]) In Decret. Steph. Lib. II. Cap. VII. VIII.
[2]) Decret. Colom. Lib. II. Cap. II. apud Peterfi de conciliis pag. 55.
[3]) Decret. Lad. Lib. I. Cap. 15, 16.

vendiderit, pretium acceptum quadruplo restituat, ipse vero poenitentiae subjaceat [1]).

2. Venationes. De iis Decretum Ladislai ita sonat: Si quis in his diebus venatus fuerit, canibus et equo careat, sed equum bobus redimat. Si vero Presbyter aut Clericus fuerit venatus, ab ordine descendat, usque ad satisfactionem [2]).

3. Saltationes seu choreas, de quibus Augustinus: Melius est festivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Interdictae etiam sunt synodaliter anno 1279 [3]).

4. Litis Processus. Constantinus primum M., tandem severissime interdixit Carolus M., ne litis strepitu diebus Dominicis sacra interturbarentur.

5. Itinera longinqua, quibus sacer Dei cultus negligeretur.

§ V. Ut tanto fervidiorem erga Christum zelum Christiani declarare valerent, consecrarunt selectos dies in memoriam benefactorum Christi, in quibus memoria recolitur beneficii erga humanum genus praestiti. Ejusmodi sunt Natalis Christi, circumcisionis &c. Cum tempore alios quoque Dies his adjunxerunt, distinctionis gratia denominantes a certis Personis Pietate claris; quorum origo haec est. Christiani e densis Ethnicae superstitionis tenebris in lucem Christianam emersi, ubi plures erant Dies Gentilium Deastris consecrati, quibus asueverant, difficilime ab eorum cultu desuescebant. Consultius ducebant Christiani Doctores, iis Diebus enarrare acta et facta Martyrum, Passiones, Constantiam &c. eorum, quam quidem deorum fictorum fabulas. Ex quo tandem facto cum tempore orta est invocatio et Sanctorum adoratio, iisdem in diebus. Aucti quoque sunt Martyres et Sancti colendi in tantum numerum, ut omnes totius anni dies illis non sufficerent. Igitur Bonifacius IV optimo consilio primum Novembris Diem consecravit in honorem omnium Sanctorum, qui occupare sibi gradum in Calendario aut Menologio non poterant [4]).

Festa eadem colebant tam Latinae, quam Ecclesiae Graecae, etsi cum insigni variatione. Hos sequebantur et Hungari. Stephanus equidem horum in suis Decretorum Libris non meminit. Nos alibi de Festis plura.

---

[1]) Colom. Lib. II. Cap. XIII.
[2]) Lib. I. Cap. XII.
[3]) Peterfi de Concil. pag. 116.
[4]) Hofman in voce Festa.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Conservatione verae apud Hungaros Doctrinae per Waldenses et alios fideles.

§ I. Quanta Ecclesias Occidentales seculo Decimo et subsequentibus occupavit corruptio Morum et Doctrinae, palam est ex Historiis, nec quisquam abnegabit, ubi Justificatio peccatoris coram Deo in eo collocabatur, si loca in Sanctorum honorem adirentur, statis temporibus visitarentur; Sanctificatio: si Monachorum, aut Monialium chordae, vesticulae, Sanctorum Sanctarumque reliquiae gestarentur. Peccatorum remissio pretio acquiri poterat. Plurima erant in Hungariae quoque regno amplissimo Loca, quae statis temporibus frequentabantur, majorine cum Sanctitatis ac Pietatis emolumento an detrimento? loquuntur et ingemiscunt antiquorum querelae. Sub corona Hungarica ultimis temporibus Loca de nomine solius B. V. Mariae nominata et Processionibus frequentata centenarium excedebant numerum [1]), quae visitasse magna erat Sanctitatis species et augmentum.

§ II. *Veritatis testes.* — Plures erant in his quoque tenebris testes veritatis qui de Morum et Doctrinae corruptione integris editis libris querebantur. Nicolaus Clemangis Archidiaconus Benedicti Pontificis secretarius scripsit plurima, inter alia de Statu Ecclesiae corrupto, ubi ita illacrymatur impuram Monasticorum vitam: Quid obsecro aliud sunt hoc tempore puellarum monasteria, nisi quaedam non dicam Dei Sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula, sed lascivorum et impudicorum juvenum ad libidines explendas receptacula, ut idem hodie sit puellam velare, quod et publice ad scortandum exponere [2]). Eidem tribuuntur Rythmi sequentes:

Recessit hoc tempore Lex a Sacerdotibus,
Justitia a Principibus, consilium a Senatoribus,
Fides a Populo, amor a Parentibus,
Reverentia a Subditis, caritas a Praelatis,
Disciplina a Literatis, studium a Scholaribus,
Religio a Monachis, devotio a Monialibus,
Honestas a Juvenibus, timor a Senioribus.

---

[1]) Szentiványi Dissert. Paralipom. p. 53.
[2]) De Statu Eccl. corrupto Cap. XXIII apud. Honert in Theolog. Proph. pag. 655.

Ille idem scribit: Si quis velit egregie Diabolo servire, eum debere intrare monasterium [1]).

Equidem verum est, hanc corruptionem fere fuisse universalem in omnibus regnis; fuerunt tamen etiam, qui veram doctrinam sequerentur, eam defenderent propagarentve. In Hungaria quoque superstitio radices egerat, multaque obscuraverat; extiterunt tamen etiam qui evellere conarentur et lumen quaquaversum spargere.

§ III. *Origo Waldensium.* — Seculo Duodecimo Lugduni in Gallia ad Scripturarum divinarum propagationem Petrus Waldus, [qui] Verbum Dei in linguam vernaculam transfundi circa annum D. 1170 curavit, inque tenebris cum aliis sibi similibus lucem accendit. Orta persecutione in Gallia, Germaniae peragrabat loca varia secum lumen Scripturarum circumferendo, quo excitabat veritatis amantes ad eam inquirendam. Tandem resedit in Bohemia, quod vicinis etiam plurimum profuit Hungaris. Quales autem fuerint Christiani hi Waldenses et Albigenses, qui eo tempore variis contradicebant abusibus, apparet ex Reinerio Inquisitore adversus eos anno 1250 et hoste eorum gravissimo, ita scribente: „Inter omnes sectas, quae sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiae Dei, quam pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima: quia diuturnior, quidam dicunt, quod duraverit a tempore Sylvestri, alii dicunt a tempore Apostolorum. Secunda: Quia est generalior. Fere enim nulla est terra, in qua haec secta non serpat. Tertia: quod omnes aliae cum immanitate blasphemiarum in Deum horrorem inducant, haec magnam habens speciem Pietatis eo quod coram hominibus juste vivant, et bene omnia de Deo credant, et omnes articulos, qui in Symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant, et oderunt, cui multitudo facilis est ad credendum. Novum et Vetus Testamentum vulgariter transtulerunt et sic docent ac discunt. Vidi et audivi rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum, et plures alios, qui Novum Testamentum sciverunt perfecte" [2]). Haec eorum erat haeresis scire sacras literas, quod porro Reinerius ita tradit: Nemo apud eos nescit literas, et scribere commode sciunt, linguamque Gallicam callent, quatenus Biblia intelligere et psalmos canere possint. Nec quemquam inter eos temere puerum reperias, qui interrogatus fidei quam profitetur, non expedite ac memoriter rationem reddat, quod illis cum caeteris convallensibus commune est. Omnes scilicet viri et feminae,

---

[1]) In Catalogo Testium veritatis pag. 939.

[2]) Libro adversus Waldenses edito in Biblioth. Patrum Tom. IV. Part. II.

parvi et magni, nocte et die non cessant docere et discere. Operarius enim in die laborans in nocte discit vel docet. Egregium de doctrina eorum testimonium, simile de moribus perhibet: Sunt in moribus compositi, superbiam in vestibus non habent, quia nec pretiosis nec multum abjectis utuntur. Negotiationes non habent, propter mendacia et juramenta et fraudes vitandas, sed tantum vivunt de labore ut opifices. Divitias non multiplicant, sed necessariis sunt contenti. Casti etiam sunt maxime Leonistae, temperati in cibo et potu, ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent. Cognoscuntur etiam in verbis praecisis et modestis. Cavent a scurillitate, detractione, verborum levitate, mendacio et juramento [1]).

§ IV. *Fata Waldensium.* — Tales Waldenses erant ex testimonio etiam capitalium suorum hostium. Quorum Fata ex antiquorum monumentis in hunc contraxit sensum Frid. Ad. Lampe: „Hostilem animum contra veritatem ab hac aetate quam maxime Ecclesia Romana effundere coepit, primo lingua Waldenses denigrans. Huc pertinent scommata et nomina contemtus causa iis imposita. Dicti enim non tantum Pauperes de Lugduno, Leonistae, Bagnolenses, Picardi, a locis ortus et commorationis, sed etiam Boni homines ob simplicitatem, Insabbatharii, quod nullum festum colerent, porro Gazari, Piphles, Passageni, Circumcisi, Gymci, Publicani, Cabatati &. Accedebant atroces calumniae, quasi defenderent promiscuas libidines, illicita esse omnia juramenta et judicia sanguinis, Symbolum Apostolicum nullo loco haberent, baptismum repudiarent, Dei unitatem, incarnationem, resurrectionem mortuorum impugnarent, libros Evangeliorum in sentinas projicerent, nulla oratione praeterquam Dominica uterentur et ita porro. Unde a diversis Papis et in multis conciliis excommunicationis fulmine sunt impetiti.

Verbis facta accessere. Excitati jam seculo duodecimo contra illos Galliae et Angliae Reges Ludovicus VII ac Henricus II, nec* Raymundus comes Tolosanus, Philippus comes Flandriae aliique. Hinc multi eorum in pluribus locis per regnum Franciae et in Flandria an. 1183 combusti leguntur. Ab Innocentio III et successoribus cruciatae expeditiones contra Waldenses ac Albigenses sunt adhibitae et terrae haereticorum iisdem in possessionem datae. Exarsit hoc incendium praecipue anno 1209, occupata primum urbe Bituricensium, in qua ultra 60000 hominum utriusque sexus trucidata. Idem fatum multae aliae urbes habuere, bello in multos annos protracto.

---

[1]) Apud Lampium Hist. Eccles. Lib. II. Cap X. § XV. XVI.
* nec non (ed.)

Hac occasione erectum est Stygium Inquisitionis Tribunal, quo nihil immanius Mundus vidit, ab Innocentio III primo Reinerio demandatum cum potestate cogendi Haereticos redire ad Catholicae fidei unitatem, et percellendi poena canonica contumaces. Adjunctus est circa an. 1212 Dominicus fundator ordinis Praedicatorum, cui ordini officium hoc sanguineum privative commissum est. Datum quidem ab initio idem negotium et Franciscanis, qui tamen mansuetioris ingenii visi sunt, unde potiores Dominicanorum in eo partes permansere. Quin his solis judicium hoc deinde traditum in Gallia et Arragonia a Gregorio IX antesignano Raymundo Pegnafortio, a quo editi an. 1235 canones a Papa approbati, quibus scitum est ut haeretici aut suspecti haereseos a quocunque etiam proximo agnato, Patre filiove non exceptis, denuntientur Inquisitoribus sub poena Excommunicationis; ut delati in durum carcerem muro circumdatum compingerentur, ad quem nullus sit aditus, nisi Inquisitoribus; ut admittantur in eos quicunque testes, excepto inimico capitali, de quo tamen an talis sit judicent Inquisitores; ut vel uno tantum teste deponente adhibeantur tormenta et equulei; ut etiamsi non confitens ad depositionem duorum testium habeatur pro convicto; bona eorum fisco ut addicantur; licet confesso gratia esset promissa etiam juramento tamen puniatur, quia poenae quas patiuntur haeretici, sint gratia; ut pro haeretico habeatur, qui Waldensium aut Haereticorum aliquos, licet imprudens recepisset, ejusdemque rigoris alia.

Eminuit inter Inquisitores Conradus Marpurgensis, sub eodem Gregorio; qui eo ipso die, quo quis haereseos accusatus erat, tam nobiles, quam ignobiles flammis injicere consueverat. Delatos enim probabat ferro candenti et si quos ferrum adussisset, protinus ut haereticos comburi jussit. Ordalium hoc probandi genus dicebatur. Alii per aquam sunt probati, non solum frigidam, cui innatantes pro sontibus declarabantur, sed etiam ferventem, cui nudum brachium ad cubitum usque immittebatur. Supplicia horrenda et in dies nova in eos, qui condemnabantur, sunt excogitata.. Viris umbilico tenus detracta pellis et immissae apes, donec inter lentos cruciatus animam efflarent. Odii contra Waldenses causam nihil dissimulando aperit author quidam Pontificius dominus de Heillan, Hist. Franc. I perhibens: Quamvis habuerint pravas opiniones, non tamen eas tantum Papae et Procerum contra eos odium excitasse, quantum excitavit libertas linguae, qua usi sunt in reprehendendis vitiis et dissoluta Principum ac Ecclesiasticorum

vita, item in vituperandis vitiis actionibusve Papae, ita ut hoc punctum primarium fuerit, quod eos odio universali exposuerit, oneraritque pessimis opinionibus, quas nunquam habuerunt"[1]). Hactenus verba Lampii, quae docent non tales olim fuisse Waldenses, quales hodie nobis pinguntur.

§ V. *De Waldensium Doctrina.* — Ex fructibus cognoscitur arbor. Extat hodiedum Catechismus anno 1100 editus, Religioni nostrae in scriptis Prophetarum et Apostolorum fundatae per omnia concordans, quem Johannes Legerius in ipsis Vallibus Pedemontanis vidit et usurpavit ac suo commentario inseruit. Qui etsi uberior sit inserendum hic puto. Colloquuntur ibi Pastor et Discipulus[2]).

Pastor. Si interrogatus fueris, quid tu sis? responde.

Discipulus. Dei creatura rationalis et mortalis.

Past. Propter quod Deus te creavit?

Disc. Ut eum ipsum cognoscam et colam et per ejus ipsius gratiam salvus sim.

Past. In quo consistit Salus tua?

Disc. In tribus virtutibus substantialibus, quae necessario pertinent ad Salutem.

Past. Quaenam sunt illae?

Disc. Fides, Spes et Charitas.

Past. Qua ratione id probabis?

Disc. Apostolus scribit 1 Cor. XIII: hae tres res remanent: Fides, Spes et Charitas.

Past. Quid est Fides?

Disc. Secundum Apostolum Hebr. XI est subsistentia rerum, quas debemus sperare, et argumentum earum rerum, quae non apparent.

Past. Quot sunt modi (genera) Fidei?

Disc. Duo genera, scilicet (Fides) viva et mortua.

Past. Quaenam est Fides viva?

Disc. Ea, quae operatur per Charitatem.

Past. Quaenam est Fides mortua?

Disc. Secundum sanctum Jacobum Fides quae est sine operibus mortua est. Et propter ea fides otiosa est sine operibus: vel fides mortua est, Credere Deum esse, et credere Deum, non autem credere in Deum.

Past. Cujusnam fidei tu es?

Disc. Verae fidei catholicae et Apostolicae.

---

[1]) Historia Eccl. Lib. II. Cap. X. § 54—57.

[2]) Edidit Joan Honert 1739 in Diss. Histor. Theologica de Fide Religioneque veterum Wald. pag. 38.

Past. Quaenam est illa?

Disc. Illa est quae in Consilio (vel Symbolo) Apostolorum divisa est in duodecim articulos.

Past. Quaenam est illa?

Disc. Credo in Deum Patrem, omnipotentem &c.

Past. Per quam rem potes tu cognoscere quod credas in Deum?

Disc. Per eam quod sciam et servem Praecepta (Mandata) Dei.

Past. Quot sunt Praecepta Dei?

Disc. Decem, ut manifestum est in Exodo et Deuteronomio.

Past. Quaenam sunt illa?

Disc. Audi Israel! Ego sum Dominus Deus Tuus, non habebis Deum peregrinum coram me. Non facies tibi sculptile.

Past. A quo pendent omnia illa Praecepta?

Disc. A Duobus magnis Praeceptis, nempe amare Deum supra omnes res, et Proximum sicut se ipsum.

Past. Quidnam est fundamentum horum Praeceptorum per quod unusquisque debet intrare in vitam, sine quo fundamento nec aliquis potest digne facere, nec implere Praecepta?

Disc. Dominus Jesus Christus, de quo dicit Apostolus 1 Cor. III: Non potest aliquis ponere aliud fundamentum, nisi id quod positum est, quod est Jesus Christus.

Past. Per quam rem potest venire homo ad illud fundamentum?

Disc. Per fidem dicente S. Petro: Ecce ponam in Sione principalem lapidem angularem, electum et pretiosum: qui credet in eum confusus non erit. Et Dominus dicit: Qui credit in me habet vitam aeternam.

Past. Quomodo potes tu cognoscere, quod tu credas?

Disc. Per id, quod eum ipsum cognoscam verum Deum, et verum hominem, natum et passum &c. pro mea redemtione et justificatione &c, quod amem eum ipsum, et desiderem implere ejus Praecepta.

Past. Per quam rem pervenitur ad virtutes essentiales, nempe ad Fidem, Spem et Charitatem?

Disc. Per donum sancti Spiritus.

Past. Tune credis sancto Spiritui?

Disc. Ego ei credo. Nam sanctus Spiritus procedit a Patre et Filio; est una Persona Trinitatis, et secundum Divinitatem est aequalis Patri et Filio.

Past. Tu credis Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S. esse tres in Personis. Ergo tu habes tres Deos?

Disc. Non habeo tres.

Past. Tamen tu nominasti tres?

Disc. Id est ratione distinctionis Personarum, non autem ratione essen-

tiae divinitatis. Nam etiamsi ea sit tres in Personis, tamen ea est una in Essentia.

Past. Deum, cui tu credis, quomodo adoras tu et colis?

Disc. Ego eum adoro per adorationem latriae exterioris et interioris. Extrinsecus per genuflexionem, per elevationem manuum, per inclinationes, per hymnos, per cantica spiritualia, per jejunia, per invocationes. Intrinsecus vero per piam affectionem, per voluntatem compositam ad omnes res, quae ipsi bene placent. Verum ego eum colo per Fidem, per Spem et per Charitatem in Praeceptis ejus.

Past. Tune adoras ullam aliam rem et colis ut Deum?

Disc. Non.

Past. Cur?

Disc. Per (vel propter) ejus Praeceptum, quo stricte mandat, dicens, tu adorabis Dominum Deum tuum et ei soli servies. Porro: gloriam meam alteri non dabo. Iterum: Ego vivo, dicit Dominus, et omne genu mihi flexum erit. Et Jesus Christus dicit: erunt veri Adoratores, qui adorabunt Patrem in Spiritu et in veritate. Nec Angelus voluit esse adoratus a sancto Johanne, nec Petrus a Cornelio.

Past. Quo modo oras?

Disc. Ego oro oratione data a Filio Dei dicens: Pater noster &c.

Past. Quaenam est altera virtus substantialis, quae necessario pertinet ad salutem?

Disc. Illa est charitas.

Past. Quaenam res est charitas?

Disc. Est donum sancti Spiritus, per quod anima est reformata in voluntate, illuminata per Fidem, per quam credo omnes res credendas et spero omnes res sperandas.

Past. Tune credis in sanctam Ecclesiam?

Disc. Non. Nam illa est creatura. Sed ego credo de illa ipsa.

Past. Quid credis tu de sancta Ecclesia?

Disc. Ego postulo, ut Ecclesia sit duobus modis, uno (quippe) quoad substantiam; altero quoad Ministros. Quoad substantiam sancta Ecclesia Catholica sunt omnes a Deo electi; inde ab initio usque ad finem, in gratia Dei, per meritum Christi, congregata per Spiritum sanctum, ante ordinata ad vitam aeternam; quorum et numerus et nomen Ei soli cognitum est, qui eos elegit. Et finaliter in hac Ecclesia ne unus quidem Proscriptus manet. Ecclesia autem secundum veritatem ministerialem sunt Ministri Christi, cum subjecto ei Populo, utente ministerio per Fidem, Spem et Charitatem.

Past. Per quam rem cognoscere debes Ecclesiam Christi?

Disc. Per Ministros convenientes et Populum in veritate (sive vere) participem Ministerii.

Past. Per quam vero rem cognoscis Ministros?

Disc. Per verum Fidei sensum et per sanam Doctrinam et per Vitam boni exempli et Evangelizationem (sive praedicationem Evangelii) et per debitam sacramentorum administrationem.

Past. Per quam rem cognoscis falsos Ministros?

Disc. Per fructus eorum, per caecitatem, per malam operationem, per doctrinam perversam, per indebitam (indecentem) administrationem sacramentorum.

Past. Per quam rem cognoscitur caecitas?

Disc. Quum nescientes veritatem, necessario pertinentem ad salutem, servant (vel observant) inventiones humanas tanquam Praecepta Dei, de quibus verum fit id, quod dictum est ab Esaia, quoque allegavit Christus Mat. XV: Hic populus me honorat labiis, verum cor eorum longe est a me, sed illi me colunt sine ratione, docentes doctrinas et praecepta Hominum.

Past. Per quam rem cognita est mala operatio?

Disc. Per manifesta peccata, de quibus dicit Apostolus Rom. I: eos, qui rem talem faciunt, non consecuturos esse Regnum Dei.

Past. Per quam rem est cognita perversa doctrina?

Disc. Quum docetur contra Fidem et Spem, quemadmodum Idololatria facta multis modis erga creaturam rationalem, sensibilem, vel visibilem, vel invisibilem. Nam solus Pater cum suo Filio et Sancto Spiritu debent coli, non alia qualiscunque ea sit creatura. Sed contra attribuunt Homini et operi manuum suarum, vel verbis vel suae auctoritati, quemadmodum credunt Homines, caece (vel per caecitatem) ipsi adjectum esse a Deo per falsam Religionem, et per avaram Simoniam sacerdotum.

Past. Per quam rem cognita est non debita administratio sacramentorum?

Disc. Quum sacerdotes non habent sensum Christi, nec cognoscunt ejus ipsius scopum in sacramentis, et dicunt gratiam et veritatem iis inclusam esse per solas cerimonias externas et adducunt Homines sine veritate Fidei, Spei et Charitatis, ad accipienda ea ipsa sacramenta. Et Dominus cavet suis a talibus falsis sacerdotibus dicens: Cavete vobis a falsis Prophetis. Item: Cavete vobis a Pharizaeis, i. e. ab ipsorum fermento, id est, a doctrina. Item: ne velitis credere, neque velitis ire post eos. Et David odio habebat talium Ecclesiam dicens: Ego odi Ecclesiam Malignorum. Et Dominus jubet recedere ab eis Num.

XVI: Recedite a tabernaculis sceleratorum, neque velitis tangere res, quae ad eos pertinent, ne involvamini ipsorum peccatis. Et Apostolus 2 Corinth.: Ne velitis jugum ducere cum infidelibus. Nam qualis participatio est justitiae cum iniquitate? Qualis societas lucis ad tenebras? Qualis convenientia Christi ad Diabolum? vel qualis portio fidelis cum infideli? Qualis consensus Templi Dei cum Idolis? Quapropter ite de medio eorum, et estote segregati ab iis, inquit Dominus. Non tanges immundum et Ego vos recipiam. Item 2 Thess: o Fratres! nos vobis annunciamus, quod vobis caveatis ab omnibus fratribus inordinate euntibus. Item Apoc. XVIII: exi Popule mi ab ea, neque particeps sis peccatorum ejus, neque recipe de poenis eorum.

Past. Per quam rem cognitus est Populus, qui non vere est in Ecclesia?

Disc. Per publica peccata et per fidem erroneam. Nam fugiendum est a talibus, ne veniat inquinamentum ab iis ipsis.

Past. Per quam rem debes communicare cum sancta Ecclesia?

Disc. Ego debeo communicare cum Ecclesia ratione substantiae, per Fidem, per Spem, per Charitatem et per observantiam Praeceptorum et per finalem perseverantiam in bono.

Past. Quot sunt res ministeriales?

Disc. Duae: verbum et sacramenta.

Past. Quot sunt sacramenta?

Disc. Duo, scil. Baptismus et Eucharistia.

Past. Quaenam res est tertia virtus necessaria ad salutem?

Disc. Spes.

Past. Quaenam res est Spes?

Disc. Illa est certa Spes (sive exspectatio) gratiae et gloriae venturae.

Past. Per quam rem speratur gratia?

Disc. Per Mediatorem Jesum Christum, de quo dicit sanctus Johannes Cap. I: Gratia facta est per Jesum Christum. Et iterum: Nos vidimus gloriam ejus plenam gratia et veritate et nos omnes accepimus de plenitudine ejus.

Past. Quaenam res est illa gratia?

Disc. Illa est Redemptio, Remissio peccatorum, Justificatio, Adoptio et Sanctificatio.

Past. Per quam rem speranda est illa gratia in Christo?

Disc. Per Fidem vivam et per poenitentiam, dicente Christo: Poenitentiam agite vos et credite Evangelio.

Past. Unde procedit Spes?

Disc. A dono Dei et promissionibus, de quibus dicit Apostolus: is est potens ad implendum, quamcunque rem promittat. Is enim ipse promisit, si quis eum cognoverit et poenitentiam egerit et speraverit. Vult enim exercere misericordiam, ignoscere et justificare.

Past. Quaenam res abducunt ab illa Spe?

Disc. Fides mortua, seductio Antichristi ad alios quam ad Christum, id est ad sanctos et ad suam potestatem et auctoritatem et verba, nec non ad Benedictiones, ad Sacramenta, Reliquias mortuorum, ad Purgatorium somniatum et fictum; docere ut Spes habeatur per media, quae directe incurrunt in veritatem et praecepta Dei, quemadmodum fit per Idololatriam multis modis et per turpem Simoniam &c. Relinquentes Fontem aquae vivae, gratis datae, ut currant ad cisternas, ante dictas, adorantes, honorantes, colentes creaturam, tanquam Creatorem, servientes per preces, per jejunia, per sacrificia, per dona, per oblationes, per peregrinationes, per invocationes, &c. Confidentes iis acquirere gratiam, quam nemo dandam habet nisi unus Deus in Christo. Quemadmodum vane laborant, amittentes pecuniam et vitam et certe non solum vitam praesentem sed etiam futuram. Quam ob rem dictum est: Spes Sceleratorum peribit.

Past. Quid dicis de Beata Virgine Maria? Nam illa est plena gratiae, ut testatus est Angelus: Ego te saluto, plena gratiae.

Disc. Beata Virgo fuit et est plena gratiae, quantum sibi necesse habuit, non vero quantum ad communicationem cum aliis. Nam solus Filius est plenus gratiae, quantum necesse est, ut alios ejus gratiae participes faciat; ut dictum est de ipso: Nos etiam omnes accipimus gratiam pro gratia, ex plenitudine ejus.

Past. Tu non credis communionem Sanctorum?

Disc. Ego credo, duas esse res, quas inter se communes habent Sancti; unae sunt substantiales, alterae sunt ministeriales. Illi autem res substantiales inter se communes habent per sanctum Spiritum in Deo per meritum Jesu Christi. Verum res ministeriales sive ecclesiasticas inter se communes habent, per debitum ministerii exercitium, uti per Verbum et per Sacramenta et per Preces. Ego credo unam et alteram harum communionum Sanctorum; primam solum in Deo et in Christo et sancto Spiritu per Spiritum; alteram in Ecclesia Christi.

Past. In quo consistit vita aeterna?

Disc. In Fide viva et actuosa et perseverantia in ea ipsa. Servator dicit Joh. XVII: Haec est vita aeterna, quod cognoscant Te, solum verum Deum, et Jesum Christum, quem tu misisti. Et qui perseverat usque ad finem salvus erit. Amen.

§ VI. *Confessio Waldensium.* — Confessio Fidei veterum Waldensium anno 1120 conscripta his Articulis est conclusa.

Art. I. Nos credimus et firmiter tenemus omne quod continetur duodecim articulis Symboli, quod dicitur Apostolorum, tenentes haeresin esse omnem rem quae discordat, neque convenit cum duodecim articulis.

Art. II. Nos credimus in unum Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum.

Art. III. Nos reputamus pro sanctis Scripturis Canonicis Libros sanctorum Bibliorum, videlicet Mosen alias Genesin &c. Jam sequuntur Libri Apocryphi, qui recepti non sunt ab Hebraicis. Verum nos eos legimus (ut Hieronymus dicit in Praefatione ad Proverbia) ad docendum Populum, non autem ad confirmandam auctoritatem doctrinarum Ecclesiasticarum: quemadmodum sunt: Tertius liber Esdrae &. Jam sequuntur Libri Novi Testamenti, Evangelium Sancti Matthaei &c.

Art. IV. Libri autem supra dicti (vel recensiti) hoc docent (nempe) esse unum Deum omnipotentem, omniscium et omnino bonum, qui per suam bonitatem fecit omnes res. Nam Adamum formavit ad sui imaginem et similitudinem. Sed docent etiam libri illi per invidiam Diaboli et per inobedientiam dicti Adami peccatum intrasse in mundum nosque in Adamo et per Adamum Peccatores esse.

Art. V. Christum Patribus promissum fuisse, qui legem acceperunt, ut per legem cognoscentes peccata sua et injustitiam impotentiamque suam, desiderarent adventum Christi ad satisfaciendum pro eorum peccatis et ad implendam legem per se ipsum.

Art. VI. Christum natum esse, tempore per Deum Patrem ejus statuto, ea scilicet hora qua omnis iniquitas abundabat; nec solum propter bona opera (nam omnes erant peccatores) sed ut nobis gratiam faceret et misericordiam, quemadmodum ipse est veridicus.

Art. VII. Christum esse vitam nostram et pacem et justitiam et Pastorem et Advocatum et Sacrificium et sacerdotem, qui mortuus est pro salute omnium credentium, et resuscitatus pro justificatione nostri.

Art. VIII. Similiter tenemus firmiter non esse alium ullum Mediatorem et Advocatum apud Deum Patrem, nisi Jesum Christum, sed Mariam Virginem esse sanctam humilem et gratia plenam. Quemadmodum etiam credimus de omnibus aliis sanctis, eos in Coelo sperare resurrectionem corporum suorum in Judicio.

Art. IX. Item nos credimus post hanc vitam duo tantum loca esse,

unum Servatis, quem vocamus nomine Paradisi, alterum Damnatis, quem dicimus Infernum, denegantes plane illud Purgatorium Antichristi excogitatum et contra veritatem fictum.

Art. X. Item nos credimus semper abominationi non nominandae coram Deo esse omnes res ab Hominibus inventas, quemadmodum sunt Festa et Vigiliae sanctorum, et Aqua, quam dicunt Benedicta, et praeceptum, ut homo se abstineat quibusdam diebus a carne et alio cibo, et res similes, maxime vero Missae.

Art. XI. Nos abominamur inventiones humanas ut Antichristianas, per quas conturbati sumus et quae praejudicium creant libertati Spiritus.

Art. XII. Nos credimus sacramenta esse signa vel formas visibiles rei sanctae; tenentes bonum esse, fideles quibusdam vicibus uti his signis vel visibilibus formis, si fieri id possit; sed credimus tamen et tenemus, praedictos fideles posse salvos fieri, non accipientes praedicta signa, cum nec locum habeant nec medium, ut queant uti praedictis signis.

Art. XIII. Nos non novimus alia sacramenta nisi Baptismum et Eucharistiam.

Art. XIV. Nos honorem debemus Potestati Seculari in subjectione, in obedientia, in alacritate et tributis[1]).

Exhibetur ibidem[2]) sub titulo Brevis confessio Fidei facta a Pastoribus et Capitibus Familiarum Vallium Pedemontii congregatis Angrognae 12 Decemb. 1532 Praefatio: „Sequentibus Articulis subscripserunt omnes Pastores et Capita Familiarum, quae tunc aderant, et juraverunt se eos credere et velle iis adhaerere, quippe quos sacris literis conformes agnoscebant, et complexos summam Doctrinae ipsis Majoribus traditae, secundum verbum Dei, quemadmodum fecerant Fideles tempore Ezrae X et Nehemiae IX. X.

Art. I. Credimus debere cultum divinum fieri Spiritu et veritate, quia Deus est Spiritus, vultque, ut qui ipsum adorant, eum adorent Spiritu et veritate.

Art. II. Deum omnes, qui vel fuerunt vel erunt servati, elegisse ante fundationem Mundi.

Art. III. Impossibile esse ut illi, qui ordinati sunt ad salutem, non serventur.

Art. IV. Omnes, quicunque defendunt Liberum Arbitrium, absolute negare praedestinationem et gratiam Dei.

---

[1]) In Dissert. Honertii ll. cc. pag. 52.

[2]) ll. cc. pag. 62.

Art. V. Non esse alia bona opera, nisi ea, quae Deus jussit, nec mala nisi ea, quae ille vetuit.

Art. VI. Posse Christianum jurare per nomen Dei, sine peccato contra id, quod scriptum est Mat. V. 34, modo is, qui jurat, nomen Dei non vane suscipiat. Jam vero non vane suscipitur, si juramentum tendat ad gloriam Dei et salutem Proximi. Quod plus est, licet jurare coram Magistratibus, cum illi, qui hoc funguntur munere, sive fideles sint, sive infideles, suam a Deo potestatem habent.

Art. VII. Confessionem auricularem nec a Deo mandatam esse, nec determinatam Sacris Literis: sed veram Christiani Confessionem esse, quod quis soli confiteatur Deo, cui competit honos et gloria. Esse et aliam confessionem cum quis in gratiam redit cum Proximo suo, de qua actum est in Evangelio S. Matthaei et in prima epistola S. Johannis Cap. V. Tertiam vero confessionem esse, cum quis aliquod apertum omnibus peccatum commiserit, quod coram omnibus confiteatur.

Art. VIII. Debere nos Die Solis quiescere ab opere manuali, ut cupidi honoris et gloriae Dei nec non charitatis erga eos, qui nobis famulantur atque ut nos ad audiendum Dei verbum applicemus.

Art. IX. Christiano licitum non esse, sui vindictam agere, quocunque demum modo id fiat.

Art. X. Posse Christianum in alios Christianos Magistratum esse.

Art. XI. Nihil de Jejuniis Christianorum statutum esse in S. Literis.

Art. XII. Matrimonium Homini, cujuscunque demum conditionis sit atque ordinis, interdictum non esse.

Art. XIII. Unumquemque, vetantem Matrimonium, docere doctrinam Diaboli.

Art. XIV. Unumquemque, donum continentiae non habentem, debere Matrimonium inire.

Art. XV. Non debere verbi Divini Ministros ex alio in alium locum transferri, nisi propter aliquod magnum Ecclesiae bonum.

Art. XVI. Nec incongruens esse Societati Ecclesiae Apostolicae, Ministros quaedam sibi propria possidere ad sustentandas Familias suas.

Art. XVII. Quantum ad materiam Sacramentorum, Sacras Literas statuere, non esse nisi duo Sacramenta, quae nobis reliquit Jesus Christus, Baptismum nempe et Eucharistiam, quam nos accipimus in testimonium, velle nos perseverare in Sancta Communitate, in quam intravimus per Baptismum, nec non in commemorationem Passionis Jesu Christi, mortui pro nostra redemptione, qui nos lavit a peccatis nostris pretioso sanguine suo.

Haec lineamenta, hos vultus eorum habebat doctrina, qui ab anno praecipue 1100 variis abusibus in Ecclesiam invectis contradicebant. Quorum confessio egregie convenit cum Reformatorum Religione, atque ita non erubescimus, dum Gretserus editor operum Reinerii Inquisitoris adversus Waldenses scribat, Albigenses et Waldenses Calvinianorum fuisse atavos. Apostolica enim Doctrina eorum ministerio, cujus conservationem promovebant, ad nos pervenit.

§ VII. *Waldenses in Hungaria.* — Penetraverant Waldenses et per hos verbum Dei in Hungariam. Petrus enim Waldus vir dives opibus, sacrarum literarum scientia locupletior, peragratis Regionibus variis resedit tandem in vicina Hungariae Bohemia[1]), unde lumen Evangelii spargeret per idoneos Verbi Divini ministros vicinisque communicaret populis. Lancelotus Historicus Gallus ita de Waldensibus scribit: Hi invitis Principibus Christianis omnibus circa annum 1100 et temporibus subsequentibus Doctrinam suam ab ea quam Protestantes hodie amplectuntur parum differentem, non per Galliam solum totam, sed etiam per omnes pene Europae oras (atque ita etiam Hungariam) disseminarunt. Memoriae tradiderunt Legerus et Servinus scriptores Rerum Waldensium eos ex Gallia in Hungariam etiam anno 1176 ingressos, ubi persecutio orta dissipaverat eos per totam fere Europam, qui varia quaerentes loca, pars eorum resedit in Bohemia et Hungaria[2]). Quod in tantis tenebris plane fieri non potuisset, nisi jam tum extitissent, qui eadem cum iis sentirent. Huc forte pertinet Historiola de Luca, apud Hungaros Episcopo, qui sceleribus contaminatum civem a fidelium coetu ob delicta segregavit, qui Roma absolutionem pecunia mediante quaesivit ab Alexandro tertio Pontifice; at cum reus poenitentiae ac contritionis signa non adferret, Lucas disciplinam non relaxavit. Recurrit rursum Romam reus poenae subjectus, inobedientia Lucam accusaturus, ubi Lucas excommunicatur propter inobedientiam, qui nihil eo facto motus reum quoque non absolvit, neque ipse absolutionem quaesivit, sed in eo statu permansit ac omnibus gratissimus est mortuus[3]).

§ VIII. In Regnis Hungaricae Coronae subjectis Bosnia, Dalmatia et Croatia ex his Ecclesiae ea aetate constabant. Leander Monachus Dominicanus ita de istis: cum in Bosnia ac Dalmatia hoc anno (1222) populus versaretur in erroribus, ab Honorio Pontifice missus eo est Episcopus Coloniensis, ut aut praedicatione aut cruciatorum armis ab erroribus eos liberet. Rem plane incredibilem agressus ex mandato Papae hic Domi-

---

[1]) Thuanus Hist. Lib. XVII.
[2]) Witringa in Apocalypsi XII. 13 pag. 748.
[3]) In Catalog. Test. veritat. pag. 675.

nicae Familiae Legatus, qui diligenter executus est mandatum Papae, et animose aggressus est eos disputatione, praedicatione, subsidium illi ferente Colomanno (Bosniae) Rege, plurimos convertit. Deinde ibi confirmatus ex contumacibus in suis erroribus plurimos ibidem igne cremavit [1]). Quales hi erant Haeretici? tales quorum articulos fidei superius jam dedimus, quorum peccata mortalia erant: transferre scripturas in vernaculam linguam, discere et docere eas nocte dieque [2]). De istis Mattheus Parisiensis: Albigenses in partibus Bulgarorum Croatiae et Dalmatiae adeo invaluisse, ut etiam Episcopos et alios multos regionum illarum incolas ad partes suas pertraxerint. De iisdem apud eundem Episcopus Portuensis ad annum 1223 ita loquitur: „ille homo perditus, ait, qui extollitur supra omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiae suae praeambulum haeresiarcham, quem haeretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum Croatiae et Dalmatiae, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt haeretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat" [3]). Loquitur miserrimus ut Papae mancipium, haereticos vocando Apostolicae doctrinae viros.

§ IX. *Inquisitionis Tribunal. — Excommunicati.* — Inquisitionis Tribunal anno 1228 in Hungaria erectum est [4]) ad corpora aeque ac animos Fidelium excarnificanda. Quod Tribunal originem ex orco trahens tot effecit Martyres, quorum sanguis in veritatis Christianae obsignationem effusus est, ut si singuli totius anni menses duodecim dierum millia in se complecterentur, tamen fastis inscribi singuli non possent; at in Calendario Dei et Menologio eorum nomina consignata sunt. Adversum hos zelabat quoque Regina Hungariae Elizabet ex instinctu Firmani Apostolicae sedis Legati anno 1280 dum ita scriberet:

Elisabeth Dei Gratia Major Regina Ungariae, Ducissa de Machou et de Bosna, omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis salutem in omnium Salvatore.

Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cupientes sanctam fidem Catholicam in Ducatibus de Machou et Bosna et in Comitatibus de Posega et de Valeon caeterisve Comitatibus nostrae jurisdictioni subjectis et aliis, quos juvante Deo nos habere contigerit in futurum, destructis erroribus ac eliminatis atque destructis inde haereticis, qui Ecclesiam sanctam et fidem ipsius demoliri atque destruere damnabiliter moliuntur per nostrae regalis mansuetudinis ac po-

---

[1]) De viris Illustribus.
[2]) Vide apud Flac. catalog. testium veritat. pag. 724.
[3]) Hist. Reform. pag. 34. 35.
[4]) Bzovius ad an. 1222.

testatis nec non jurisdictionis officium et ministerium dilatari, ad requisitionem et commonitionem Reverendi Patris nostri, Philippi Dei gratia Firmani Episcopi Apostolicae sedis Legati, promittimus et assumimus per praesentes, quod omnia statuta, jura atque decreta contra haereticos et haereticam pravitatem, quibuscunque nominibus censeantur per sanctam sedem Apostolicam edita aut approbata, seu etiam acceptata observabimus et ad mandatum Sanctae Ecclesiae Romanae et per nos etiam ea faciemus a nostris subditis in Ducatibus caeterisque comitatibus nostrae Reginali potestati subjectis inviolabiliter observari: decernentes ex nunc statutorum et decretorum hujusmodi transgressores atque violatores per poenas canonicas atque legitimas compelli, eisque poenis subjacere et subjacere debere. Si quis autem contra hujusmodi salubria statuta, et sanctam ordinationem Fidei Catholicae contra ire praesumpserit, iram Omnipotentis Dei et nostram indignationem se noverit incursurum. Ut igitur hujusmodi sponsionis, seu promissionis series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec possit ullo unquam tempore in irritum revocari, praesentes concessimus literas sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Magistri Lucae Strigoniensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Cancellarii, fidelis nostri, anno Domini 1280, 14 Kalend. Septembris Indictione octava.

Quantas hae habuerint vires Literae, inde clarescit, quod ipse quoque Legatus Apostolicae sedis fuga salutem quaerere necesse habuit, cui aqua et igne interdictum erat Budae prohibitumque, ne quisquam quicquam communicaret eorum, quibus vitam sustentare posset [1]).

Patarinos (qui ipsi sunt Waldenses) temporibus Ludovici Regis regiones circa Savam et Dravam flumina incoluisse tradit ipse Bonfinius. Tales quoque Budae in Urbe Regia erant illi anno 1303, quos dum Legatus Pontificis anathemati subjectos reliquisset, quidam ex Clericis interdictum observantes sacra officia peragere nolebant, nec recens natos abluebant sacro fonte, nec e vita evocatos sepultura honorabant. At alii ministerio suo fungebantur sacra omnia peragentes et, quod cum horrore Historici Pontificii tradunt, Pontificem Romanum eos devoventem ac alios Clericos jussui ejus parentes excommunicarunt, lumine in eos extincto [2]). Demonstrantes hoc facto, tantundem ipsis Pontificias nocere diras, quantum eorum anathema detrimenti inferret Pontifici, id est, nihil.

§ X. Magnus eorum numerus apparet ex querelis Bzovii Annalistae, qui ita loquitur: Increvit haereticorum numerus hoc anno (1315) in Bohemia, Austria et vicinis Regionibus, ad octuaginta millia nume-

---

[1]) Peterfi in Conciliis Hung. pag. 93. 96. 126.
[2]) Thurotzi in Chronico Cap. LXXXVI. pag. 82.

rabantur, unus de eorum Magistris incaptivatus ac combustus est. Wiennae plurimos flammis subjecerunt, qui cum gaudio ad finem usque perseverarunt. Ex his quoque erat Simon de Salig Ungarus, qui in Libro inquisitorio, anno 1391 scripto, eorum nominatur Apostolus ac Angelus [1]). In eodem libro describitur quoque vita honestissima eorum, qui jejuniis, precibus occupati, omnia verba scurillia ac actus vetitos solicite praecaverent. Fuerunt hi Waldenses sub Patarinorum titulo in Hungaria vicinaque Bohemia ad tempora usque Sigismundi Regis, qui Regnum adiit anno 1386, sub cujus imperio tandem Hussitarum nomen acceperunt. Inter continuas persecutiones perdurarunt intra Valles et Alpes Pedemontanas ac Subaudicas; quorum Ministri duo Arnoult et Papon Eleemosynae colligendae gratia Hollandiam ingressi anno 1699 abstulerunt ad sublevandos miseros suos populares ingentem pecuniae vim. Nam in eorum rationem Hagae 20000, Delphis 7000, Leydae 7000, Ultrajecti 9000, Rotterdami 13000 collecta sunt florenorum millia; Amsterodamenses soli omnes superarunt [2]).

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Hussitis in Hungaria.

§ I. *Hussitarum ortus.* — Nomen Hussitarum est a Johanne Hus, qui anno 1400 Pragae in Templo Bethlem erat concionator, antea vero in Academia Professor. Hic invectivas habens adversus Magnatum ac Principum peccata gratissimus Clericis erat. Verum exasperata Nobilitas et Principes in poenam deposcebat, sed Archiepiscopus id fieri posse negavit: Quoniam Hussus ad vera loquendum sine personarum respectu sese in ordinatione sua juramento obstrinxisset. Mox vertente tempore in Clericorum luxum, avaritiam, sacrilegia acrius invehebatur, quapropter Archiepiscopus eum cum Clericis in poenam deposcebat. At Rex fieri id prohibuit: Hussum enim ad vera loquendum sine personarum respectu sese in ordinatione sua juramento obstrinxisse [3]). Atque ita ab Archie-

---

[1]) In Catalog. Testium Veritat. pag. 756.
[2]) Angelus Bernicia in Hist. Eccles. pag. 216.
[3]) Historia Persecution. Bohem. pag. 26.

piscopo adversus Regem et Nobilitatem et a Rege adversus Archiepiscopum et Clericos defendebatur.

§ II. *Hussus et Hieron. Prag. contradicunt indulgentiis.* — Quum tandem anno 1411 Johannes Pontifex Romanus adversus Regem Neapolitanum classicum canens indulgentias iis, qui pro Ecclesia arma induerent, distribuebat cruciatamque e cathedra in Templis promulgabat expeditionem, inventi sunt Pragae, qui publice in Templo obloquerentur asseverantes Papam Romanum Antichristum esse oportere, qui adversus Christianos crucem decernat, et in mutua bella concitet. Altero die Hussus aeque ac Hieronymus Pragensis in Templo ac Academia adversus indulgentias publice docebant earum vanitatem demonstrando. Studiosi hoc audito in earum propolam irruentes vi bullas Papales eripiunt, quendam e medio sui meretricio habitu induentes, bullis pectora exornant, circumvehunt, meretrice interim blandissimis verbis turbam circumfusam alliciente ac benedictiones impertiente, tandem bullas omnes cum multis Papalibus et Praelatorum ad varios literis in medio foro comburunt [1]). Ex qua causa Hussus Romam citatur; sed non comparet.

§ III. *Concilium Constantiense.* — Interea post varia ad Reges et Principes itinera, varios post exantlatos labores Imperator Sigismundus consentiens cum Regibus ac quibusdam Cardinalibus anno 1414 Concilium Constantiam convocavit. In quo Joannes XXII Romanus Pontifex et Gregorius itidem Papa exauctorati sunt. Benedictus autem (tres enim tunc simul Pontifices erant) qui resignare nolebat Pontificatum excommunicatus est. Abolito omnium horum jure et authoritate quartus tandem electus est, qui se Martinum Quintum vocavit [2]). Vocatus est in Concilium Hussus literis Sigismundi Caesaris securitatem promittentibus fide sua obsignatis. At in Concilio deliberatum est, Haereticis datam fidem non esse observandam. Caesar igitur a data Husso fide absolutus per concilium, Hussus vero, anno 1415, 6 die Julii, combustus est. Sequenti anno die 30 Maii itidem Hieronymus Pragensis ob eandem doctrinam in favillas redactus. Pertulerunt ambo, (inquit Aeneas Sylvius) constanti animo necem, et quasi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quae miseri hominis posset facere indicium; ubi ardere coeperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma et fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti

---

[1]) ll. cc. pag. 30. 31.
[2]) Verbötzi Tripart. Part. I. Tit. XI. § 6.

incendium. Poggius Florentinus aetatis nostrae nobilis scriptor de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicolai concivem suum elegantem scripsit Epistolam; quamvis paululum sua consuetudine in mores Cleri invectus videatur. Cineres exustorum ne raperentur a Bohemis in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere in patriam [1]).

§ IV. *Bohemi in praedam exponuntur.* — Bohemi, de Ministris suis injuste sublatis quiritantes, rejectisque humani ingenii inventis adhaerentes Apostolicis scriptis, excommunicati sunt et in praedam volentibus expositi. Ingenti exercitu in Germania et vicinis Regnis comparato, Caesar comitantibus eum innumeris Episcopis, bello tamen inutilibus, adortus est eos. Perveneratque exercitus ad fines Bohemiae, cui resistere illi non valentes confusi attonitique haerebant. At vero exercitus Imperatoris panico terrore percussus, retro ferre gradum coepit, contemptoque Caesaris et Cardinalium imperio aperte fugiebat, abjectis et relictis omnibus castrorum impedimentis et toto apparatu bellico. Fugientem tumultuario exercitum Imperator, Episcopi et Cardinales, ut Bohemorum evitarent manus, subsecuti sunt. Bohemi hac liberatione insperata animum resumentes fugientibus instabant, territis terrorem addentes eos depraedati sunt. Rursum bello appetiti praeposuerunt sibi belli ducem Joannem Ziskam, hominem altero oculo captum et ob morbos infirmum; quo rem eorum prudenter moderante adversarios superabant, castra adversum se locata evertebant, Bohemiamque per plurimos annos ita defendebant, ut non tantum hostes in Regnum non admitterent, verum etiam ipsi late imperium suum extenderent in Germaniam ac Hungariam; atque adeo omnibus erant terrori, cum a Sigismundo Imperatore undecies victoriam extorquerent. Fassique sunt Patres in Concilio Basileensi sessione tertia: Bohemiam occulto Dei judicio bello pluries attentatam superari non potuisse [2]). Tandem ubi vi non possent, dolo adorti ad se variis artibus pellicere tentarunt. Scripsit Aeneas Sylvius de hoc bello Hussitarum plus admirationis quam fidei habitura apud Posteros.

§ V. *Dogmata Hussitarum.* — Qualis horum fuerit doctrina, quae Religio? ac Mores, quorum respectu internecioni erant devoti? Videri potest in Historia Aeneae Sylvii Bohemica, qui in Bohemiam ad eos componendos erat missus ac tandem Pontificatum adeptus Pius Secundus vocatus est. Ita ille: „Ab Ecclesia Catholica recedentes impiam Valdensium sectam atque infamiam amplexi sunt. Hujus pestiferae ac jam

---

[1]) Aeneas Sylv. Histor. Boh. Cap. XXXVI. pag. 75.

[2]) Hofman in voce Hussitae.

pridem damnatae factionis dogmata sunt:

1. Romanum Praesulem reliquis Episcopis parem esse.

2. Inter sacerdotes nullum discrimen: Presbyterum non dignitatem, sed vitae meritum efficere potiorem.

3. Animas e corporibus excedentes aut in aeternas e vestigio poenas mergi aut perpetua consequi gaudia.

4. Purgatorium ignem nullum inveniri.

5. Vanum esse orare pro mortuis et avaritiae sacerdotalis inventum.

6. Dei et sanctorum imagines delendas.

7. Aquarum Palmarumque benedictiones irridendas.

8. Mendicantium religiones malos daemones invenisse.

9. Sacerdotes pauperes esse debere sola contentos elemosyna.

10. Liberam cuique praedicationem verbi Dei patere.

11. Nullum capitale peccatum quamtumvis majoris mali [vitandi] gratia tollerandum.

12. Qui mortalis culpae reus sit, eum neque seculari neque Ecclesiastica dignitate potiri, neque parendum ei.

13. Confirmationem quam Chrismate Pontifices inducunt et extremam unctionem inter Ecclesiae sacramenta minime contineri.

14. Auricularem Confessionem nugacem esse; sufficere sua quemque in cubili conqueri peccata.

15. Baptisma fluvialis undae, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum.

16. Coemeteriorum inanem usum quaestus causa repertum: quacunque tegantur tellure humana corpora nil distare.

17. Templum Dei late patentis ipsum mundum esse; coarctare Majestatem ejus, qui Ecclesias, Monasteria Oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur.

18. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas vasaque hujusmodi nil habere momenti.

19. Sacerdotem, quocunque loco, quocunque tempore, sacrum Christi corpus conficere posse petentibusque ministrare; sufficere si verba tantum sacramentalia dicat.

20. Suffragia sanctorum in coelis cum Christo regnantium frustra impetrari, quae juvare non possunt.

21. In canonicis horis cantandis dicendisque frustra tempus teri.

22. Nulla die ab opere cessandum, nisi quae Dominica nunc appellatur.

23. Celebritates sanctorum prorsus rejiciendas.

24. Jejuniis quoque ab Ecclesia institutis nihil inesse meriti [1]).

---

[1]) Hist. Bohem. Cap. XXXV. pag. 67.

Quid sentirent de Deo, Ecclesia, de Praedestinatione, de Gratia Dei salutari non omnibus communi, de conversione peccatoris ad Deum, de sacramentis et affinibus articulis Fidei, ex operibus Hussi ipsius editis, ex Confessione Hussitarum Uladislao Hungarorum et Bohemorum Regi anno 1508 oblata, et Professione Fidei anno 1532, 1535 et 1538 Marchioni Brandenburgico repraesentata, in omnium manibus, qui talibus capti delectantur, esse potest. Huc transferre nolumus, ne opus in immensum excrescat [1]. Sufficiat id solum dixisse, eorum Confessionem seu Fidei articulos concordare scriptis Apostolicis et Apostolicae Reformatorum Doctrinae.

§ VI. *Hussitae in Transylvania.* — Penetraverat Apostolica multoque suorum sanguine insignita Hussitarum Religio non solum in Hungariam, sed et in longe dissitam Transylvaniam. Imo vero aderat ibidem jam pridem, dummodo ea occasione palam se in lucem dedit.

Hinc elucet, quoniam regnante adhuc Rege Sigismundo Hungari magno numero tam ex Hungaria, quam vero Transylvania in Moldaviam Religionis causa exulatum abiverant. In Chronico Kalendariis annexo ita olim memoria eorum conservabatur: Anno 1420 ob doctrinam quam secutus Johannes Hus Hungari in Moldaviam exulatum eunt. Imo non solum Hungari, verum etiam Saxones pro eadem Religione plurimi discesserunt, quod ex eodem palam est Chronico, ubi ita: Anno 1420 Hungari e Transylvania in Moldaviam plurimi transmigrant simul cum Saxonibus ibi residentes. Consentit in his Jesuita Timon: Saxones Hussitas sub Sigismundo Rege in Moldaviam ivisse novi [2]. Uberius Franciscus Pariz Pápai horum statum ita describit: „Cum autem anno MCCCCXX Hussi asseclae a Sigismundo Imperatore ubique proscriberentur, nec Hungaris, qui jam magno numero Doctrinam Hussi receperant et palam profitebantur, ejusdem jussu parcebatur, verum edicto Regio gravi sedibus nisi Doctrinam ejurarent ad unum omnes pulsi sunt: quorum pars per Valachiam dispersi, ibi sedes aliquot fixere, ex quibus hodieque supersunt et tunc receptam Doctrinam profitentur (utinam vero ab iis, penes quos labantia talium genua surrigere potestas est, diligentius curarentur, quod sane hactenus neglexisse non potest non merito exprobari vicinae Transylvaniae). Pars autem Ziscae exercitui tunc passim feliciter in Imperatorios grassanti adjunxerunt. Quorum (ut credere par est) hortatu Ziska tot victoriis elatus in Lusatiam, Silesiam, inde et in Hungariam anno 1424 excurrit, vastans

---

[1]) Conferri meretur Joan. Honertii Dissertatio de Veterum Waldensium, Moravorum Bohemorumque Religione pag. 75. 82. 94.

[2]) Timon Epist. I. pag. 5. Epist. III. pag. 38.

passim omnia Monasteria evertit, Templa dejecit, simulachra confregit et praecipue Monachos, ut asserebat, Populo inutiles, sues in hara saginatos, alio migrare jussit.

Missus est, qui hunc reprimeret ab Imperatore et Rege Hungariae Sigismundo cum exercitu Johannes Hunniades bello etiam clarus. Sed non respondit conatui eventus, exercitus enim ejus a ferociore tot victoriis facto Ziska fusus fugatusque est, et nisi Lorandus quidam aut Lorandfius, magni nominis Heros, qui Ziscae impetum in arce sua Gede fortiter sustinuerat, opprobrium ab Hungaris avertisset, Ziska felix etiam hinc triumphator rediisset et ejectos sedibus afflictos Hungaros Hussianos in tuto collocasset.

Nocuit ergo Lorandfii victoria Hussitis Hungaris et Evangelio currenti obicem posuit. Cum enim se respirasse crederent adventu Ziskae, tam fervidi pro veritate zelotae, eodem regno cedere coacto, mox hi protracti causam dicere compulsi sunt, et qui capita credebantur consilii, ut acciretur Ziska, acerbas poenas sumserunt, alii ut paulo ante diximus una cum uxoribus et liberis Regno pulsi Ecclesiam apud vicinos seminarunt. Non tamen ita opprimi poterant, quin quassata licet toties capita denuo Hussiani erigerent: quod vix dici potest quam pessime affligebat, qui de suo maxime corio agi putabat, Clerum, et jam anno 1444 conclusum fuerat inter Julianum Cardinalem et Regem Ladislaum in Hussitas ubi reperirentur diligenter inquirere eosque extrema internecione delere. Sed ne cruento consilio responderet truculentior eventus memorabili et miserabili illa ad Varnam clade ob violatum nefarie foedus accepta Deus ipse praevertit. Rem totam Aeneas Sylvius ita concludit: Julianus Cardinalis non fuit in bello fortunatus, nam et adversus Hussitas cum exercitu profectus, fugatus est &c.[1]).

§ VII. *Hussitae sub Rege Matthia.* — Respirium in Hungaria Hussitis fuit sub Elisabetha Sigismundi filia Alberti vidua, quae non solum libertatem in Regno Bohemis concedebat, verum ipsorum etiam opera in solio se firmabat, qui tunc in Montanis Hungariae varia loca praesidio tenebant. Matthias gloriosissimus Hungarorum Rex, quandoque optimo quandoque adverso in eos ferebatur animo. Tradunt Jesuitae Hussitas anno 1480 Hungariam ingressos a Matthia Rege extra Budae vicos, vivos una cum liberis et uxoribus sepultos ob hanc causam, quod contrariam fidei illi quam Hungari sub Stephano susceperant praedicarent[2]). Commentum est Jesuiticum. Nam gravissime apud eum de horrendis sceleribus in eos confictis accusati e Moravia proscripsit, melius tamen informatus eos revocavit. Coccejus de his: Ergo ii fratres

---

[1]) Pápai in Rudere Redivivo ad an. 1420.

[2]) Szentiványi Dissert. Paralip. pag. 168.

quum varie jactati essent tamen invenerunt hinc inde receptaculum. Matthias Hunniades Corvinus Rex Hungariae Podiebracii σύγχρονος Moravia ejecit, mox cognita illorum innocentia sedes eis attribuit [1]). Uberius alter: E Moravia universi a Matthia rege anno seculi LXXXI pulsi, concesserunt cum Matthia sacrorum antistite et Eliam quidam addunt in Moldaviam, ubi a Stephano Wajvoda etsi alias truci benigne accepti, biennali exilio exacto a Rege melius instructo reditum ac libertatem obtinuere. Sub Uladislao Rege, qui leni et mansueto ingenio erat, multum coetus illi aucti, cum et Nobiles et Proceres regni iis sese adjungerent, in Comitiis vero Cutnobergensibus anno seculi LXXXV decerneretur: Licere cuilibet et ordinibus suam fidem et usurpationem sacramentorum sequi secundum conscientiae cujuslibet judicium [2]). Missus erat in Hungariam a Pio secundo Pontifice Gabriel Rangonius, ut Hussitas investigatos, officio Inquisitoris fungens, incineraret. Hic Monachus ex gratia Regis Matthiae (quamvis esset spurius) factus est Episcopus Agriensis ac tandem Cardinalis. Hussitas inquietare, ubi per clementiam Regis licuit, non intermisit [3]).

§ VIII. *Hussitae sub Uladislao.* — Sub Rege Uladislao, qui natura erat homo mitis, ad tempus pace fruebantur, sed tandem a Regina ac Episcopis eo deductus, ut severis eos coerceret edictis. Adrianus Regenvolscius in Historia Ecclesiae Sclavonicae statum eorum ita describit: „Anno 1501 Uladislaus, Rex alioquin mitissimus, primum se adversus Fratres concitari passus, publicum Picardos a publicis muniis removendi, communitatibus pellendi, ad carceres rapiendi, et, nisi errores revocaverint, mortibus afficiendi mandatum dedit, sed invitissimus ad importunas Reginae et Episcoporum instantias. Ut enim e Cubiculariis Regiis viris fide dignissimis cognitum fuit, vicina partui Regina Episcoporum Hungariae suasu cum iisdem Episcopis (inter quos Waradinensis juratissimus veritatis hostis fuit natione Moravus Prostamia oriundus, quondam Monachus Johannes Bossah) ad Regem ingressa, eam sibi gratiam dari petiit, ut Rex tot petitionibus locum dare et in Picardos mandata vulgare velit. Tum ille contristatus capite nutavit nihilque respondit. Episcopi mox in Regis praesentia mandati copiam scribere coeperunt, Rege cubiculum ingrediente, in genua procidente et cum lacrymis sanguinolentorum consiliorum culpam, quin et successum a Deo deprecante.

Exaudivit hanc vocem Deus auctoresque conspirationis horrendis

---

[1]) Ad Cant. Cap. VII. vs. 4 pag. 717. Historia Persecutionis Boh. XXII.

[2]) Comp. Hist. Lecti pag. 361.

[3]) Timon in Purpura Pann. pag. 20.

modis punivit. Prima horum Regina fuit, quae jam spe praeoccupato spectaculo Picardos exurendi, decollandi, aquis suffocandi &c. quam primum puerperio defuncta Pragam venisset, animum oblectabat. Sed eheu judicia divina, diebus aliquot summis doloribus ad partum laborans, cum eniti non posset exspiravit. Medicorum autem consilio ad foetum exscindendum mox adhibiti Chirurgi filium vivum quidem, sed luci videndae immaturum, Ludovicum, qui post in regno Patri successit, exemerunt, Kal. Junii 1506", Histor. Persec. Boh. Cap. XXIV. pag. 83. Istvanfius equidem, quando Ludovici nativitatem describit, caesum ex utero silet, Reginam tamen gravissimis partus doloribus circumventam obiisse monet Lib. IV pag. 33. Importunis iterum an. 1508 Episcoporum flagitationibus et in fratres coacervatis calumniis impulsus Rex permisit Picardos ut vocant magistratibus deturbari, captivari et pro lubitu affligi. Scripserunt igitur novam Apologiam et Confessionem fidei suae Regi obtulerunt nostrae confessioni conformem, qua suam innocentiam tutari volebant, praecipue adversus calumnias Monachi cujusdam Augustiniani, qui variorum eos apud Regem errorum insimulaverat. Neque hoc irrito conatu factum. Quippe Rex illorum motus justissimis precibus atque excusationibus edictum prius sequenti mitigavit[1]).

Pulcherrime haec tradit Papai sequentibus verbis: „Nec quicquam ringentibus adversariis, quos orcus in caput et perniciem pullulantium per Hungariam Hussianorum passim velut Aethneas favillas evomebat, verbum Domini mansit, et numerus veritatem hactenus recte saltem profitentium eo crevit et caput extulit, ut anno 1508 coacta Synodo Articulos confessionis suae ejusdem cum Helvetica, quae multis post annis scripta, Fidei puritatis scriberent et Ladislao Bohemo Regi Hungariae palam offerre, primum ut accusatis justae Apologiae saltem loco essent, mox vero eorundem etiam confirmationem a Rege jure petere non timerent, et quidem in solennibus illis, quo tempore Ludovicus, dicti Ladislai filius bimulus, adhuc in cunabulis inter nutricis foeminarumque ministeria agitans Albae Regiae in Regem Hungariae coronabatur. Ut hoc grande eo tempore ausum in comitiis tentarent miseri coactos eos Monachi cujusdam Augustiniani, qui eos apud Regem accusarat, criminationes eo compulere, ut vero auso potirentur, Deus, qui corda Regum flectit ut rivulos aquarum, perfecit[2]).

§ IX. Remanserunt passim Hussitarum reliquiae in Hungaria,

---

[1]) Lib. II. pag. 177. Histor. Reform. pag. 40.
[2]) In Rud. Red. ad an. 1508.

quamvis ob furores Episcoporum non auderent palam ubique se ostentare ad tempora usque Reformationis, quae in Helvetia incepit per Huldricum Zwinglium anno 1508, plenius tandem 1514, in Saxonia per Lutherum 1517, in Hungaria paucis post annis, de qua in sequentibus agemus pluribus. Remanserunt etiam in partibus Moldaviae ad hoc seculum usque, qui circa initia seculi hujus ac tandem anno 1716 expetebant a Reformatis e Transylvania verbi D. Ministros, at ea qua oportebat modalitate missi non sunt, tandem transierunt ad Ritus Graecos, aut Monachi occuparunt eos Franciscani, qui illis sese obtruserunt.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Corruptione Morum et Doctrinae in Hungaria ante Reformationem in Populo, praecipue vero in Clero.

§ I. Defecerat sicut in aliis ita quoque in Regno Hungariae splendor Morum et Doctrinae praecipue inter Clericos, donec rursum Deus suo verbo illustraret. Plena querelarum Decreta Regum et Historiae anomaliarum recensione in contemptum fere abiverunt. Unde plurimi anxie gemebundique expectabant occasionem, qua justitia secundum leges administraretur, cultus Dei secundum verbum Dei perageretur, et homines a vita prostituta abducti honeste viverent. Effusissimus erat luxus in Clero, nam propter Episcopatus, Abbatias magno proventu donatas, quibus donum continentiae datum non erat, se tamen Clero adscribi passi sunt, qui quoniam secundum legem in matrimonio vivere non poterant, praeter legem concubinas alebant et vario modo delinquebant [1]).

§ II. Conabantur equidem corrigere plurimi egregii viri defectus palpabiles, sed altius malum radices egerat, quam ut levi conatu eradicari posset. Palam est ex Libro 1460 edito, cui Titulus: Constitutiones Synodales Albenses, in cujus Praefatione queritur Episcopus Ladislaus Gereb de Clericis: Volebamus, inquit, hanc synodum differre usque ad tempus magis conveniens nobis aptum, sed clamor invaluit contra multos de Clero nostro, qui non salubri regimine correctionis appetitus refrae-

---

[1]) Vide Galeot. Mart. de Matthiae Regis Dictis et Factis. Cap XI.

nant, sed lubrica criminatione magis illicitis motibus credunt, nam obliti timoris Domini et reverentiae sacerdotalis, obliti etiam consecrationis et in ipsis certis nostris Clericis scandala atque perversos mores crescere, vitia atque peccata majoribus adolescere incrementis [1]).

Verba haec in Historiis recensita ac edita oculos plane Peterfii tetigerunt. At vero similia ipse ad eundem annum 1460 edidit ex Synodo Leuschoviensi, ubi Canone XXXIII dicitur: „qui Divinis deputatus est obsequiis, dedecus est sordidis libidinis insistere maculis, hinc est, quod irrefragabiliter statuimus et ordinamus, ut nullus Clericus nostrae jurisdictionis focarias seu concubinas seu faeminas, de quibus suspicio de fornicatione haberi posset, notorie in domibus tenere debeat. Alioquin si per nos monitus,* quos et praesentes monemus, eas non dimiserint, suis beneficiis duximus spoliandos et gravius puniendos, prout nobis visum fuerit." Canonibus sequentibus eadem prohibentur, ne pecuniarios quaestus a concubinis percipiant, ne Clerici filios proprios a talibus procreatos penes se alant, ne taxillis, alea &c. ludant [2]). Haec et similia an magis sunt honesta quam illa in Synodo Albensi memorata?

§ III. Qui in naevis tollendis et defectibus corrigendis laborabant, illis ut plurimum male cessit. Joannes Vitez exemplum praebet, qui Matthiae Corvino in pueritia instructor erat, cujus gratia in Episcopatum Varadiensem evectus et tandem ad dignitatem Cardinalis et Archiepiscopatus Strigoniensis, ex qua tamen excidit et carceris subiit sententiam, cujus etiam pudore et dolore (licet iterum dignitati suae restitutus) consumptus, obiit [3]). Causam casus tanti viri si quaeras, non aliam invenies, quam quod in corruptissimos Cleri et Ecclesiae Romanae mores acrius subinde inveheretur perstringeretque non solum Episcoporum Hungariae, sed et Italiae crimina. Carmina eorum taxantia facta edidit plurima; erat enim ea aetate poota incomparabilis. Extant ejus versus sub titulo Janii Pannonii. Ferre illum non poterant, qui verum non tantum eloquebatur, sed et scribebat ac publicabat. De Paulo secundo, illum Cardinalium numero adscribenti, tales reliquit versus pro aeterna memoria [4]):

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras.
Filia quam genuit, sat docet esse marem.

---

[1]) Histor. Reform. pag. 42.
[2]) Peterfi in Concil. s. pag. 202, 207, 208, 225.
[3]) Szentivanyi Dis. Par. p. 64.
[4]) In Parci Delitiis Poetarum Hungarorum.
* moniti (ed.).

Sanctum non possum, Patrem te dicere possum,
Cum videam natam, Paulle Secunde, tuam.

De Johanne Octavo femina Pontifice habet sequentes:

Femina, Petre, sua quondam ausa sedere cathedra,
Orbi terrarum Jura verenda dedit.
Hinc compressa quidem multos latuisset in annos,
Facta foret partu ni manifesta novo.
Post haec Roma diu simili sibi cavit ab astu,
Pontificum arcanos quaerere sueta sinus.
Nec poterat quisquam reserantes aethera claves
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat,
Ante probat quod se quilibet esse marem.

Similia de aliis habet carmina, quae ferre non poterant, sed libenter eum perditum ibant.

§ IV. Pro tollendis abusibus et scandalis ordinatum erat in Hungaria, ut Episcopi crebro in sua Dioecesi Synodos celebrarent, vitas Clericorum censerent defectusque corrigerent. Sed astutia hominum vertit quoque hoc in lucrum ac quaestum; facile enim se pretio soluto redimebant Plebani, ne Synodos adire cogerentur, quod etiam Episcopi non gravatim acceptabant. Adversum tales facta est conclusio Diaetalis in hunc sensum:

Praelati Ecclesiarum Synodum, quam in eorum Ecclesiis pro extirpandis vitiis et plantandis moribus Plebanorum, in Dioecesibus constitutorum, institutione canonica celebrare necesse habent pro pecuniis, sicuti quidam ex eis hactenus facere consueverunt, relaxare aut Plebanos eosdem propter relaxationem hujusmodi Synodi in aliquo taxare neque etiam Plebani quipiam se ipsos ab ipsa Synodo redimere praesumant [1]).

Alii, ea fraude usi, per plures annos possidebant proventus Ecclesiasticos seculari habitu vestiti, eo praetextu, quatenus nomen dare Clero vellent. At divites effecti tandem relicto clericatu facti sunt conjuges atque seculares. Adversum hos extant conclusiones in Decretis Uladislai [2]).

§ V. Varias quoque Clerici, taxandi seculares, induxerunt rationes: magnus, quo vivebant, luxus magnos requirebat proventus, quos a populo quoquo modo supplere volebant. Decimas a Stephano Rege Hungariae collatas, magna crudelitate exigebant, ita ut saepius de modalitate collectionis in Diaeta tractandum esset, ne dicatores Episcoporum miseros

---

[1]) Articul. LXVIII, anni 1498.
[2]) Articuli LVIII, LIX an. 1498.

rusticos pro lubitu vexare possent[1]). Saepius Parocho ab Ecclesia absente, inque decimis colligendis occupato infantes absque baptismo mortui. Ita Regnicolae queruntur: „Quoniam nonnulli Dominorum Praelatorum et virorum Ecclesiasticorum Plebanos Ecclesiarum Parochalium, Dioecesibus eorumdem subjectorum, ad decimandum saepenumero mittere solent, illis autem Plebanis in Decimatione vacantibus et occupatis, plures Christicolarum et Parochianorum absque salutari confessione et sacramenti Eucharistiae sumptione decedere, infantesque sine baptismo extingui consueverunt. Quapropter ordinatum est, ut a modo imposterum nemo eorundem Plebanorum, in factis Decimarum vel arduis caeteris quoque rebus, per Dominos Praelatos et viros Ecclesiasticos occupari compellantur"[2]). Pro talibus et similibus factis Clerus in populo venerat in maximum contemptum et odium. Conabantur exigere Decimas etiam a Graeci Ritus hominibus, qui ad desolata loca, occupandi ea et colendi gratia, vocati erant, tandem in Diaeta publice tali Articulo repressi sunt: „Sunt plurima loca in confinibus Regni sita, in quibus Rasciani, Rutheni, Walachi et alii Schismatici in terris Christianorum habitant, et de eisdem terris hactenus juxta eorum ritum viventes nullas penitus Decimas solvere consueverunt, quos tamen ipsi Domini praelati ad Decimas solvendas cogere niterentur. Et quia ipsae Decimae in Patrimonium Christi dedicatae a Christi fidelibus et non aliis Schismaticis hominibus (praesertim vero illis ad vocationem et assecurationem Regiae Majestatis ac Wajvodarum, Banorum et caeterorum officialium, in ipsa confinia Regni tenentium, dicta loca incolentibus) exigi solent. Ob hoc ordi natum est et conclusum, quod a modo de caetero ab ipsis Rascianis, Ruthenis, Valachis et aliis Schismaticis, in quibuscunque terris Christianorum residentibus, nullae penitus Decimae exigantur"[3]).

§ VI. His variae annumerari possunt taxae, quibus gravabantur non solum infimae sortis homines terraeque coloni, verum saepius etiam Magnates. Tales erant:

1. Excommunicatio ob leves quascunque causas, quibus injuriam illatam sibi putabant Praelati aut in Decimis se damnificatos. Vetant in articulis eam vexationem voluntque ut ordine et cum lenitatis spiritu omnia dirigantur[4]).

---

[1]) Articul. XXXVII. XXXVIII an. 1495.
[2]) Art. XXXVI an. 1500.
[3]) Artic. XLV an. 1495.
[4]) Artic. XXIII an. 1504. art. I. 1351.

2. Pecunia Christianitatis et Messorialis, quam expendebant Episcopis. Illa recognoscebant se Christianos esse, hac vero terram incolere Decimis subjectam. Abutebantur etiam hac vario modo, dum exigerentur. Tandem in Diaeta ita conclusum est:

De Pecuniis Christianitatis et Messorialibus, quae hactenus valde abusive exigebantur, taliter determinatum est: quod ex quo ipsi Domini Praelati et viri Ecclesiastici, ratione proventuum eorum decimalium, gentes eorum, de caetero pro defensione hujus regni necessario tenere habebunt. Sunt autem quam plurimi rusticorum, qui nec vineas habentes neque etiam araturas facientes, de quibus eisdem Praelatis Ecclesiarum sub quarum Dioecesibus degunt, minime recognoscunt. Quare ut de caetero inter ipsos Praelatos Ecclesiarum et Christicolas debitus ordo observetur, statutum est, quod a modo imposterum omnes et singuli rustici seu Jobagiones quorumcunque qui sive de vinis sive de frugibus et bladis ipsorum in Dioecesi quorumcunque Dominorum Praelatorum et virorum Ecclesiasticorum Decimas solverint, tales nec Pecunias Christianitatis neque etiam Messoriales solvere debeant. Messores autem de portionibus sibi pro labore eorum, ab his tantummodo, qui Decimas solvere hucusque solvere consueverunt et non Nobilibus provenire debentibus, Decimas solvant. Pecunias autem Christianitatis aut Messoriales non solvant, nec interim portiones eorum de campo abducere seu excipere audeant, donec eorum portiones una cum rebus decimalibus colonorum decimabuntur. Illi autem, qui nec ex vinis, nec frumentis seu bladis Decimas solverint, pro pecuniis Christianitatis, sex tantummodo denarios teneant.[1])

3. Pecuniae Sigillares, quas tempore vindemiarum solebant exigere ab iis, qui vina sua vendidissent Decimatores, pro Sigillis, quibus licentia vendendi concedebatur. Eousque abutebantur autem eo jure, ut diaetaliter concludere de eo necesse haberent.[2])

4. Taxae variae pro sepulturis, quae miseram admodum onerabant plebem. Maxime si contigisset aliquem occidi nefarie, quatuor florenis locus sepulturae debuit redimi. Saepius vetitum in Diaetis, tamen non cessarunt, unde Matthias Rex taliter prohibuit:

Quia Archidiaconi, Vice-Archidiaconi et Plebani propter eorumdem insatiabilitatem, non contenti justis et veris ipsorum proventibus, quandam detestandam et extra hoc regnum inauditam corruptelam potissimum vero in Comitatu Simigiensi induxisse dignoscuntur, videlicet, quod dum contingit

---

[1]) Artic. LII an. 1498 art. XLIII an. 1495.
[2]) Art. XL an. 1495 art. LXIV an. 1498.

aliquem quocunque modo interfici, si etiam testatus decedat, sepultura illi et in Ecclesia et etiam in coemeterio interim negatur, donec ultra omnia funeralia et alia pro locorum consuetudine et diversitate in talibus fieri solita una marca argenti vel quatuor aurei solvantur. Quae res quia non solum abusio et corruptela, verum etiam quoddam sacrilegii et simoniae genus merito censeri potest, eam ob rem praesenti Decreto statutum est, quod a modo deinceps ejuscemodi exactionis genus ubique et signanter in dicto Comitatu Simigiensi cesset et perpetuo aboleatur et nemo Archidiaconorum, Vice-Archidiaconorum et Plebanorum, eorumque vices gerentium, sub poena amissionis beneficiorum, extorquere praesumat, prout hoc etiam tempore quondam Serenissimi Domini Caroli Regis Ungariae &c. in praefato Comitatu Simigiensi per Bullas Apostolicas ad petitionem et instantiam ejusdem Domini Regis cassatum et extinctum fuisse, ex eisdem Bullis in praesenti congregatione Regnicolarum publice perlectis, manifeste dignoscitur.[1])

§ VII. Haec omnia nocivis consequentiis quaestus indulgentiarius superavit, dum pretio et processionibus peccata redimebantur. Quam lubrica ad malum via haec spes indulgentiarum fuit, circumstant undique exempla. Spes impunitatis illecebra peccandi: claustra sub spe impunitatis transierant fere in lupanaria, ita ut dum in Anglia Henricus Octavus, a Leone Pontifice ex scripto adversus Lutherum Defensor Fidei vocatus, ex inquisitione observaret innumeros sodomitas, moechos et omni pollutione contaminatos exhorruit et Monachos Monialesque e claustris eliberavit.[2]) Malas admodum habuit consequentias indulgentiarum promulgatio etiam in Hungaria, deditque damna et venturis memoranda nepotibus saepius, praecipue tamen anno 1514. Thomas enim Bakatzius Archiepiscopus Strigoniensis adierat Romam spe potiundi Pontificatu, vacante tunc cathedra ex morte Julii secundi[3]), ubi suas frustra profundens divitias, ne omnino nihil egisse videretur, auxilia a Leone solicitabat adversus Turcas. Sed vacuo aerario, imo ipsemet totus obaeratus Leo pecuniario subsidio adesse non poterat, dabat ergo quod illi parvi constaret, sacrorum diplomatum munera impertiit, quibus contra Turcam pugnantibus universorum criminum veniam, iis vero qui pro tuenda religione mortem oppetiisent, aeternam felicitatem pollicitus.[4])

§ VIII. Talibus diplomatibus sacris ornatus an oneratus Cardinalis

---

[1]) Art. LXIII an. 1486. art. II an. 1351.
[2]) In Breviario compertorum apud Zvingerum Tractatu de Festo Corpor. Christi pag. 99.
[3]) Istvanf. Hist. Lib. V. Petrus de Rewa in Centur. pag. 62.
[4]) Timon in Purpura Pann. pag. 30.

Budam rediit, ubi prolixa cum commendatione subsidium quod adversus Turcas debellandos Roma attulisset exposuit. Displicuit multis e sanctiori consilio viris veniarum promulgatio, unde prudenter Regni ruinam et desolationem ominabantur. At horum consilio rejecto Regem ad sententiam suam pertraxit cum senatoribus quibusdam. Habita igitur concione in templo Sigismundi indultum Pontificis e cathedra promulgavit. Venere in unum brevi tempore plurimi variaeque sortis homines, rustici, qui labores fugiebant, servi, qui molestias servitutis aspernabantur, tanto numero, ut intra mensem explerent numerum quadraginta millium. Ductor illis deerat, displicebat enim Magnatibus hoc facinus. Cum famuli colonique relicto opere agresti militiae nomen dabant, atque ita omnis Magnatum vivendi subsistendique subvertebatur ratio, Georgium ergo Dosa Siculum, qui inter milites non ita pridem facinore quodam edito inclaruerat et casu Budae tunc aderat, illis praeficit, vexillo grandi albo, Romæ in hunc finem praeparato, cruce rubra variegato, donat crucemque pro signo habere jubet.

§ IX. Quoniam de modo subsistendi provisio facta erat nulla, neque famelicus venter Legem audire soleat, in praedas brevi agendas conversi sunt. Quos dum Nobilitas arcere coepit, Dosa arreptis armis convertit inconditum agmen adversus Magnates ac Nobilitatem, caedibus, rapinis omnia complebat, inaudito scelere palis innocentes insuebat, fortalitia, arces, civitates depopulabatur ac cineribus immergebat. Nobiles, eorum liberos, nuptas innuptasque puellas ea tollebat morte, quam pudor referre prohibet. Sceleris magnitudinem ipsa poena loquitur. Nam post Regni depopulationes ad Temesvarum a Wajvoda Transylvaniæ victi, ipse Georgius nudus catenis vinctus coronaque ferrea candenti redimitus, equuleo impositus et per venas concisus est, quem sanguinem Lucas Georgii frater * potare jussus est. Venis iterum clausis missi sunt in eum viginti ex sociis, triduo inedia macerati, qui dentibus eum laceratum vorarunt. Tandem extractis visceribus exenteratur corpus, in frusta concisum, ahenis coctum, verubus tostum, comedendum reliquis appositum est, et demum isti omnes hoc modo satiati tragicum acceperunt exitum [1]). Excellebat inter nefarios istos Laurentius quidam sacerdos, qui recolligere palantes, bellumque redintegrare conatus est. Sed par caeteris fatum ipsum quoque nebulonem abstulit. Septuaginta hominum millia eo bello periisse traduntur, Nobiles quadringenti, Episcopi etiam quidam, qui palis ut plurimum insuti [2]).

---

[1]) Rewa de Monarch. Hung. pag. 62.
[2]) Histor. Reform. pag. 44.
* forte pater (adnotavit nescio quis in margine).

Hic erat fructus in Hungaria indulgentiarum. Haec Crucigerorum in Regno pietas. Nomen fatale Kurutzonum inter Hungaros ex his nomen et omen habet.

§ X. Quid patraverint rustici in Familiis Nobilium, elucet ex articulo contra rusticum Matronae nobili vim inferentem et virginem nobilem deflorantem concluso in Diaeta Regni eodem anno, ubi sic:

Ne de caetero quispiam rusticorum seditiones in populo concitare et praesertim puellas et mulieres nobiles violare praesumat, sed omnem successivam posteritatem illata propterea poena teneat, utque omne seculum agnoscat, pariter et reminiscatur, quam detestabile, quam enorme, quamve turpe vitium sit post Deum apud Ungaros virginum defloratio ac mulierum violatio, universi tales praesumptuosi Deoque et hominibus detestandi latrones horrenda nece pereant et eorumque posteritates, filii videlicet et filiae ac fratres carnales ita puniantur, ut de illorum progenie, judex aut juratus, civis vel villicus in medio aliorum rusticorum aliquis non eligatur, nemoque in curia Principis vel Dominorum ac nobilium ex eis famulari unquam possit, et nullus eorum ad aliquem honorem promoveatur, sed tanquam maledictae generationis jugo perpetuae servitutis et rusticitatis subjecti reatus ipsorum poenam lugeant. Si vero non uxorati talia patrasse deprehendantur, eorum nihilominus Patres praemissa infamia condemnentur[1]). Ingens et enorme debuit esse delictum quod talem meruerit sententiam.

§ XI. *Ex progenie rustica Episcopos eligere non licet.* — Tunc quoque editus est articulus sequens:

Nemo de rustica progenie natus in Episcopum vel Archiepiscopum ob perpetuam praemissae rusticanae proditionis memoriam per regiam Majestatem promoveatur et si quispiam promoveretur, nemo illi decimas dare teneatur[2]). Verum ille articulus observatus non est, nam Georgius Szeleptseni, qui Archiepiscopus erat Strigoniensis, rustici asseritur esse filius[3]), qui Imperatori Leopoldo cum animam efflaret ad extirpationem Haereticorum quinque milliones testamento legavit[4]).

Constituerant etiam jam olim Hungari, ut sacerdotes cujuscumque ordinis a Regni gubernaculis prohiberentur, nec nisi vocati et privatae

---

[1]) Decret. art. XLVII an. 1514.
[2]) Art. XXIV an. 1514.
[3]) Caroli And. Memorabilia Eccl. ad an. 1680. pag. 250.
[4]) Idem ll. cc.

rei causa in curiam venirent[1]), ex quo articulo non observato Ilias prognata malorum.

Ob has caeterasque alias causas anxie multi expectabant tempus, quo lumine veritatis illustrati viam sibi et aliis cernerent ad salutem; factum tandem est, cum clementissimum Numen benigne verbum suum indulsit per Reformationem.

[1]) Art. LVII. an. 1498. Revai in Cent. pag. 58.

LIBER SECUNDUS.

Complectitur Historiam Reformationis resque Ecclesiae in Hungaria et Transylvania seculo decimo sexto, ad Pacificationem Wiennensem usque gestas; quae fuit anno MDCVI.

CAPUT PRIMUM.

De Occasione Reformationis in genere.

§ 1. *Reformationis Origo.* — Doctrinae morumque inter Hungaros ac Transylvanos Reformatio seculo decimo sexto instituta, originem habuit ex Germania atque Helvetia ac quadantenus ex Gallia. Eam igitur tradituris videndum est primum quid in Germania ac Helvetia circa Religionem actum sit; indeque tandem ad Religionis in Patria Reformationem, ac eius occasionem prono defluere alveo, ut ita in luce ambulantes nihil nostrum interturbet cursum.

Romanam occupaverat cathedram anno 1513 Joannes Medices ex nobili apud Florentinos familia natus, qui Leonis Decimi nomen sibi sumpsit. Hunc pene puerum vix decimum quartum aetatis annum egressum in Cardinalium numerum adoptaverat Innocentius Octavus[1]), homo turbulentus ac vitae impurae, qui nulla re magis quam nothorum grege inclaruit. Extat de isto Carmen Marulli:

[1]) Polani Histor. Concilii Tridentini. pag. m. 4.

Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas.
Hunc merito poterit dicere Roma patrem [1]).

Cardinalis dignitatem consecutus erat Leo ob respectum sororis Magdalenae, quam ingentibus divitiis ornatam filio suo Francisco Cibo collocaverat Innocentius in matrimonium. Coronatio Leonis tanto cum fastu acta, ut una die decies centena aureorum millia expenderentur [2]). Quum autem magno semper luxu vixisset, privatum adhuc opesque suas male profundentem suis divitiis soror sublevare coacta est. Nunc quoque, partim sororis, partim mutuata a Cardinalibus sub spe refusionis ope, splendidissime ac regio apparatu inaugurationem peregerat.

§ II. *Origo Indulgentiarum.* — Ut ergo pecuniam mutuo acceptam cognatis cardinalibusque cum redhostimento redderet, cogitabat omnium divitiarum fontem aperire, indulgentias omnium peccatorum promulgare; unde largissimi repente corradendarum pecuniarum rivi ubertim fluerent. Origo Indulgentiarum refertur ad Urbanum, id nominis Secundum, qui exeunte seculo undecimo Indulgentias plena manu cum expiatione omnium delictorum concedebat iis, qui in militiam proficisci vellent ad terram sanctam recuperandam. Excitabat Christianos ad sepulchrum Christi Salvatoris ex impuris Muhammedanorum manibus vindicandum, fecitque Palestinam sepulchrum Christianorum ex Europa in orientem confluentium [3]). Ex eo tempore apud Romanos Pontifices invaluit consuetudo indulgentias proclamandi ac veniarum largitate donandi eos, qui bello lacesserent quosvis Ecclesiae Romanae edictis minus obsequentes etiamsi Christianos Constatque his nominibus immanes saepius pecuniarum exactiones factas easque maximam partem longe in alios usus erogatas.

§ III. *Leo indulgentias promulgat.* — Leo quoque Pontifex, praetextu belli in Turcas movendi et sustinendi sumptus in Templum Petrinum extruendum, Romae indulgentiarum fontem aperuit largissimum, remissionem peccatorum per omnia Christiani orbis regna proclamandam voluit his [4]), qui sumptibus in id faciendis non parcerent; mortuis etiam profuturam, ad eos ab ignis purgatorii poena liberandos, si quis ipsorum nomine dependeret pecuniam. Revera autem faciebat ad restituendas creditoribus, maxime sorori Magdalenae, divitias jam diu male decoctas et sustinendum splendorem, quo cum luxu vitam ageret. Apparet hoc inde, quoniam pecunias corradendas statim a tempore proclamationis indulgentiarum distribuit partim in Curiae suae necessitatem, partim

---

[1]) Barleus in Vit. Pontificum. Libr. VI. p. m. 482.
[2]) Angelus Berniera in Compend. Hist. Eccl. pag. 4.
[3]) Polani Histor. Concil. Trid. pag. 4.
[4]) ll. cc.

contulit sorori Magdalenae, nominatim Saxoniae proventum et totius ejus tractus Germaniae, qui Saxoniam et mare interjacet.

§ IV. *Aremboldus precones eligit veniarum.* — Magdalena, ut ex dono fratris fructum caperet uberiorem, peritis in arte acquirendi Publicanis attributam sibi provinciam concredidit, qui jam spe conceptas corraderent divitias. Aremboldum quendam mercatorem Genuatem sub titulo Episcopi Aerario praeficit, qui explendae mulieris cupiditati, quam expendendis hominum meritis magis intentus, veniarum publicandarum potestatem fecit illis, qui eas plurimo licitarentur[1]), precones delegit Monachos Dominicanos (quamvis ex usu antiquo Eremitae Augustiniani in Saxonia solerent publicandarum ministri esse indulgentiarum) qui plus lucri veteranis illis allaturi videbantur. Hi precones facti tanti beneficii, dum illius magnitudinem apud populum supra verum insolito verborum apparatu extollunt, in magnam audientium offensionem venerunt. Joannes Tezelius in Saxonia concionator electus omnium imprudentissime aeque ac impudentissime rem gerebat, pollicitus veniam omnium vel gravissimorum criminum, etiam si quis matrem Domini (contremiscite coelum et terra) violasset[2]). In libellis indulgentiarum affirmabat, se absolvere hominem, qui pecuniam dederat, ab omnibus delictis hactenus per eum commissis, quantumcunque enormibus, remittere ei omnem poenam in Purgatorio debitam et restituere eum innocentiae atque puritati ei, qua erat, quando baptizatus fuit[3]). Conquisitissimis permovere conabantur Concionatores verbis suos auditores. En coelum undique jam apertum est, si nunc non intres, quando unquam intrabis, o insensatos et crassi cordis homines, bestiis prope similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarum! en tot potestis redimere animas, o duri, duri et negligentes! Duodecim denariis patrem extrahere potes, et tam ingratus parenti in tantis poenis non succurris. Ego in extremo judicio excusatus sim[4]).

§ V. *Preco veniarum delusus.* — Quod erat nocentius pietatisque in omnimodam eversionem faciebat, futurorum quoque peccatorum redemptionem largiebantur hi veniarum nundinatores. Unde egregium facinus prorsusque a posteris laudandum ab Equite haud obesae naris, sed jocundi ingenii admissum, qui larva pietatis indutus Preconem adivit,

---

[1]) Pol. ll. cc. p. 5.

[2]) Berniera in Compend. Hist. Eccl. p. 4. Sleidan. de Statu Relig. Lib. XIII, Lampe Hist. Eccl. Lib. II. Cap. XII. § 1. Comp. Hist. Laeti pag. 371.

[3]) Lampe ll. cc.

[4]) Ex relat. P. Spalatini apud Joan. Laeti pag. 371.

an haberet potestatem remittendi peccata, quae in futurum fortasse admittere contingeret? Affirmanti decem Thaleros et amplius pro ista gratia numeravit. Gratulabatur sibi ac tempus expectabat, quo monachus probe numis suffarcinatus ad suos reverteretur, ut illum isto levaret onere, quod et paulo post factum est. Spoliatus ita adiit Magistratum, de tam insigni injuria conquestus multis accusationibus hominem detulit. Verum sat mature alter ille sibi prospexerat et cum vulpe vulpinari didicerat. Productis enim tabulis venialibus ab ipso nundinatore sibi traditis, litem obtinuit. Monachus praeter acceptum damnum, convicia, sannas et ludibria retulit, ut in posterum disceret cautius suas merces vendere [1]). Offensionem populi ratione indulgentiarum augebat rei indignitas, qui enim pecunias ab Aremboldo emissi corradebant, in lustris et popinis aleae lusu et venere, cum magno populi genium suum defraudantis et pecunias e diario labore comparcentis scandalo, profundebant [2]), easque per ludibrium dicebant Peccata Germanorum, quoniam pro peccatis redimendis offerebantur.

§ VI. *M. Lutherus indulgentiis obloquitur.* — Martinus Lutherus Monachus Augustinianus, quem Elector Saxoniae in Academia Vittebergensi anno 1512 Theologiae Professorem creaverat, de Indulgentiarum vanitate et abusu anno 1517 die 31 Octobr. Theses proposuit ac disputavit.

Quas cum sint rariores opportuno isthoc loco dabimus curioso lectori: „Amore et studio elucidandae veritatis, hæc subscripta Themata disputabuntur Vittembergae, Praesidente Reverendo Patre Martino Luthero, Eremitano Augustiniano, Artium et S. Sanctae Theologiae Magistro ejusdemque ibidem ordinario Lectore; quare petit, ut qui non possint verbis praesentes nobiscum disceptare, agant id literis absentes. In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. A. C. MDXVII.

1. Dominus et Magister noster Jesus Christus dicendo: Poenitentiam agite &c, omnem vitam fidelium poenitentiam esse voluit.

2. Quod verbum de Poenitentia sacramentali, id est, Confessionis et satisfactionis, quae sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelligi.

3. Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

4. Manet itaque poena, donec manet odium sui, id est, poenitentia vera intus, scilicet, usque ad introitum regni coelorum.

5. Papa non vult nec potest ullas poenas remittere, praeter eas quas arbitrio vel suo vel canonum imposuit.

---

[1]) Zwingerus in Vita Lutheri et Zwinglii. Hejfeldii Sphynx p. 563. Gerdes Introduct Hist. Evangl. p. 83.

[2]) Polan. Hist. Concil. Trid. pag. 5.

6. Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et approbando remissam a Deo, aut certe remittendo casus reservatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

7. Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subjiciat humiliatum in omnibus sacerdoti suo Vicario.

8. Canones poenitentiales solum viventibus sunt impositi, nihilque morituris secundum eosdem debet imponi.

9. Inde nobis benefacit spiritus sanctus in Papa, excipiendo in suis Decretis semper articulum mortis et necessitatis.

10. Indocte et male faciunt sacerdotes ii, qui morituris poenitentias canonicas in Purgatorium reservant.

11. Zizania illa de mutanda poena canonica in poenam Purgatorii videntur certe dormientibus Episcopis seminata.

12. Olim poenae canonicae non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta verae contritionis.

13. Morituri per mortem omnia solvunt et legibus canonum mortui jam sunt, habentes jure earum relaxationem.

14.. Imperfecta sanctitas seu charitas morituri necessario secum fert magnum timorem tantoque majorem, quanto minor fuerit ipsa.

15. Hic timor et horror satis est se solo, ut alia taceam, facere poenam Purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.

16. Videntur infernus, purgatorium, coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt.

17. Necessarium videtur animabus in Purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri charitatem.

18. Neque probatum videtur ullis aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti seu augendae charitatis.

19. Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certae et securae, saltem omnes, licet nos certissimi simus.

20. Igitur Papa per remissionem plenariam omnium poenarum, non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo impositarum.

21. Errant itaque indulgentiarum Commissarii ii qui dicunt, per Papae indulgentias hominem ab homine poena solvi et salvari.

22. Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent secundum canones solvere.

23. Si remissio ulla omnium omnino poenarum potest alicui dari, certum est eam non nisi perfectissimis, id est, paucissimis dari.

24. Falli ob id necesse est majorem partem populi, per indifferentem illam et magnificam poenae solutae promissionem.

25. Qualem potestatem habet Papa in purgatorium generaliter, talem habet quilibet Episcopus et Curatus in sua Dioecesi et Parochia specialiter.

26. Optime facit Papa, quod non potestate clavis (quam nullam habet), sed per modum suffragii dat animabus remissionem.

27. Hominem prædicant, qui statim, ut jactus numus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam.

28. Certum est nummo in cista tinniente augeri quaestum et avaritiam posse: suffragium autem Ecclesiae est in arbitrio Dei solius.

29. Quis scit, si omnes animae in purgatorio velint redimi, sicut de S. Severino et Paschali factum narratur?

30. Nullus securus est de veritate suae contritionis, multo minus de consecutione plenariae remissionis.

31. Quam rarus est vere poenitens, tam rarus est vere indulgentias redimens, id est, rarissimus.

32. Damnabuntur in aeternum cum suis Magistris, qui per literas veniarum securos sese credunt de sua salute.

33. Cavendi sunt nimis, qui dicunt, venias illas Papae donum esse illud Dei inaestimabile, quo reconciliatur Deus.

34. Gratiae enim illae veniales tantum respiciunt poenas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas.

35. Non Christiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas vel confessionalia non sit necessaria contritio.

36. Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et culpa etiam sine literis veniarum sibi debitam.

37. Quilibet verus Christianus sive vivus sive mortuus habet participationem omnium bonorum Christi et Ecclesiae etiam sine literis veniarum a Deo sibi datam.

38. Remissio tamen et participatio Papæ nullo modo est contemnenda, quia ut dixi est declaratio remissionis divinae.

39. Difficilimum est etiam doctissimis Theologis, simul extollere veniarum largitatem et contritionis veritatem coram populo.

40. Contritionis veritas poenas quaerit et amat, veniarum autem largitas relaxat et odisse facit, saltem occasione.

41. Caute sunt veniae Apostolicae praedicandae, ne populus falso intelligat, eas præferri caeteris bonis operibus charitatis.

42. Docendi sunt Christiani, quod Papae mens non est, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiae.

43. Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret.

44. Quia per opus charitatis crescit charitas et fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo a poena liberior.

45. Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum et neglecto eo dat pro veniis, non indulgentias Papae, sed indignationem Dei sibi vindicat.

46. Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domui suae retinere, et nequaquam propter venias effundere.

47. Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non praecepta.

48. Docendi sunt Christiani, quod Papa, sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.

49. Docendi sunt Christiani, quod veniae Papae sunt utiles, si non in eas confidant, sed nocentissimae, si timorem Dei per eas amittant.

50. Docendi sunt Christiani, quod si Papa nosset exactiones venialium Praedicatorum, mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quam aedificari cute, carne et ossibus ovium suarum.

51. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut debet, ita vellet etiam vendita, si opus sit, Basilica S. Petri de suis pecuniis dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

52. Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiam si commissarius, imo Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

53. Hostes Christi et Papae sunt ii, qui propter venias praedicandas verbum Dei in aliis Ecclesiis penitus silere jubent.

54. Injuria fit [verbo] Dei, dum in eodem sermone aequale vel longius tempus impenditur veniis, quam illi.

55. Mens Papæ necessario est, quod si veniae, quod minimum est, una campana, unis pompis et cerimoniis celebrantur, Evangelium, quod maximum est, centum campanis, centum pompis, centum cerimoniis praedicetur.

56. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

57. Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatorum.

58. Nec sunt merita Christi et sanctorum, quia haec semper sine [Papa] operantur gratiam interioris hominis, et crucem, mortem infernumque exterioris.

59. Thesauros Ecclesiae S. Laurentius dixit esse pauperes Ecclesiae, sed locutus est usu vocabuli suo tempore.

60. Sine temeritate dicimus, claves Ecclesiae, merito Christi donatas, esse Thesaurum istum.

61. Clarum est enim, quod ad remissionem poenarum et casuum sola sufficit potestas Papae.

62. Verus Thesaurus Ecclesiae est sacrosanctum Evangelium gloriae et gratiae Dei.

63. Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit novissimos.

64. Thesaurus autem indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex novissimis facit primos.

65. Igitur Thesauri Evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.

66. Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divitias virorum.

67. Indulgentiae quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales, quoad quæstum promovendum.

68. Sunt tamen revera minimae ad gratiam Dei et crucis pietatem comparatae.

69. Tenentur Episcopi et Curati veniarum Apostolicarum Commissarios cum omni reverentia admittere.

70. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro commissione Papae sua illi somnia praedicent.

71. Contra veniarum Apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema et maledictus.

72. Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus.

73. Sicut Papa juste fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur.

74. Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem sanctae charitatis et veritatis machinantur.

75. Opinari venias Papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiam si quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire.

76. Dicimus contra, quod veniae Papales nec minimum peccatorum venialium tollere possint, quoad culpam.

77. Quod dicitur: nec si S. Petrus modo papa esset majores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum et Papam.

78. Dicimus contra, quod etiam iste et quilibet papa majores habet, scilicet: Evangelium, virtutes, gratias curationum ut 1 Cor. 12.

79. Dicere: crucem, armis Papalibus insigniter erectam, cruci Christi aequivalere, blasphemia est.

80. Rationem reddent Episcopi, Curati et Theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

81. Facit haec licentiosa veniarum praedicatio, ut nec reverentiam Papae facile sit, etiam doctis viris, redimerea calumniis, aut certe argutis quaestionibus Laicorum.

82. Scilicet cur Papa non evacuat Purgatorium propter sanctissimam charitatem et summam animarum necessitatem, ut causam omnium justissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicae, ut causam levissimam?

83. Item: cur manent exequiae et anniversaria defunctorum et non reddit aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum jam sit injuria, pro redemptis orare?

84. Item: quae illa nova pietas Dei et Papae, quod impio et inimico propter pecuniam concedunt animam piam et amicam Dei redimere, et tamen propter necessitatem ipsiusmet piae et dilectae animae non redimunt eam gratuita charitate?

85. Item: cur Canones poenitentiales re ipsa et non usu jam diu in semet abrogati et mortui, adhuc tamen pecuniis redimuntur per concessionem Indulgentiarum tanquam vivacissimi?

86. Item: cur Papa cujus opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium struit unam tantummodo Basilicam S. Petri?

87. Item: quid remittit aut participat Papa iis, qui per contritionem perfectam jus habent plenariae remissionis et participationis?

88. Item: quid adderetur Ecclesiae boni majoris, si Papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones et participationes tribuéret?

89. Ex quo Papa salutem quærit animarum per venias magis quam pecunias, cur suspendit literas et venias jam olim concessas, cum sint aeque efficaces?

90. Haec scrupulosissima Laicorum argumenta, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam et Papam hostibus ridendos exponere et infelices Christianos facere.

91. Si ergo veniae secundum spiritum et mentem Papae praedicarentur, facile illa omnia solverentur, imo non essent.

92. Valeant itaque omnes illi Prophetae, qui dicunt populo Christi: Pax, pax et non est pax.

93. Bene agunt omnes illi Prophetae, qui dicunt populo Christi: Crux, crux et non est crux.

94. Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas, mortes infernosque sequi studeant

95. Ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam per securitatem pacis, confidant".

Theses hae publice propositae sunt Vittenbergae, sed ad has visas et perlectas viva voce impugnandas nemo unus comparebat: solus Joannes Tezelius Dominicanus Francofurti ad Oderam contrarias evulgavit[1]).

§ VII. *Lutherus scribit ad Leonem.* — Hejdelbergae in Palatinatu eodem anno in conventu generali Augustinianorum, contra receptam sententiam, de justitia operum et libero arbitrio disputavit. Exorti sunt

---

[1]) Polan. Hist. Concil. Trid. pag. 5.

extemplo qui ut videbatur communem sententiam defensuri, se illi opposuerunt eumque tanquam haereticum circumtulerunt. Verum non erat Luthero difficile iis respondere, cum in verbo Dei se non fundarent. Scripta vero sua ad Pontificem simul cum literis misit, nihil eorum quae sub ejus auctoritate contra legem Dei et bonos mores alii agere videbantur illi attribuens, sed insulsis indulgentiarum Preconibus, qui aequi rectique mensuram non servantes excederent. Imo Pontifici se submittens, ejus vocem ut vocem Christi in illo loquentis agnoscere velle significavit. Non enim ea mens Luthero tunc erat, ut ab obedientia recederet Pontificis, solum abusus tollendos cupiebat. Citatus Romam Lutherus de ratione factorum reddenda anno 1518, Elector Saxoniae, cujus in Academia docebat, adire urbem vetuit. Ipsi quoque Hussi atque Hieronymi Pragensis exempla cum obversarenter, non abivit. Cardinalis Cajetanus in Germania Pontificis Legatus, ad litem hanc componendam auctoratus, Augustam ad se evocavit. Munitus Maximiliani Caesaris literis stitit se ipsi Lutherus. Cardinalis nullam aliam excusationem admittebat Lutheri, quam ut omnia dicta factaque revocaret atque se cum obedientia submitteret. Lutherus vicissim urgebat ostenderent adversarii, quid et ubi peccavit in doctrinam ac bonos mores. Cumque Cardinalis nihil cederet, relicta Augustae provocatione ad Papam rectius edoctum, discessit Lutherus. Imo scripta quoque ad Pontificem epistola pollicitus est istam de indulgentiis materiam se deinceps plane relicturum et taciturum, modo adversarii suas ampullas continerent: se nunc quoque facti poenituisse, quoniam asperius fuerit locutus.

§ VIII. *Lutherus provocat ad concilium.* — Interea ne damnum patiatur de indulgentiis metuens Leo, anno 1518 die 19 Novembr. suam in Germaniam expediit Bullam, in qua se legitimum Petri successorem, Christi vicarium ostendit, in cujus potestate est situm vivis et mortuis benefacere [1]). Hæc est antiqua Ecclesiae doctrina; ita cuilibet Christiano credendum, ni ab Ecclesiae consortio separari velit. Exemplaria multiplicata ac ad omnes Germaniae Episcopos missa publicata sunt. Advertit Lutherus ex his facile, suas Theses Romae esse damnatas ipsumque reputari tanquam haereticum: provocavit igitur a Pontifice ad Concilium generale. Provocationem scripto complexam et per Germaniae oras sparsam cum plerique manibus versarent et æquitati consentaneam crederent, extemplo apparuit, quam invalidum esset Leonis diploma, ad incendium ibi jam excitatum restinguendum.

§ IX. *Zwinglius contradicit indulgentiis.* — Haec in Saxonia; interea Huldericus Zwinglius, Thomae Wittenbachii Professoris Basileensis,

---

[1]) Polan. ll. cc. pag. 7.

a quo jam anno 1505 puriorem de Justificatione sententiam atque indulgentiarum vanitatem didicerat, discipulus, Glaronae doctrinam puriorem ex sacrae scripturae fontibus praedicare coeperat, anno 1516 præcedenti videlicet, quo Lutherus publicarat suas de indulgentiis Theses [1]). Quando igitur Sansonius Monachus Franciscanus cum indulgentiis Tigurum appulisset, qui in Helvetia ab indocta plebe plus quam CXX ducatorum millia collegerat, rejectus est. Senatus enim Tigurinus Zwinglium Canonicum Praedicatoris tunc munus sedulo obeuntem consulens, quid factu opus esset, ille indulgentiis contradixit earumque vanitatem demonstravit. In hac causa eadem sentiebat Episcopus Constantiensis Joannes Faber, qui monuit senatum Tigurinensem, ne Sansonium in Urbem suam cum vanis suis mercibus admitterent.

Haec tenuia fuere Ecclesiae Protestantium in Helvetia per Zwinglium, in Saxonia per Lutherum initia. Qui absque communicato consilio soli in diversis Regionibus ejusdem veritatis oppressae, hactenus potentia Dei suffulti, vindices fuere; in fundamento fidei conspirantes, sed in quibusdam quaestionibus minoris momenti dissentientes. Eo autem controversiae momentum cum Pontifice vel veniarum Preconibus processerat, ut non solum de indulgentiis, verum et de Jure Pontificis controverteretur. Nam cum papalis doctrinae defensores e S. Scriptura disputare nollent, sed ex Pontificum Decretalibus, respondebant iis, in tantum admittunt, quatenus cum S. Scriptura concordant, alias authoritate obligandi aliquem scripta eorum destituuntur.

§ X. *Leo Bullam adversus Lutherum emittit.* — Leo Pontifex ad instantiam Episcoporum, Monachorum, relictis spectaculis, venationibus, recreationibus musicis, quibus admodum capiebatur, adversus Lutherum Bullam suam edidit anno 1520 die 15 Julii, qua eum Haereticum declaravit et omnia ejus scripta, nisi intra sexaginta dies revocaret, rogo adjudicavit [2]). Tradita quoque sunt Lutheri scripta flammis publice per carnificem Romae, Coloniae, Lovanii, quae cum ipse certissime rescivisset, convocatis Professoribus ac studiosis Vittenbergae extra muros, non modo Leonis Bullam, sed Decretalium quoque Pontificiorum libros flammis ustulandos adjudicavit ipsoque facto concremavit, addito hoc epiphonemate: Quia conturbasti sanctum Domini, conturbet te ignis aeternus [3]). Tandem Carolus Quintus Imperator Confluxum ordinibus Imperii Vormatiam indixit, quo evocavit et Lutherum ad reddendam doctrinae suae rationem, misso ad eum salvo conductu, quo securitati ipsius providebatur. Multi, quibus Lutheri arridebat causa,

---

[1]) Gerdes in Praefat. Histor. Reformat. Lampe ll. cc. § 14.
[2]) Polan. ll. cc. pag. 9.
[3]) Polan. ll. cc. p. 12. Lampe ll. cc. § III.

dissuadebant comparitionem exemplo Hussi, qui etsi Literis salvi reditus Sigismundi Imperatoris Constantiam accessisset, tamen ibi igni traditus est, hac fidem Imperatoris salvantes Regula Episcopi: Haereticis datam fidem non esse observandam. At eorum opinione rejecta magno animo Lutherus respondebat: Se iturum, etiam si sciret, tot sibi Diabolos oppositos, quot sunt in omnibus Urbis tectis tegulae [1]).

§ XI. *Vormatiae comparet Lutherus.* — Comparuit igitur Wormatiae anno 1521 die 17 Aprilis ubi interrogatus in praesentia Caesaris ac Principum; an suos agnosceret libros, qui sub ejus nomine circumferuntur? an eos defendere vel retractare paratus sit? Libros agnoscit suos, respondit, quod ad defensionem attinet. Pars librorum ejus continet fidei articulos et praxin pietatis; eam abnegare non est viri boni, nedum Christiani officium. Pars alia librorum opposita est Paparum tyrannidi; plus nimio compertum, omnes orbis Christiani provincias, sed praesertim Germaniam misere vexatas expilatasque ipsi servitutis jugo ingemiscere, hos abjurare perinde est, ac tyrannidem altius figere. Edidit tertiam partem librorum contra suos adversarios, ubi durius scripsit ac etiam ipse vellet. Verum ibi quoque non vitam suam aut mores sumpsit defendendos, sed doctrinam veram, cujus rationem reddere est paratus, nec recusare, si quis scripturae testimoniis erroris eum redarguat et convincat, quin omnium primus in ignem scripta sua sit abjecturus. Conversus tandem ad Caesarem et Principes ita locutus est: Agnitionem veritatis manifestatae magnum esse ac venerabile Dei donum, eam rejectam mendaciove contaminatam maximarum calamitatum myriades coelo deducere [2]).

§ XII. *Lutherus dimittitur. — Caesar edictum promulgat.* — Non defuerunt multi praecipue ex Episcopis, qui revocarent in memoriam Carolo Imperatoris Sigismundi factum, qui etsi literis publice securitatem promisisset Husso, tamen rogo admovit. Adversum hos Ludovicus Palatinus acerrime invectus, non debere concedi, ut propter quosdam Clericos fractae fidei aeterna ignominia velut stigma Nationi Germanicae inuratur. Fides est servanda. Inde igitur 26 Aprilis secundum Literas securitatis ea conditione dimissus est, ut intra unum et viginti dies redeat, in itinere autem populum nec verbo nec scripto concitare nitatur. Atque ita gratias Caesari agens discessit. Fridericus Elector Saxoniae praesagiens in itinere insidias esse Luthero structas, clam ex itinere abduci curavit in arcem Vartburgensem, ubi sub nomine Nobilis Georgii clam latuit, adeo ut magi ab adversariis consulti divinare non potue-

---

[1]) Franz. in orat. Jubil. Pol. ll. cc. pag. 12.
[2]) Polan. ll. cc. p. 13.

rint, ubinam moraretur[1]). Interea octava Maji severum Carolus edidit Mandatum ut elapsis uno et viginti diebus Lutherus per quemcunque incaptivetur, nemo eum in domum recipere, libros illius legere, habere, vendere audeat. Qui contrarium faceret, omnia sua bona amissurus, tanquam pestilentissimo adhaerens haeretico[2]). Edicto huic Electores, Civitates Imperiales, Principes contra nitebantur, neque Caesar in executionem deducere ausus est unquam.

§ XIII. *Protestantium origo.* — Anno tandem 1523 Principes Imperiales Norimbergae confluxum habentes, sua Gravamina centum articulis conclusa Legato Papae exhibuerunt, quos in Concilio ordinario et libero discutiat ac tollat. Rursum Spirae anno 1529 congregati severe in Comitiis decernitur in eos, qui novatores in Religione habebantur. Cui conclusioni Electores Saxoniae et Brandeburgiae (cum) multis aliis Principibus et civitatum Legatis contradixerunt non solum, sed et protestati sunt. Unde Protestantium Nomen iis adhaesit, qui se Romano-Catholicorum moliminibus opponerent. Qui vero Paparum Decretis et conclusis essent obedientes, illi Papistae aut Pontificii coeperunt dici. Lutherani qui presso pede Lutheri sequebantur vestigia. Qui autem Ecclesiam ab omnibus cerimoniis, humanis inventis repurgatam ac reformatam volebant, quales tunc erant Civitates Imperii in Germania ac Helvetia, Reformati dicebantur.

§ XIV. *Comitia Augustana et Confessio Aug. — Transactio Passaviensis.* — Comitia Imperator anno 1530 Augustae ad componendum Religionis dissidium celebravit; ubi Dux Saxoniae et plurimi Principes alii ac Civitates Imperiales Confessionem suam scripto comprehensam exhibuerunt, quae perlecta est 25 Junii in Comitiis. Auctor confessionis fuit Philippus Melanchton, quae de Civitate dicta est Confessio Augustana. Exhibita quoque fuit alia confessio a civitatibus Zwinglii doctrinam professis, quae nisi in articulo de Eucharistia, a superiore jam recitata nihil discrepabat[3]). In id Caesar et Episcopi in comitiis Augustanis intendebant, ut discidium inter Protestantes facerent. Arctam igitur unionem et ligam adversus eos inter se inierunt. Quod ubi civitates Imperii Principesque Protestantes advertissent, nolebant etiam ipsi suae deesse causae, verum circumspiciebant sese defendendi modum et media, quibus malis obstare possent imminentibus. Unde magni motus, bella, et sanguinis effusio secuta, donec victus Imperator astu et solertia Mauritii Pacem cum Protestantibus per Regem Hungariae Ferdinandum an. 1552 Passaviae iniit. Unde ea Pacificatio dicitur Trans-

---

[1]) Chytraeus in Saxon. Part. 1. Lib. 1.

[2]) Polan. ll. cc. pag. 14.

[3]) Polan. Hist. Conc. Trid. pag. 47.

actio Passaviensis. Summa ejus huc redit: Ut Augustanae confessioni addictis statibus religio sarta tectaque relinquatur, ne partes duae se invicem obtentu religionis infestent, laedant, aut ad eandem ejurandam cogant; bona Ecclesiastica a Protestantibus occupata penes ipsos maneant; Episcopis nulla in Aug. Confessioni addictos jurisdictio sit, sed ipsis circa sacra sua disponere liceat &c [1]). Haec Transactio Passavii facta in Comitiis Augustanis anno 1555 ab Imperii Ordinibus confirmata est [2]) atque in legem fundamentalem, qua Pax Germaniae aeque interna ac externa firmata durat, transiit. Hanc seculo decimo septimo, cum omnia in Imperio turbarentur, Reformatos ex Augustanae Confessionis velo ejectos vellent, post bellum illud tricennale sed Germaniae ferale, cui immixtus etiam Princeps Transylvaniae erat, Osnabrugae anno 1648 confirmarunt, unde Pacificatio Osnabrugensis aut Westfalica dicitur. In articulo hujus Pacificationis septimo Reformatis per omnia talis libertas conceditur, qualis est Lutheranorum et Catholicorum. Verba Pacificationis sunt: Unanimi quoque Caesareae Majestatis omniumque ordinum Imperii consensu placuit, ut quicquid juris aut beneficii, cum omnes aliae constitutiones imperii, tum Pax Religionis et publica haec Transactio, in eaque decisio Gravaminum, caeteris Catholicis, et Augustanae Confessioni addictis statibus et subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat [3]). Pacificatio haec complectitur aeque Transylvanos quam Imperii ordines quoad Religiosa, quod apparet ex eodem Pacis Instrumento [4]). Haec erant praemittenda Reformationis apud Hungaros Historiae, ut viam sequentibus munirent.

CAPUT SECUNDUM.

De initio Reformationis in Hungaria et Transylvania.

§ 1. *Initia Reformationis in Hung.* — In Germania ac Gallia verbum Dei eodem fere tempore illucescere coepit: tardius tamen in Gallia ad perfectionem pervenit. In Hungariam vero lux Evangelii ex Helvetia

---

[1]) Lampe Hist. Eccl. Lib. II. Cap. XII § XIV. Polan. ll. cc. 342, 343.
[2]) Hejdeg. Hist. Papatus pag. 237.
[3]) In Instrumento Pacis apud Brachelium pag. 84.
[4]) Ibidem ll. cc. pag. 128.

primum delata exsplendescere visa est, ubi jam anno 1506 Basileae doctrina de Justificatione secundum verbum Dei docebatur. Primus in Hungaria Evangelii in initio Reformationis preco observatur Simon Gryneus, qui Budae in urbe Regia Bibliothecae Matthiae R. Corvinianae atque Juventuti instituendae praefectus, nobiles suos discipulos ad Evangelii doctrinam manuducebat. Accusatus igitur a Monachis carcerique mancipatus ad illustrium matronarum nobilitatisque Ungaricae intercesssiones libertati restitutus in Germaniam abiit. Ita Timon de illo: „Budae Simon Grinaeus paedagogus errores disseminare coepit. Conditus est idcirco in custodiam, unde tamen adnitentibus quibusdam nobilibus matronis emissus haereses non ejuravit" [1]). Melchior Adami haec de ipso tradit: „Deinde cum veritatem et puritatem Evangelii esset amplexus, variis fuit expositus periculis, praesertim Budae, ubi aliquot annis Scholae praefuit. Nam ad Monachorum accusationes in carcerem est compactus; ex quo tamen nobilitatis Ungaricae intercessiones eum tandem liberarunt. E Pannonia igitur Wittebergam concessit, ibique multa cum Luthero et Melanchtone super religionis negotio aliisque rebus contulit. In Patriam reversus a Ludovico Palatino Electore Hejdelbergam ad docendas Graecas literas evocatur anno vicesimo tertio supra quingentos. Ibi dum agit Spirae conventus Imperii religionis causa habetur" [2]). Si anno 1523 creatus fuerit Professor in Palatinatu, praecedentibus annis procul omni dubio fata sua habuit in Hungaria. Incarcerationem Grynei Lad. Turotzi Jesuita attribuit Ladislao Szálkan, Archiepiscopo Strigoniensi, qui ita refert: „Primus ejus (Szálkani) hoc in honore pro salute Regni desudavit labor adversus Lutherum, cujus errores ante quinquennium in Saxonia infausto omine editi, jam omnem fere in Septemtrionem grassabantur. Occupavit Szálkanus cursumque intercepit quando et anno MDXXIII Simonem Grinaeum primum Lutheranorum in Ungaria anteambulonem in carcerem Budae compegit, et ut publicis Comitiorum tabulis ejusmodi sectae homines suis cum Patronis capite damnarentur bonaque aerario addicerentur impetravit et denique biennio post effecit, ut communi ordinum omnium decreto severa de iis quaestio haberetur, deprehensi incendio darentur" [3]).

§ II. In ea Hungariae parte, quae Barovia audit, tempestive Reformatio radices egerat. Habebatque ibidem Jacobus Faber, Stapulensis Doctor Parisiis Sorbonicus bonarum in Gallia literarum restaurator, suos discipulos Reformationi praelucentes [4]). Reliquiae quoque Hussitarum,

---

[1]) Timon in Epitom. Chron. ad an. 1523.
[2]) In Vitis German. Philosoph. pag. 55.
[3]) In Ungaria suis cum Regibus data. pag. 88.
[4]) Historia Reformationis. pag. 667.

qui orthodoxam suam confessionem anno 1508 Regi Uladislao repraesentarant, magna copia erant adhuc in Hungariae multis partibus[1]). Hi doctrinam confessioni suae conformem ultro et cum gaudio recipiebant. Tantoque celerius lumen Evangelii quaquaversum in Hungaria spargebatur, quanto paratiores ad illud recipiendum essent homines.

Tantam in Religione mutationem per Zwinglium et Lutherum factam esse advertentes Hungari proficiscebantur ad scholas Germanicas, Hejdelbergensem, Argentinensem, praecipue autem Wittenbergensem ad Institutiones Philippi Melanchtonis, communis tunc Germaniae Praeceptoris, audiendas. Primus qui Wittenbergam adiit anno 1522 scribitur Martinus Cyriacus Lötsei (praecesserant tamen eum alii), qui ex Academia redux Leuschoviam Evangelii lumine illustravit, factus ibidem primus Evangelii Preco et Reformator[2]). Discendae veritatis cupidi magno subsequentibus annis numero Hungari in Germaniam proficiscebantur; qui, sacrarum literarum scientia bene instructi reducesque facti, cognatos suos benevolos ac benefactores ad viam veritatis manuducebant.

§ III. Ab anno 1518, quo editus est quidam libellus de idololatria ejusque poena ineffabili, incitabantur homines ad inquirendam veritatem, ne in idololatria perdurantes immani subjicerentur poenae. Ediderat Lutherus de Libertate Christiana, Confessione, Poenitentia, Justitia duplici, Baptismo, Passione Christi, Votis Monasticis, Communione sub utraque specie, Captivitate Babylonica, Expositione Epistolae ad Galatas &c, quos primum Mercatores in Transylvaniam et in specie Cibinienses an. 1521 detulerunt: ex quorum lectione in tantum illuminabantur, ut defectus viderent, medelam desiderarent atque quaererent[3]). Duo tunc Clerici ingressi erant Cibinium ex Silesia oriundi: Ambrosius alter, alter dicebatur Georgius. Hi audiverant Lutherum docentem Wittebergae, qui observantes Cibiniensium erga Lutheri libros affectum secundum illos docere non verebantur, obscura illustrantes, difficilia enodantes atque ita ignaros ab ignorantiae tenebris ad veritatis lucem manuducentes[4]).

§ IV. *Mandatum Ludovici.* — Comes Saxonicae Nationis Cibinii tunc erat Marcus Pemflinger, vir pro ea aetate doctus ac prudens, qui perlectis Lutheri libellis commendabat eos et aliis. Evangelii cursum Cibinii sufflaminare nitebatur Matthias Colomannus, Plebanus, quo morte repentina sublato obex quoque amotus videbatur. Successor illi datus Matthias Ramaszius, qui praememoratos duos Monachos Praedica-

---

[1]) Tolnai Kalanz pag. 531.
[2]) Historia Diplomatica. pag. 3 § IX.
[3]) Haner Histor. Eccl. pag. 147.
[4]) Smeizel de Statu Lutheranorum in Transylvania pag. 23.

tores Cibinio turbabat perditosque prorsus volebat. Lis tunc Cibiniensibus intercesserat cum Archiepiscopo Strigoniensi de potestate Ecclesiastica, quae tanto vehementius Cibinienses incitabat ad veritates exquirendas. Plebanus Cibiniensis accusavit eos apud Regem haereseos rogabatque vellet sua auctoritate interdicere ne malum ulterius serpat. Rex igitur ad omnes eorum causas sopiendas tale ad Cibinienses expedit Decretum:

Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Fidelibus nostris ac circumspectis, Magistro Civium, Judicibus nostris Regio et Sedis caeterisque senioribus civitatis nostrae Cibiniensis aliarumque Civitatum, oppidorum, Villarum et Possessionum tam nostrarum quam aliorum quorumcunque sub Decanatu Cibiniensi et Jurisdictione Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis constitutis et existentibus, praesentibus et futuris, praesentes visuris salutem et gratiam &c.

Ex querelis gravissimis fidelis nostri nobis sincere dilecti Reverendissimi in Christo Patris D. Georgii Archiepiscopi Ecclesiae Strigoniensis, Primatis Hungariae, Legati Nati et summi Secretarii Cancellarii nostri &c. non sine gravi animi nostri displicentia accepimus, multos ex vobis fore, qui non curantes libertatem, privilegia et jurisdictionem praefatae Ecclesiae Strigoniensis, primum a divis quondam Regibus Hungariae felicium recordationum ante multa secula ei concessam, deinde a summis quoque S. Romanae Ecclesiae Pontificibus roboratam et confirmatam, turbare, violare et renovare in infra scriptis articulis aperte contra Deum et ejus justitiam veteremque consuetudinem semper observatam, contra denique ipsum D. Georgium Archiepiscopum, Decanumque sive Vicarium suum in spiritualibus isthic in medio vestri constitutum ac jurisdictionem dictae Ecclesiae Strigoniensis semper hucusque observatam, vos ipsos opponeretis et in eadem jurisdictionem intromitteretis.

Primo: quod dum aliqua causa mere prophana inter clericos et personas Ecclesiasticas suscitaretur, vos eam libere non curata requisitione Decani sui, apud vos propter ea facta vel fienda adjudicaretis, imo non modo adjudicaretis, sed litigatores etiam et causantes spirituales compelleretis ad standum coram vobis juri, neglecta ipsius Decani jurisdictione.

Deinde: dum Decanus ipse interdictum et censuras Ecclesiasticas in rebus justis alicui Plebanorum vestrorum imponeret, vos eundem Plebanum compelleretis ad divina coram vobis pro lubitu celebranda, alioquin minaremini ei, vos eum de Plebania ipsa depposituros aliumque ejus loco suffecturos.

Item: quod nunc etiam, de facto in quadam possessione vestra Bungarth vocata jurisdictionis Strigoniensis, Plebanum ejusdem loci propria authoritate vestra absque ulla Decani ipsius revisione vel inquisitione juridica deposuissetis et loco ejusdem alium Plebanum contra Deum et

ejus justitiam intrusissetis et a Decano ipso prout moris esset et consuetudinis non confirmatum, quem contra religionem Christianam nunc quoque isthic violenter teneretis et foveretis.

Item: quod dum Decanus ipse in visitatione sua vel aliis temporibus crimina notoria inter personas nobis subjectas deprehenderet, vos resisteretis propria vestra authoritate, ne ejusmodi criminosi homines et manifesti notorii de jure per Decanum emendarentur in animarum suarum salutem. Et si qui etiam pro poena aliqua mulcta mulctarentur, mulctam eam pro vobis accipere conaremini.

Praeterea: in aliquibus locis decimas quoque frugum, bladorum, apum, et aliarum rerum decimari solitarum Plebanis vestris sub Decano ipso Cibiniensi constitutis, contra praeceptum Salvatoris nostri et etiam institutum sanctorum Patrum atque etiam contra veterem et ab antiquo observatum morem ac salutarem consuetudinem exsolvere nolitis. Quae omnia cum mere contra Decreta summorum Pontificum et etiam singularia Privilegia Ecclesiae ipsius Strigoniensis ab immemorabili tempore semper firmiter et inviolabiliter tam in medio vestri, quam in aliis Dioecesibus observata per vos praesumptuose fiant et committantur, non possumus non a vobis id gravissimo molestissimoque accipere animo.

Nos enim vestigiis quondam Divorum Regum Hungariae inhaerere in omnibus cupientes, sicuti vos in vestris juribus parati sumus conservare et defendere, ita volumus omnino ut jurisdictio etiam Ecclesiarum Dei immunis et inviolata observetur et ut Privilegia libertatesque Ecclesiae praefatae Strigoniensis, [nec] etiam in minima re, nostro tempore vel per vos vel per alios quoscunque subditos nostros violentur aut perturbentur. Quapropter volumus et Fidelitati vestrae vestrumque cuilibet committimus et mandamus, aliud nullo modo volentes habere, quatenus a modo in posterum vos ad jurisdictionem et libertatem ejusdem Ecclesiae Strigoniensis aliquo modo sive directe sive indirecte vel alio quovis colore quaesito turbandam nullo intromittere praesumatis. Sed more Majorum vestrorum in omnibus rebus justis jurisdictionem ejusdem Ecclesiae Strigoniensis vos servare et accommodare teneremini, et si etiam aliquid contra illa hactenus per vos fuisset attentatum, hoc ipsum statim rectificetis, reformetis et emendetis ac contra Decanum ipsius D. Georgii Archiepiscopi in rebus spiritualibus juste illum procedentem vos non opponatis. Nam si secus facere attentaveritis et jurisdictionem libertatemque praefatae Ecclesiae Strigoniensis, ac legitimas veteresque consuetudines Decanatus ipsius Cibiniensis violare et perturbare praesumpseritis vel aliquis vestrum praesumpserit, annuimus et concessimus, annuemusque et concedemus per praesentes eidem D. Georgio Archiepiscopo et dicto Decano suo, ut contra quemlibet vestrum contra hoc minimum Mandatum facere attentantem jure Ecclesiastico agat ac omnibus

viis et modis praemissis omnibus faciendis etiam per gravamina Ecclesiastica contra vos procedat et vos ad observanda praemissa compellat authoritate etiam nostra et potestate eidem in hac parte plenarie attributa et jurisdictione sua mediante. Aliud igitur in his nulla re facere praesumatis. Praesent. Prael. Exhib. Rest. Datum Budae Feria IV post Dominicam Laetare anno 1522[1]).

§ V. Cibinienses, regiis Literis et severo Mandato acceptis, ne in gravissimam incurrant poenam, Comes statuit Regem adire, ablatis secum duobus illis de quibus controvertebatur Plebanis, quorum causam ita procurabat ut nihil mali illis eveniret, mortuo interea Archiepiscopo Georgio, et ejus successore ad electionem novi Pontificis absente[2]). Verum discessu eorum e Provincia cursus Evangelii retardatus non est. Praegustato enim aliquantulo verbi Divini sapore, tanto desiderabant ac inquirebant magis ceremoniisque palam obloqui audebant. Unde Monachi rursum irritati a Rege requisito iteratum extorquent Mandatum sequentis tenoris:

Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae Fidelibus nostris prudentibus et circumspectis Magistro civium ac Judicibus Regio et Sedis caeterisque Juratis senioribus civitatis nostrae Cibiniensis salutem et gratiam nostram.

Non sine animi nostri displicentia accepimus Dogmata sacrilega cujusdam Martini Lutheri, jam pridem a Sancta Sede Apostolica una cum sequacibus ejus excommunicati, adeo mentes hominum ubique obcoecasse, ut veritate Evangelica institutisque sanctorum Patrum relictis, Doctrina ejus et libelli per eum scripti vulgo ab omnibus in medio vestri manu teneantur, legantur, et observentur. Quae quidem assertiones et libelli ejusdem Martini Lutheri cum sint contra veritatem ipsam, et sint etiam per S. Sedem ut diximus Apostolicam jam pridem excommunicati, vehementer nobis displicet, vos quoque et concives ac Mercatores vestros, aliosque istius civitatis nostrae inhabitatores libellos eosdem vendere, emere et tractare jam coepisse. Cum autem vestigiis divorum quondam Regum Hungarorum nostrorum Praedecessorum inhaerendo, officii nostri intersit Fidem et Religionem nostram Christianam, ne ab Haereticis excommunicatis eadem invadatur et contaminetur, ubique in hoc Regno nostro et partibus eidem subjectis illibatam conservare volumus et Fidelitatibus vestris harum serie sub amissione omnium bonorum vestrorum committimus et mandamus; quatenus statim praesentibus tam in civitate nostra Cibiniensi, quam in aliis locis vobis subditis, assertiones, figmenta et libellos praefati Martini Lutheri tanquam excommunicatos vicatim et per singulas domos requiri inventosque

---

[1]) Extat Histor. Ref. pag. 54 et apud Hanerum Hist. Eccl. pag. 150.

[2]) Hist. Ref. pag. 57.

publice comburi et deinde publicare palam facere debeatis, ne quis cujuscunque tandem conditionis existat ejusmodi Dogmata, Assertiones et libellos eosdem vendere, emere, legere aut tractare praesumat sub poena confiscationis omnium bonorum. Datum Budae Sabatho proximo ante Dominicam Cantate Anno 1523[1]).

§ VI. Parum proficiebat iniquitas adversum bonam causam, si quidem mortuo Georgio Szathmári Archiepiscopo succedebat Ladislaus Szalkanus Regis antea Informator, qui Romam ire coactus Comes Cibiniensis facile apud Regem, quae optabat, impetrabat. Effecit igitur ut eodem die mandatum Rex daret ad Vicarium Generalem, ne quid poenae duobus illis Silesitis intentaret Plebanis, qui Cibinio citati ad sedem Strigoniensem erant. Literae Regis hae sunt:

Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae Fideli nostro Venerabili Ecclesiae Strigoniensis in Spiritualibus Generali Salutem et Gratiam nostram.

Quoniam nos in negotio et causa duorum Plebanorum Civitatis nostrae Cibiniensis, qui istuc ad sedem Strigoniensem in praesentiam Tui citati fuerant, ad Fidelem nostrum Reverendissimum in Christo Patrem Ladislaum, Sancti Martini in montibus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum, Cardinalem, Archiepiscopum Strigoniensem ac Patriarcham Constantinopolitanum, summum Secretarium, Cancellarium et Amicum nostrum charissimum certas literas nostras dedimus; quae donec ad ipsum Dominum Cardinalem pervenient et ab eodem responsum ad eas nobis reportabitur, interea a persecutione ipsius causae omnino cessare et supersedere debeas, nec ullis censuris aut gravaminibus in ipsos agere aut procedere audeas, et aliud facere nullo modo praesumas. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis, Datum Budae Sabatho proximo ante Dominicam Cantate Anno 1523.

Cassibus abruptis eliberati duo illi Plebani an repetiverint Silesiam aut in Hungaria permanserint? incertum: Transylvaniam non amplius intrarunt.

§ VII. *Edictum contra Lutheranos et Fautores.* — Augebatur numerus dietim eorum, qui veritatis radiis illustrati Budae, Cassoviae, Leuschoviae, Patakini, Debrecini et in Civitatibus populosis verbum Domini praedicabant; quos Proceres non tantum admittebant sed etiam patrocinium Veritati et Evangelio praestabant, humanis renunciantes inventis. Non poterant ferre Monachi et qui de decimis ac culina erant solliciti Episcopi, sed adversus Precones verbi Dei eorumque fautores severum hoc extorserunt edictum a Regnicolis, aut potius ediderunt Episcopi, in quorum arbitrio et Rex erat: „Omnes Lutheranos et illorum fautores, ac

---

[1]) Extat apud Hanerum pag. 160. Hist. Ref. pag. 59.

factioni ipsorum adhaerentes, tanquam publicos haereticos hostesque sacratissimae Virginis Mariae, poena capitis et ablatione omnium bonorum suorum Majestas Regia veluti Catholicus Princeps punire dignetur"[1]). Hic observandum venit: in Hungaria ea aetate Lutherani sunt dicti singuli, quicunque placitis Ecclesiae Romanae nuncium miserant, etsi nunquam Lutherum aut ejus scripta vidissent. Prout in Gallia Calvinistae iidem nuncupabantur, qui Romanae Ecclesiae erant adversarii, etsi Calvinum vel fando non audissent, imo contraria ejus dogmati sequerentur placita.

§ VIII. *Cibinii Libri comburuntur.* — Ladislaus Szálkán Cardinalis et Archiepiscopus Strigoniensis Roma in Hungariam rediens, quae in emolumentum Romanae Ecclesiae proficua censebat, nihil eorum intermisit. Persaudet igitur Regi Commissarios Cibinium esse mittendos, qui sollicite requisitis Lutheri libris flammis abolerent. Commissarii ex mandato Regis Cibinium ingressi, senatus obstare non poterat, quin voluntatem Cardinalis executioni darent. Libros ergo conquisitos et vi civibus ademptos in medium forum comportarunt ibique in cineres redegerunt. Insignis tunc memoratur accidisse casus. Cum enim in libris incinerandis commissarii sese occuparent, exorto de repente turbine, Psalterium Lutheri Germanicum, medias inter flammas ardens, a vento in sublime actum inque caput commissarii rasum fuisse delapsum, cujus cranium tanto ardore exussit, etsi adstantes id ipsum decutere tentassent, ut sive terrore perculsus sive vulnere fractus titubare et ad terram inclinare inciperet correptusque syncope tertia post die in vivis esse desiit[2]). In hoc casu vulgus miraculum suspicans evenit, ut qui hucusque clam Lutheri dogmata sua fecerant, jam palam se Lutheri asseclas profiterentur.

§ IX. *Excommunicatio mandatur.* — Cognito rerum statu Cardinalis, malo latius serpenti medelam quaesiturus, Plebanis et Decanis in Transylvania anno 1524 die 15 Augusti sub poena excommunicationis majoris demandavit, ut in omnibus Festis Lutheri asseclas ubique animose excommunicent librosque ejusdem inventos flammis aboleant. Verum eventus docuit imbecille admodum apud illos telum esse, quod pro nugis reputabatur. Dicebant fulmen esse quod plus fragoris quam damni ederet. Cum nihil proficeret, extremum adhibiturus remedium Cardinalis persuasit Regi, Comitia in Campis Rakos celebranti, ut sequens in Hungaria ac Transylvania adversus Lutheranos publicaretur articulus: Lutherani omnes e regno extirpentur, et ubicunque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per seculares

---

[1]) Art. LIV. an. 1523.

[2]) Haner. pag. 165. Smeizel ll. cc. pag. 28.

personas libere capiantur et comburantur[1]). Ubi severum hoc Regis edictum publicatum est, censebant mox omnes formidine poenae receptam semel sententiam mutaturos. At secus evenit; nihil enim veritas magis erubescit, quam abscondi. Igitur in domo Joannis Tsukás scholam Latinam ad Juventutis institutionem erigunt; Monachis vero quae hactenus hinc inde ad sustentationem praestabant prorsus denegant. Quae omnia ex Capitularium querimoniis discere possumus, qui ita apud Archiepiscopum suum deplorant statum:

„In Civitate Cibiniensi ubi fundamentum est Lutheranae haeresis in domo Magistri Johannis Csukás, facta est quaedam Schola per quendam scholasticum, ubi canitur symbolum Nicaenum Germanica lingua et aliae cantilenae, missam et alia officia divina concernentia, uxor et vermulae, pueri et tota familia canunt et nituntur missam facere Germanicam. In domo ejusdem fovetur unus apostata, qui fuit ex ordine Praedicatorum, nomine Georgius, qui dicit se absolutum ab habitu et religione, tamen hactenus non exhibuit absolutionem praedicatam, quam prae se ferebat. Iste irrequisito Pastore Plebano in Ecclesiis filialibus praedicat, seducens populum ab obedientia a jejuniis et praeceptis Ecclesiasticis, dicendo illa, quae placent populo, volens se ingerere ad officium praedicaturae et pecuniam non accipere, ita ut possit plebem seducere; is missus est per Ambrosium Silesitam quendam Praedicatorem Cibiniensem ex partibus illis ubi degit Lutherus, ut populum retrahat ab Ecclesiae Romanae obedientia et suorum Praelatorum Ecclesiasticorum. Idem apostata manifeste gloriatur se accepisse mandatum a Domino Magnifico Judice Regio, ut Cibinii maneat donec ipse de Buda redeat. Cum tamen Magistratus totius Civitatis Cibinii decreto suo ad petitionem Dominorum Capitularium jusserit, ut Civitate exeat; ipse vero nihil curavit, et dixit animo improperante: Etsi crepent Plebanus et Decanus ac etiam Domini senatores, ad despectum eorum ego Cibinii manebo: timenda est seditio brevi.

Adveniunt plerique istius pessimae sectae Lutheranae homines Professores et Clerici et Laici in Civitatem Cibiniensem, nam ibidem foventur et diliguntur. Extra Civitatem vero nullibi per totam Transylvaniam admittuntur, illi propter despectum Praelatorum Ecclesiasticorum ibidem honeste a Cibiniensibus tractantur. Senatus Cibiniensis sollicitat apud Plebanum, ut hujusmodi Praedicatores ad praedicandum admittantur et cum non possit eis resistere Dominus Plebanus, necesse habet eos admittere, ita ut isti prophetae aut mali praedicatores populum in errorem ducant. Idem apostata in conviviis mercatorum et civium informat et manifeste Evangelium fuisse absconditum plus quam CCCC annos. Sacer-

---

[1]) Art. IV an. 1525.

dotes dicit nullam veritatem praedicasse; Christianos esse liberos libertate Evangelica; non esse obnoxios inventionibus humanis et statutis Patrum. Etiam per hujusmodi sacrilegas doctrinas ipsi Lutherani in praedicto Cibinio venerantur a mercatoribus fere omnibus velut idolum et tamen trahuntur cum optimo affectu ad convivia etiam ad altercationem usque, cum quo isto vel isto cive debeant cibum capere, ex qua officiositate ipsi coeperunt cornua erigere.

Item destructa est fere jurisdictio Ecclesiastica. Nam paucissimi illam experiuntur, quandoquidem omnes propemodum vigore jussionum et minis ultimi supplicii inferendi forum declinant, dicentes se habere judices seculares, se nolle coram sacerdotibus litigare, et in causis mere spiritualibus, ut matrimoniales et inter clericum et laicum fundamentum istius dissidii, quis sit orator dicet, item oratorem praesentem iste Magistratus constituit privare beneficio suae Plebaniae, sua duntaxat authoritate fruiturus. Apostatas tollerant, artificia mechanica eos addiscere permittunt, etiam apostatis in sacris ordinibus vel sub diaconatu existentibus et eis magnam habent complacentiam.

Resonant cantilenam solitam in die Nativitatis Domini et totius ejus solemnitatis laudem in maximam jucunditatem decantari, Lutherani mali homines Cibinienses transmutarunt in linguam Germanicam, in non modicum scandalum, immiscentes scurilia verba, cum tamen illud canticum sit a principio juste et devote in praeconium recentis pueri nati filii omnipotentis Dei contextum.

In Ecclesia beatae Elisabeth in Civitate Cibiniensi est quidam monachus Griseus indoctus et fere idiota, similiter Silesita, qui in omnibus sermonibus debachatur in statum Ecclesiastici ordinis. Lutheranus hic fovetur ab ipsis negotiatoribus velut lucem propinans, cum tamen fere omnes suae praedicationes tenebrae sint et errores, nil nisi venenum Luthericum prae se ferens. Vocamur ad praelium in Turcas et mandatur nobis sub poenis in congregationibus regni Transylvaniensis descriptis, hoc est, sub poena capitis et omnium bonorum, videlicet belligerare debeamus contra libertatem Ecclesiasticam non curantes facere hujusmodi constitutiones contra clericos, cum tamen ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt sicque multae animae ibunt in perditionem ex Pastorum negligentia, petunt humiles Capitulares Reverendissimae Dominationis vestrae salutare et acceleratum remedium. Thesaurarius et alii Regni Aulici in Curias Plebanorum descendunt, victum ibidem pro se et pro jumentis distrahunt, consumunt, vi etiam rapiunt. Clericis dicas imponunt eosque miserabiliter vexant, minantur etiam bonorum spoliationem, excommunicatio vero apud nos extincta est et pro nihilo reputatur. Plebanus Cibiniensis Reverendus Matthias Ramaschi non auderet sub vitae suae privatione aliquem renunciare excommuni-

catum. Decanum Capituli Cibiniensis Petrum Thonheuser Pastorem Horrei Majoris (Nagy Thür) Vicarium Reverendissimae Dominationis vestrae quidam negotiator Cibiniensis uno aut altero equite in campo fecit circumveniri, angustari et terreri, et molestis verbis tantum non verberatum equites ipsum reliquerunt. Ecclesiam quandam Parochialem in Parvo Horreo (Kis Thür) Dominus Magnificus Regius Judex Marcus Pemphlingerus fecit violari, fores ejusdem violenter demoliendo, nulla Reverendissimae Dominationis vestrae Vicarii habita authoritate. Nam adeo invaluit ista pestis Lutherana, ut etiam in Civitate ubi Lutherus degit (testibus de his partibus venientibus et nobis referentibus) magis saevire non possint. Cibinienses seducunt populum in villis circumcirca et in sedibus Saxonicalibus, inficiendo eosdem dicta haeresi perfida, ita ut rustici insultent Pastoribus eorum. Ceremonias illas sacro sanctas in Festo Palmarum et magnae sextae feriae omnino despiciunt, et benedictiones comessibilium die Paschatis nihili facientes villam unam Christianam nomine Bongarth cives Cibinienses devastarunt, et Saxonibus mandarunt, ut dictam villam exirent, et ita indirecte Plebanum Plebania sua spoliarunt, qui propediem cogitur stipem mendicare. Matthias Ambruster consul Cibiniensis cum suis subditis Petrum Pileatorem (Huiter) Pastorem Bongarthensem vi ejecerat et clientem suum Georgium de Olzona in locum ejus suffecerat.

Oblegia consueta in quatuor Festivitatibus anni sacerdotibus non dant, sed nec pullos gallinaceos decimales, imo quando Domini Capellani Cibinienses, de more antiquo alias laudabiliter observato, vadunt pro dictis pullis colligendis, probris eos afficiunt et verba stulta evomunt. Die sanctissima Corporis Christi, et per totam octavam, prout ordinavit sancta Mater Ecclesia, Plebanus Cibiniensis solemnes facit Processiones cum corpore Christi, mane in summa Missa et sero in vesperis. Tunc pridem Cibinienses nonnulli blasphemiam magnam perpetraverunt et aliqui dixerunt: Sacerdotes nostri credunt, Deum factum esse coecum, ex quo tot luminaria incendunt. Alii dixerunt: Sacerdotes nostri arbitrantur, Deum esse puerum, qui velit instar puerorum duci et portari in brachiis vetularum circumcirca per civitatem, concludentes esse stultitiam et sacerdotum fraudulentorum deceptionem. Detrahunt sanctissimae beatae Mariae Virgini exequias mortuorum explodentes, horas canonicas esse stultam temporis contritionem, volentes sanctimoniales et alias personas religiosas a servitio Divino retrahere, dicentes, Christum docuisse nos tantum orare: Pater noster, qui es in Coelis &c. Et nunc in domo Magnifici nimirum Regii Judicis Cibiniensis manet apostata, quia de domo Domini Magistri Johannis Csukás ejectus est. Reverendissime Archipresul, his molestiis fatigati oramus per viscera misericordiae Dei nostri, succurrat nobis patrocinio Dominatio vestra, qui etiam nimis

attriti injuriis hiscere vix valemus seu hiare. Quandoquidem, si modo Reverenda Dominatio vestra authoritatem suam silentio praetergressa fuerit, postea super Reverendissimam Dominationem vestram et super nos indignos Capellanos fulminabitur illud verbum: Facti sumus opprobrium hominum et abjectio plebis [1]). Edidit hoc scriptum Stephanus Tolnai anno 1679 sub titulo: Querelae seu scriptum Dominorum Capitularium super Lutheranis Cibiniensibus et Religionis negotio, Archiepiscopo et Cardinali Strigoniensi transmissum ex authentico transumptum: Anno Domini 1526.

§ X. Moverunt Cardinalem Capitularium querelae in tantum ut accusaret Cibinienses aliosque lumen Evangelii recipientes, Pemphlingerum vero in mortem deposceret cum aliis Lutheri asseclis. Omnia Rex Cardinali assiduo ipsum pulsanti compromittebat, effectui autem pauca dare audebat. Imminebat enim bellum Turcicum, igitur conabatur evitare, ne sibi negotium aliis inexplicabiles daret turbas. Literas igitur die 17 Julii anno 1526 Cibinium Comiti Saxonum expediit, quibus admonuit officii, gratiam vero regiam obtulit, si diligentem extirpandis Haereticis adhibeat operam [2]). Regis animum mandatumque perspiciens Pemphlingerus, effectui dare, donec ipse Regem adiret, distulit. Constituerat adire Regem ob aliam quoque causam; Rex enim demandaverat per Joannem Scepusiensem Wajvodam Transylvanorum Monachis, Presbyteris et Scholasticis quoque sub amissione capitis et omnium bonorum castra esse sequenda, relicto tantum uno in duabus Ecclesiis sacerdote. Supplicare apud Regem pro iis conabatur: relinqueret modo eos otio asuetos, qui aptiores ad miserere resonandum, quam tela vibranda viderentur. In itinere adhuc Comes erat, cum fama percrebuit initi ad Mohatsum die 29 Aug. prelii [3]), ubi Rex, Cardinalis, Episcopi plurimi clade involuti. Rediit igitur confestim Cibinium, ubi jam Monachi vi mandati Regii ingentes cierant turbas, quas summa cum prudentia pro ratione temporis sedavit, ac commotos omnes compescuit fluctus.

---

[1]) In libro cui Titulus Kalanz pag. 569.

[2]) Smeizel de statu Luth. p. 34 Timon in Epitome Chronol. R. Hung. ad an. 1526.

[3]) Istvansi Hist. Lib. VIII. pag. 125. Haner H. E. p. 181.

CAPUT TERTIUM.

De Progressu Reformationis in Transylvania et Hungaria a clade Mohatsensi.

§ I. *Episcopatus occupantur.* — Ingens fuit clades illa Mohatsensis anni 1526 (ubi flos Militiae ac Nobilitatis Hungaricae absumptus) quam propter enormes Gentis excessus ac idololatriam justus Judex Deus inflixerat. Agnoscit Ecclesia Reformata a Turcarum furoribus residua, ac confitetur in Cantico eadem aetate concinnato, quod ita incipit: Tekints reank immár nagy Ur Isten a Mennyegböl. A te ditsöseges Templomodbol[1]). Clades illa, prout olim in Bavaria anno 955 quae acciderat inserviit ad Hungaros e tenebris gentilitatis educendos, occasio facta est Evangelii apud Hungaros disseminandi. Cum enim verbum Domini intonaret in variis Hungariae angulis et lux coelestis veritatis quaquaversum se diffunderet, homines radiis ejus collustrati ultro humanis institutis et inutilibus hinc inde cum longo tempore arreptis ceremoniis relictis manus dabant veritati. Regni etiam Proceres post miserabilem ad Mohats cladem cum animadverterent non bene in hoc consuli Reipublicae, quod omnis Fisci reditus ita esset a Clero interceptus, ut eum, vineas, agros, molendina, decimas et quicquid optimum in Regno haberetur, Ecclesiastici ac Praelati sibi rapuissent. Publico autem ab eis magna fraus fieret, quoties aut miles conscribendus, aut aliae impensae pro salute Patriae desiderarentur. Qua Praelatorum avaritia tam damnosa offensi Regnicolae in publicis Comitiis unanimi sufragio concluserunt, reditus Ecclesiasticos plane superfluos nec Patriae utiles omnino circumcidendos esse conferendosque potius iis, qui omnem operam consilio, manu, pecunia in asserenda Patriae pace locarent. Districtus ergo Agriensis cum omni reditu collatus est Petro Perenio, Coronae tunc conservatori: Nitriensis Valentino Török de Ening clarissimo eo tempore belli duci: Varadiensis Emerico Cibac: Transylvaniensis Francisco Bodo: Chanadiensis Casparo Petusith: Quinque ecclesiensis Joanni Szeretsen: Jaurinensis Paulo Bakithio[2]); Qui fere omnes doctrina mutata progredienti Reformationi et crescenti Ecclesiae magnum robur fuerunt.

§ II. *Joannis Regis Literae ad Cib.* — In locum Ludovici ad Mohats caesi Regem Hungari crearunt Joannem Scepusiensem Wajvodam Transylvanum, virum inter Hungaros opibus, clientelis ac etiam militari pru-

[1]) Pápai in Rudere Redivivo Hungarico ad an. 1526.

[2]) Istvansi Lib. XII. pag. 198. Pápai in Rud. Red. ad an. 1526. Pazman Kalanz Lib. III. pag. 194.

dentia clarissimum. Contraria vero Joannis aemulorum factio adhaesit Ferdinando sororis Ludovici Annae marito, atque ita divisum est in duas adversas scissiones Hungariae Regnum. Ad demulcendos Praelatorum animos et retinendum in sua fidelitate Paulum Vardanum Archiepiscopum Strigoniensem, permittebat Lutheranos Joannes Rex persequi. Imo datis ad Cibinienses literis omnium bonorum ablationem iis minabatur, qui haeresim Lutheri amplecterentur:

Johannes Dei Gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c Prudentibus et circumspectis Magistro Civium ac Judici et Juratis civibus civitatis Nostrae Cibiniensis salutem et gratiam.

Ad auditum Majestatis nostrae non sine gravi animi nostri displicentia venit, inveniri sceleratos quosdam, honoris et salutis propriae immemores in Civitate ista nostra Cibiniensi, qui haeresin illam Lutheranam, a sede Apostolica in toto orbe Christiano damnatam, interdictam et explosam, non solum legere, asserere et probare, verum etiam publice laudare, profiteri publicareque in contemptum et vilipendentiam sacro sanctae fidei nostrae Catholicae sanctaeque sedis Apostolicae manifestam non erubescerent. Cum autem ex injuncto Regiminis nostri officio nobis incumbat, populum fidelem, nutu divino moderamini nostro subjectum, a labe et peste ejusmodi haeretica aliisque erroribus, quantum cum Dei adjutorio possumus, tueri et praeservare, mandamus fidelitati vestrae harum serie firmissime aliud habere nolentes. Quatenus statim acceptis praesentibus omnes et singulas Personas seculares Civitatis et Districtus Cibiniensis, cujuscunque status, gradus, conditionis et praeeminentiae existant, quae praescriptam haeresin Lutheranam legere, asserere, probare, laudare, profiteri vel publicare praesumerent, authoritate nostra Regia vobis in hac parte concessa captivare, vincire et incarcerare resque et bona ipsorum universa quocunque nomine censeantur dispositioni Majestatis nostrae reservare, aliisque viis et modis, quibus vobis expedire videbitur, eosdem a praedicta haeresi perfida retrahere et coercere debeatis et teneamini. Scripsit praeterea Reverendissimus Dominus Paulus Archiepiscopus Strigoniensis ad Decanum et communitatem Plebanorum aliarumque personarum Ecclesiasticarum etiam Regularium cujusvis ordinis, Civitatis et Districtus istius nostrae Cibiniensis, ut si quipiam ex ea labe haeretica praescripta infecti essent, authoritate sua ordinaria per Commissarium suum specialiter ad id transmissum et Decanum Cibiniensem emendarentur. Volumus itaque et fidelitati vestrae harum serie firmissime committimus et mandamus, quatenus, dum et quando per Commissarium eundem et Decanum requisiti fueritis, omni ope, favore et auxilio eisdem adesse debeatis et teneamini, secus nulla ratione facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis, Datum Strigonii in Festo Conversionis Paulli Anno 1527.

Haec eadem quoque Paulus de Varda miseratione divina archiepiscopus et cardinalis Strigoniensis mandabat in literis anno 1527 in festo beatae Agnetis datis.

§ III. *Pontificii Cibinio ejiciuntur.* — In fumum conatus novi Regis et in nihilum minae reciderunt. Ferdinandus enim victo ad Toscajum Joanne ac ex Hungaria pulso occupavit etiam Transylvaniam, quam Alexio Bethlen commisit regendam. Qui prudenter cruenta consilia ac sanguinis effusionem evitabat dissidentesque animos conciliabat. Placidum ejus ingenium, regimen moderatum displicebat Monachis, Edicta Regis Ludovici ac Joannis urgentibus, unde perpetuae inter dissidentes turbae, donec Senatus Cibiniensis die octava Febr. an. 1529 severe edixit, ut Monachi et qui ipsis adhaererent omnes sub poena capitis intra octo dies aut urbe excedant reculis suis humero secum ablatis, aut ceremoniis humanisque inventis omnibus relictis Evangelio sese conforment[1]). Tres intra dies tanta in urbe facta est conversio, ut nullus in tota inveniretur urbe, qui aperte Pontificiam profiteri aut tueri vellet Religionem, Monachi Monialesque partim discesserunt, partim cucullo ac velo exuto catervis sese conformarunt; atque ita brevi tota Civitas Cibiniensis sequebatur Evangelii lumen.

§ IV. *Reformantur Saxonicae civitates.* — Praeeuntes Cibinienses subsequebantur aliae Civitates Saxonicae, Medies, Sespurgum &c, Corona et totus Barciae Tractus in quo convertendo praecipua enituit Honteri industria, qui diu in Academia Krakkoviensi ac tandem Basileensi commoratus, cum insigni rerum sacrarum apparatu, dives variarum scientiarum spoliis in Patriam rediit, cui primus Typographiam etiam intulit anno 1535, qua insigniter rem promovit scholasticam libros edendo, quos ex usu censebat futuros. Anno demum 1547 totius Barciae perfecta est Reformatio, ediditque eodem Libellum Reformationis credendi et agendi Regulas continentem sub titulo: Reformatio Ecclesiarum Saxonicarum in Transylvania Coronae Anno MDXLVII[2]). Capita continet sequentia:

I. De Vocatione Ministrorum.
II. De Doctrina Christiana.
III. De officiis Ministrorum.
IV. De Sacramento Baptismatis.
V. De coena Domini.
VI. De abusu Missae Privatae.
VII. De Communicatione infirmorum.
VIII. De Virtute Absolutionis.
IX. De Excommunicatione.
X. De Scholis restituendis.
XI. De Cura Pauperum.
XII. De Tutela Pupillorum.
XIII. De Causis Matrimonialibus.
XIV. De quibusdam Politicis abusibus reformandis.

---

[1]) Haner, Hist. Eccl. p. 199. Timon Epit. Chronol. pag. 118.
[2]) Exstat Liber.

XV. De Annuis visitationibus.
XVI. De officio Matutino.
XVII. De summo officio.
XVIII. De officio Vespertino.
XIX. De Ritu Cerimoniarum in Pagis.

§ V. *Hungari reformantur.* — Contigit eadem aetate ad instigationem praelatorum jussu regis Colloquium Segesvariense inter Stephanum Szántai Cassovia accitum atque monachos institutum; quod exstat in libro, cui titulus Hispániai Vadäfzság, inquisitio Hispanica, seculo XVI Hungarice edito. Colloquium istud cum plane sit singulare, nec alibi occurrere meminerim, sed in libro isthoc rarissimo huc transferendum censeo, ut ibidem stat.

„Regnante in Hungaria anno 1538 Joanne Zapolya patre, facta cum Ferdinando pace, tranquilla omnia in Hungaria ac Transylvania erant; ipse etiam rex gloriabatur se neminem jam metuere. Crescebat Evangelica veritas, quam summo studio promovebat Stephanus Szántai; unde in odium supra alios incidit Monachorum. Igitur Georgius Frater episcopus Varadiensis et thesaurarius regis, Statilius episcopus Albajuliensis et Frangepan episcopus Agriensis cum suis parasitis, urgent regem, ut Szántai de medio tolleretur, neque cessant urgere, usque quo tandem jubet rex Szántaium ingredi Transylvaniam. Schesburgi rex agens sollicitatur ab episcopis, monachis, nobilibus, ut statim Szántai igni daretur quia Lutheranus esset. At rex innata pollens generositate, votis eorum non subscribit, sed causam disputationi submittit. Non placet tonsis capitibus et conditionem conantur praevertere, sed cum rex constanter inhaereret, de antagonista cogitandum erat. Celebris tum disputator habebatur Gregorius Frater, qui cum aliis monachis Varadino Schesburgum vocatur, ut Szántaio veritatem extorquerent.

Rex duos delegit arbitros Adrianum doctorem vicarium Albensem et Martinum Kalmántschi scholae Albensis rectorem, quos rex noverat esse ex doctioribus. Etenim jam antea Rex probe edoctus erat papismum esse non nisi superstitionem et iconolatriam. Arcessitis itaque arbitris pulcre illos Rex monuit, quomodo disputatio moderanda esset, ne veritas detrimentum sentiret. Habita est disputatio ibidem Schesburgi convolantibus undique multis monachis victoriam sperantibus. Quum vero ferveret disputatio nullo servato ordine, verbis et clamoribus inconditis ita obtundebant Szántaium, ut pene confunderetur, nesciens cui respondendum esset. Hoc observans Joannes Rezzenei, Med. Doctor vir pius et doctus, suscipit causam Szántai tuendam. Hic non tantum argumenta monachorum acute retorquebat, sed dolos etiam pulcre detegebat. Szántai animosior redditus tam solide capita religionis Christianae contra monachos demonstratum ibat, ut ab inimicis quoque victor censeretur.

Protracta in aliquot dies disputatione omnibusque in tabulam relatis,

mox arbitri mandante ita rege acta disputationis ad regem deferunt et simul orant eum, ut a molesto arbitrorum officio illos liberaret; nam pereundum ipsis esset certissime, si vera de Szántai ejusque doctrina dicenda foret sententia. Certum enim et exploratum inquiunt est, quicquid loquitur, disputat, docet, purissime verum est; quin ubique sacram scripturam allegat; omnia inde probat et ad illam provocat. Quicquid vero monachi proferunt, allegant, nihil nisi fabula, humanum commentum et futilis verborum pugna. Si palam haec profiteamur pereundum erit, quia praelati nostri rebus suis multum consulentes nos insimulabunt, ac si religioni adversae faveremus. Si vero contra Szántaium sententiam dixerimus, eum damnaverimus, dicturi contra veritatem et conscientiam, certissime iram Dei vindicis provocabimus et nosmet ad aeternum exitium praecipitabimus. Proinde rogamus Majestatem tuam ne nobis desit, imo inveniat medium, ut nos salvi esse possimus neque periculo involvamur.

His rex auditis animum illis addere incipit, dicens: Abjicite timorem, ipse omnino hoc sum expertus, Szántai doctrinam esse veram, salutarem, papismum vero vanum commentum; sed animos meorum Magnatum regere possum minime. Interim de mediis omnem abhibebo curam; vosque sitis in silentio ac credite, me vos non deserturum.

Mox hora tertia pomeridiana episcopi, praelati, monachi regem adeunt, tum Georgius Frater omnium nomine brevi oratione proponit: Regia Majestas! Nos sumus animarum pastores, nos de ecclesia prospicere debemus, ideo laboravimus, ut homo ille haereticus huc adduceretur et igni traderetur, ut alii exemplo ejus territi desisterent contra ecclesiam loqui et docere. Verum Majestas tua contra mentem, voluntatem intentionemque nostram facit. Tua enim Majestas in arenam disputationis mittit illum nebulonem haereticum, quo propinante alii quoque venenum istud imbibunt. De hoc non est, quod tuae Majestati gratias agamus. Imo sanctissimus papa ingrato hoc accipiet animo. Non esset hic disputandum, quia Ecclesia haereticos hos latrones jam diu ante hoc tempus damnavit. Frontibus illorum inscripta est sententia: cum his ne commorandum quidem esset.

Hanc cum Georgius Frater absolvisset orationem, Rex respondit: neminem nisi criminis capitalis accusatum et convictum occidere volo. Proferte causam et secundum leges ut meritus fuerit poenam luat. Tum Statilius Albensis episcopus ait: Nonne satis est ad eum damnandum, illum dixisse: Missam benedictam esse nihil nisi inventum diaboli: sacramentum in utraque specie ab omnibus accipiendum, quum tamen Christus hoc sacramentum solis sacerdotibus ut sacrificium concessit. Annon haec dixisse mortale sit? judicent omnes.

His auditis rex respondit, domine episcope, rogo mihi respondere velis: An Graeca ecclesia fuit vera ecclesia? Respondit Statilius, imo

fuit vera ecclesia. Reponit rex. Apud Graecos nulla fuit Missa, nulla vel hodie. An nos sine Missa esse non possumus? Graeci sub utraque specie sacramentum coenae sumunt; ita illos docuerunt sancti episcopi Chrysostomus, Cyrillus et alii. Si Graeci gravi sine lapsu hoc faciunt, quare non possumus nos quoque sub utraque specie accipere. His auditis episcopi obmutuere. Adjicit interea rex: me causam Szantaii non tueri neque ipsum defensurum; sed inquirere in rei veritatem volo, ne innocens pereat, et sic Deus ultor in me vindicet. Regis enim est innocentem non punire. Respondit Georgius Frater episcopus Varadiensis: si tua Majestas satis non est factura, nos aliud medendo vulneri quaesituri sumus medicamen. Sic furore concitati a conspectu abiverunt regis.

Eadem nocte hora nona rex jussit arcessi Stephanum Szántai et adstantibus Francisco Bádfi et Johanne Kassai interrogat eum: Quae nova illa tua doctrina quam reperisti? Respondit Szántai: Clementissime Princeps! Non novam inveni doctrinam, sed gratia Dei allaborante paratam reperi, quia est doctrina prophetarum, Christi Domini et apostolorum; cui salus animae curae cordique est, revera haec sequenda esset doctrina. Rex ad haec respondit: oh bone frater Stephane! si illam sequi velimus doctrinam, vereor ne tibi et mihi malum eveniat. Committamus interim Deo; ille novit, quid facto opus sit. Amice noli in regno manere meo, quia Magnates te intercipient et morti omnino tradent. Ego te defendere non valeo, forsan mihi quoque periculum causarem. Abi igitur, vende quae habes bona et recipe te sub protectionem Principis, ubi libere veritatem agnitam profiteri poteris.

His dictis largis eum muneribus donatum dimisit, Christophoro vero Ötves et ceteris Kassoviensium consulibus serio jussit ac praecepit, qui intro quoque eum duxerant, ut nocte silente eum abducerent et salvum ab omni periculo servatum propriis laribus redderent. Ita prudenti regis rerum moderatione Szántai servatus est". Hactenus historia colloquii. Dolendum acta illius colloquii prout erant in tabulas relata non exstare; multa enim inde monachalis ignorantiae specimina in lucem sine dubio prodirent. Szántai unde domo familiaque, an aliquo ex monachorum ordine vel fuerit politicus? non liquet. Id certissimum est fuisse virum praeclarae existimationis, cum necesse fuerit consulibus urbis Cassoviensis in Hungaria, optima sub provisione eum in Transylvania ad colloquium Segesvariense jussu regis deducere vicissimque in Hungariam comitari.

Eodem tempore apud Hungaros pariter procedebat doctrinae coelestis Reformatio. Proceres enim Hungari ante cladem adhuc Mohatsensem amplecti sermonem Dei coeperant; unde adversus eos paulo ante prelium instinctu Archiepiscopi severo Edicto Rex fulminare necesse habebat. Magnates a clade superstites rectius edocti simul cum civitatibus, oppidis

et villis sermonem Evangelii a Deo ad eos missi amplectebantur, maturius alii, alii vero serius. Claudiopolitanos in Transylvania tempestive Reformationi locum dedisse palam est ex schola, quam insignem ad Juventutis scholasticae institutionem erexerant. In qua docuit Gregorius Molnár eximius Literarum restaurator, postquam ex Academiis exoticis redux Gymnasio Rector est datus, vir Latine Graeceque egregie doctus et omni politiori literatura varie excultus. Hunc vivis anno 1558 exemptum in eodem officio excepit Petrus Károli ex Academiis pariter non ita pridem redux, qui tandem factus est Pastor Ecclesiae Varadiensis in Hungaria. Siculi tardius, comitatus ocyus, Sylvanenses fere primi Reformationem admiserunt, patrocinio potissimum tecti Magnifici Viri Casparis Drágfi. Loca inter Chrysium et Marusium protegebat Petri Jaxit Vidua, quibus viros doctos praeficiebat. Tractus Debrecinensis cis-Tibiscanus, valles Agriae et Cassoviae, Hungaria inferior tota ab Austria ad Dravum fluvium expetebat audire verbum Domini, ita ut vix aliquis locus intra Hungariae fines esset, quem viginti a Reformatione annorum spatio sermo Christi non collustrasset.

§ VI. *Confessio 4 civitatum. — Isabella nemini molesta.* — Civitates Montanae in Hungaria superiori, Cassovia, Leuschovia, Barthpha, Eperjes, Cibinium, ediderunt confessionem obtuleruntque Regi Ferdinando anno 1549, quam Lingua Latina, Hungarica et Germanica Cassoviae 1634 rursum emiserunt[1]). Maxima Transylvanorum pars adhuc vivente Joanne primo Reformationem erat amplexa; qui vita excessit anno 1540. Reformationi hic primum non multum favere videbatur, verum cum obicem ponere non posset rectiusque informaretur, insuper non tantum Religio sed et Regio curae esse deberet, sivit res ire quo vaderent. Isabella post mortem mariti Transylvaniam ingressa, cum cerneret ritus Pontificios fere omnes sublatos esse, nemini ratione religionis molesta fuit, sed prudentiorum consilio usa in id incubuit, ut cives suos in concordia retineret. Erat tunc in Transylvania celebris Georgius Martinusius, alias simpliciter Monachus dictus, qui tunc Episcopatui Varadiensi praeerat. Hunc ex ima sorte (domui enim calefaciendae in pueritia apud Matrem Joannis ministeria praestabat) ob fidelia in calamitatibus servitia ad Regni Thesaurariatum promoverat. Et cum moriretur Tutorem filio reliquit simul cum Valentino Török de Enying et Petro Petrovitzio Regis cognato. Multum Monachus laborabat in reducenda Pontificia Religione; at parum promovebat obstantibus sociis Tutoribus, Regni Proceribus et Regina.

§ VII. *Georgius Monachus turbat.* — Monachus iste Georgius clam tractabat cum Ferdinando exercitumque ejus in Transylvaniam recepit anno 1551. Joannem Sigismundum pupillum ac matrem ejus Isabellam

---

[1]) Exstat confessio.

fidei suae commendatos Regno exegit ac in Poloniam facessere jussit. Evangelii cursui sufflamen injicere ita quoque minime potuit. Eodem enim anno a militibus Ferdinandi in castro Alvincensi, quod ex claustro ipse in castrum mutaverat, multis vulneribus confossus ac in frusta concisus est. Interea qui Provinciam gubernabant Stephanus Dobó, Franciscus Kendi, Ladislaus Bánfi[1]) erant Reformatae Religioni addicti. Ferdinandus quoque magis ad pacate regnandum, quam Religionem turbandam inclinabat.

§ VIII. *Ministri Pontificii Regno excluduntur.* — Transylvani Italorum, Hispanorum, Germanorum et aliorum varias pertaesi exactiones ex communi Provinciae consensu anno 1556 revocarunt Petrum Petrovitsium in Banatu exulantem, ut pro Isabella ejusque filio Joanne Regnum occuparet et administraret. Quod etiam jam demandaverat Solymannus Transylvanis, in ferro flammaque exscindi vellent. Wajvodis quoque Moldaviae ac Valachiae de auxilio in tempore ferendo mandata dederat. Petrovitsius, Locumtenentis titulo ornatus, Regionis et Religionis curam suscepit, Templa imaginibus, Parochias curionibus Pontificiis purgavit, claustra in scholas commutavit, vasa aurea et argentea antiquis ceremoniis adaptata abstulit et in monetas conflavit, ne Reginae reduci, quae in fratris Poloniae Regis gratiam nondum aperte pontificios exuerat ritus, ansa daretur turbandi in Religione[2]). Anno igitur 1556 ex consensu Regnicolarum Religio Pontificia cum omnibus suis ordinibus et professoribus voto omnium communi expurgata est[3]). Eodem anno Census Cathedralis et Possessiones Canonicorum in Diaeta Claudiopoli celebratae Fisco Publico sunt applicatae[4]). Quod ubi advertit Episcopus titulo tenus Albensis Paulus Bornemiszsza ex Transylvania discessit. Collegia rursum omnia et claustra in Comitiis Regni praeter Tsikiense et Mikháziense interdicta sunt[5]).

§ IX. *Tollerantia Religionum in Diaeta decernitur.* — In Comitiis Tordensibus die 28 Maji anno 1563 celebratis, Decretum anni 1557 in Religionis negotio a regni ordinibus repetitur et firmatur:

Ut quisque eam quam mavult Religionem amplectatur sine omni coactione et in alendis suae fidei concionatoribus et usu sacramentorum quisque liber sit et neutra partium cum altera injuriis aut vi certare debeat[6]). Pauci

---

[1]) Siglerus in chronolog. pag. 75. Rewa in Cent. p. 87.

[2]) Histor. Refor. pag. 684.

[3]) Ex instantia Regni Transyl. in Hist. Ref. p. 322. Historia Diplomatica pag. 10.

[4]) W. Bethlen Hist. Lib. IV. pag. 203.

[5]) Approb. Constit. Part. I. Tit. art. V.

[6]) Siglerus in Chron. pag. 87. Pápai in Rud. R. ad annos 1557. 1563. Acta Diaetae Msst. Tordensis extant.

equidem ex Primatibus Regni remanserant, qui non in totum Romanae Ecclesiae communioni valedixerunt: ii etiam Ministros Romanae addictos Ecclesiae non habebant, sed audiebant Reformatorum Praedicatores. Ita de Stephano Báthori Regni status produnt, dum anno 1588 humilime apud Sigismundum Báthori Transylvaniae Principem de Jesuitis e Regno excludendis intercederent, quorum instantia sic habet: „Supplicamus itaque Illustrissime Princeps! Celsitudo Tua serenissimi Poloniae Regis exemplum ob oculos sibi ponat, qui dum in Transylvaniae Principem inauguraretur, licet antea Catholicam Religionem sectaretur, in gratiam tamen Regnicolarum, dum Transylvanica sceptra tenuit, Missatores non admisit, sed orthodoxorum Concionatorum publicas conciones audivit. Hujus Celsitudinis vestrae Patrui vestigiis immote insistat, suamque nobis sinceram pietatem et gratiam in supplicantium petita consentiendo et illa effectuando dignetur demonstrare, ut conscientiae quoque nostrae acquiescere possint. Cum unice istud nostrum propositum sit, ut nempe penes illaesam cujusvis conscientiam ad Patriae Libertates attendamus, omniaque ingruentia et irruentia mala propulsemus et arceamus"[1]).

§ X. *De Decimis auferendis consultant.* — Claudiopoli anno 1558 in Comitiis Regni ad diem tertium Februarii celebratis consultabant status de augendo proventu ad dulam Reginae intertenendam et sustentandos milites. Regina ex instinctu Francisci Kendi expetebat Decimas ab Ecclesiarum ministris; quarum pars Quarta illis relinqueretur, Tres in rationem Fisci publici cederent. Nobilitas Comitatensium assensit facile, verum renuebant Saxones, humilime deprecantes Reginam, ne id fieri concedat, quo eorum jura, privilegia ac libertates laederentur. Ne eos Regina abalienaret, tunc praecipue tempore, cum Georgius Bebek clam turbas ciebat, Tres Decimarum partes Ministris reliquit, Quartam vero Fisco Regio applicuit[2]). Pro Ministris Hungaris cum nemo unus verbum faceret, et sine Decimis et absque earum Quarta esse jussi sunt.

§ XI. *Concilium expetunt Hungari.* — Ferdinandus Rex generalem celebravit in Hungaria Regni statuum Conventum Posonii anno 1548, ubi instantissime a Rege contendebant, ut religionem ac cultum Dei restituere contendat. In hunc autem finem consequendum optimum fore suadent, scholas doctis, Ecclesias inculpatae vitae Ministris esse committendas. Generale insuper a Pontifice celebretur concilium, ubi omnia discutiantur ac in ordinem redigantur. Articulus, qui in absentia Ferdinandi, Comitia vero moderante Paulo de Varda Archiepiscopo Stri-

---

[1]) Historia Diplom. pag. 12. Histor. Reform. pag. 326.
[2]) W. Bethlen Hist. Lib. IV. pag. 207. Pápai in RR. ad an. 1558.

goniensi tunc Locumtenente Regio, conclusus erat talis est[1]): „Supplicant status et ordines Regiae Majestati, Domino eorum clementissimo, ut tam sua quam sacrae Majestatis Caesareae authoritate agat apud sanctissimum dominum nostrum, quo sanctitas sua Generale Concilium, pro complanandis omnibus differentiis variisque opinionibus de religione, sine diuturniore mora celebrare dignetur. Quod si sanctitas sua id differret, Majestas Caesarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur." Expectabant tale concilium ac enixe expetebant Imperii Principes. Urgebant Hungari supplicibus votis suum Regem Ferdinandum, quatenus modum inveniret. Spes enim adhuc tam Ecclesiasticos, quam Politicos quaedam alebat, quod Pontifex Romanus, agnitis in Politia et Ecclesia erroribus, medicam adhibiturus sit manum; ut ita discordes animi in concordiam redeant. At tota ea decollavit, dum anathemata Concilii Tridentini intonarent: amplius tale Concilium nec sperant nec expetunt.

§ XII. *Agrienses se adstringunt ad Religionem servandam.* — Universus Equitum Peditumque Exercitus in Arce Agriensi, nobiles item et ignobiles incolae totius Vallis Agrinae, foedus inter se anno 1561 de servanda Religione orthodoxa ineunt, et edita super praecipuis fidei articulis confessione sua, juramento se ab illa non recessuros se invicem adstringunt. Quorum pium sanctumque institutum a maleferiatis in crimen perduellionis, ut solet, versum et tanquam tale ad Regem Ferdinandum odiosissime et gravi cum criminatione delatum est. Severa Mandata Imperator et Commissionem ea propter anno 1562 decrevit, cui sequentes Literas humilimas obtulerunt, quibus Confessionis suae articulos adjunxerunt, iisque et coram Commissariis Regis et coram Rege ab atroci crimine, cujus falso insimulati erant, plenissime purgarunt.

Sacratissimae et Catholicae Romanorum Imperatoriae Majestati Ferdinando, Regi Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c Archiduci Austriae, Duci Burgundiae &c. Et Filio suae M. serenissimo Principi ac Domino D. Maximiliano Dei Gratia Regi Bohemiae, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae &c Dominis suis naturalibus et clementissimis, humilimam commendant sui obedientiam, subjectionem ac fidele obsequium cum debito servitio. Et foelicem salutaremque supplices precantur in omnibus conatibus et negotiis successum a Deo Patre per Christum.

Ex literis et mandatis S. M. R. V. Commissariorumque S. M. V. iram et indignationem super nos simul ex legatorum nostrorum relatione intelleximus, propter iniquam et injustam perversorum hominum accusationem: quod scilicet confoederatio et conjunctio fide et juramento interveniente facta sit pro conjuratione et proditione S. R. M. V. per nos et

---

[1]) Art. XIII. an. 1548.

quod contra legem divinam et fidelitatem nostram factionem et seditionem moliti contra S. R. M. V. in id ipsum ex aequo intenti sumus, ut in manus inimicorum S. R. M. V. locum in extrema acie et custodia positum, Agriam scilicet, tradere conemur. Sicut Artaxerxi aut Dario Judaei Hierusalem et templum Salomonis aedificantes in confoederatione per gentes impias delati erant, quod proditionem moliantur contra Regem Assyriorum, cum per mandatum Cyri Regis divina autoritate moti fuerint, ut aedificarent muros Hierusalem et templum. Quare sicut Nehemias, Esdras, Zorobabel honesta et vera excusatione defenderunt sese apud Ahasverum contra nugas iniquorum, ita coram Deo et Angelis ejus nos omnes attestando conscientiae nostrae testimonium juramus et confitemur S. R. M. V. adstringendo Deo conscientiam nostram sub vera fide et juramento, quod contra S. R. M. V. et locum hunc proditionem et conjurationem non moliti simus, nec deinceps moliemur. Quin potius ut hactenus fideliter et strenue fecimus, ita et deinceps usque ad effusionem sanguinis et internecionem omnibus modis contra hostes infensos S. R. M. V. pugnantibus et decertantibus summo studio et vigiliis die ac nocte custodientes nostram stationem in loco isto contendemus. Quemadmodum autem commissariis S. R. M. V. contestati sumus et probavimus nostram fidelitatem et obedientiam, ita usque ad mortem promittimus, obstringimus offerimusque S. R. M. V. fidem, obedientiam, subjectionem et servitia nostra, tanquam mancipia S. R. M. V. subdita.

Caeterum ut S. R. M. V. Commissariis et Legatis ostendimus confoederationem nostram non contra S. M. V. factam esse, sed in causa fidei et salutis, pro vera religione, doctrina et salute animarum nostrarum, ita et nunc testamur per Deum pro animarum pastu et salute factam esse, sicut tempore Josiae, Nehemiae, Esdrae populus confoederatus est, non contra Regem Assyriorum, sed pro gloria Domini, pro foedere et testimoniis Domini observandis, pro aedificatione Templi Salomonis. Sicut enim S. R. M. V. in omnibus externis causis et negotiis fidelem promtamque obedientiam et subjectionem debemus, ut quae Caesaris sunt Caesari reddamus, Regi, Magistratui ut Dei ordinationi subjiciamur, eumque timeamus, honoremus. Ita anima nostra et conscientia obstringitur, ut ea, quae Dei sunt, Deo reddamus, anima nostra Deum colat, et illi soli serviat, Verbum Domini et Sacramenta ejus amplectatur et observet, Salutem nostram in fundamento Christo, in vera fide et spiritus sancti ministerio per doctrinam Prophetarum et Apostolorum aedificemus, rejectis doctrinis et traditionibus humanis, pugnantibus cum Dei verbo et turbantibus conscientiam nostram. Quoniam autem haereseos injuste causa indicta S. R. M. V. accusati sumus per hostes crucis Christi, ex uno consensu omnes summam fidei, salutis, confessionis et doctrinae nostrae collegimus ex sacris scripturis, Patrum orthodoxorum, Concilio-

rum et Decretorum Episcoporum Romanorum testimoniis, ad stabiliendam veram, sanctam, antiquam et verbo Dei fundatam confessionem, fidem et doctrinam nostram, consentientem scriptis Propheticis et Apostolicis. Et ut ab iniqua malevolorum accusatione quod simus haeretici nos expurgemus, placuit nobis omnibus Divino instinctu ut S. R. M. V. confessionis et doctrinae nostrae summam dedicaremus et offerremus, ut S. R. M. V. innocentiam et fidelitatem nostram palam cernerent. Petimus igitur et obsecramus sacratiss. R. M. V., ut benigne nos exaudiant, nobis parcant, et recipiant summam Confessionis et doctrinae nostrae, defendantque libellum S. R. M. V. dedicatum et sub tutela et nutu S. R. M. V. emissum, intellectaque immunitate causae et innocentiae nostrae, fidei et doctrinae nostrae ex scripturis canonicis fundatam veritatem nobis fideliter et clementer S. R. M. V. annuant et concedant in vera et Catholica fide et doctrina permanere, Pastores alere et habere pascentes nos purissimo Dei verbo. Nosque S. R. M. V. omnem obedientiam, fidelitatem et subjectionem obstringimus sub conscientiae nostrae vinculo. Valere et prosperari S. R. M. V. cupimus in Domino. Datum Agriae 6 Februarii Anno Domini 1562.

V. M. S. humilimi et obsequentissimi subditi fideles, totus excercitus equitum, peditum ac totius civitatis inhabitatores, nobiles et ignobiles Agrienses [1]).

His ita cognitis et innocentia eorum palam facta non tantum ignovit illis Ferdinandus; verum etiam in Confessione ac Religione conservavit. Nec ipse eos turbavit, nec alios turbare permisit.

§ XIII. *Hungari Reformatorum sententias sequuntur.* — Hungari tam in Transylvania quam in Hungaria circa annum 1560 in articulo de coena Domini sequebantur sententiam Helvetiorum et Civitatum Imperialium, eam nempe, quae hodie Reformatorum dicitur. Saxones vero, Transylvani et alii originis Germanicae ut plurimum adoptarunt sententiam Lutheri. Siculi simul cum Hungaris Reformatos sequebantur. Quidam attribuunt diligentiae Petrii Melii, Pastoris Debrecinensis, qui Nobilitatem Hungaricam ac Siculos ad suam transtulisset mentem [2]). Veram eam sententiam hauserunt ex scripturis Divinis, antiquis Patribus, Hussitis tunc adhuc in Hungaria existentibus, ex Helvetiis Reformatoribus et e schola Philippi Melanchthonis. Viskienses in Marmarossa Germanicae originis mature satis Evangelium Dei receperant; qui dum et aliae Civitates reformarentur, simul cum iis Reformatorum sequebantur sententiam, etiam in articulo de Coena Domini [3]). Quod etiam faciebant Saxones plurimi

---

[1]) Extat confessio edita Debr. 1562. Confer Hist. Dipl. p. 7. Pápai R. R. ad an. 1562.

[2]) Haner H. E. pag. 246. 269.

[3]) Histor. Ref. p. 108.

in Transylvania[1]), integra Capitula Kezd et Kozd, sive Segesvariensium et Köhalmensium; ubi postquam antiqui Ministri morte sublati sunt, ab anno 1616 successores paulatim ad alios redierunt Saxones, cum separationem a jure Saxonum et ejectionem de gremio Nationis minitarentur[2]). Soli ad hunc diem remanserunt Koborienses in sententia Reformatorum.

CAPUT QUARTUM.

De Causis Reformationem Religionis promoventibus.

§ I. Ingens per totam fere Europam in Religione paucos intra annos facta est mutatio, quae fulguris instar omnes circumfulsit angulos. In Hungaria ac Transylvania quoque priusquam animadverterent homines, quid ageretur et quo conatus hominum evaderet, antiquis relictis jam novum induerant statum. Isabellam Reginam Georgius Monachus Tutor regii Adolescentis variis artibus Transylvania ejecerat, quae dum Leopoli in Polonia moraretur, occiso interea Monacho Petrovitsium Transylvani in Provinciam reductum Locumtenentem Regium crearunt, qui donec Regina Transylvaniam[3]) intraret, ex communi Regni statuum decreto ab omnibus ordinibus, Professoribus Romanae Ecclesiae addictis et ceremoniis ab hominibus inventis Regnum perpurgavit. Quae repentina in Religione mutatio in Europa ita quoque apud Transylvanos sine dubio non est facta absque gravissimis causis, quas, ubi circumspicimus, sequentes advertere facile possumus. Primam.

§ II. *Reformationis causa* 1. — Quod ignorantia crassis omnia tenebris involverat, et ex ea nata superstitio sola fere ubique regnabat, ita ut Religio Christiana nihil fere aliud esset, quam ex variis ceremoniis male consutus cento illeque solus ad normam legum pius haberetur, qui plura loca (ut vocabant) sacra visitaret, Ecclesias erigeret, testamento ad pias causas scilicet pro Monachis saginandis legaret, qualiscunque tandem ejus fuerit vita. Haec eadem propemodum fatetur Bellarminus in Concione XXVIII ad Dom. Laetare: „Annis aliquot antequam Lutherana et Calvinistica haeresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tunc vivebant, nulla inquam prope erat in judiciis

---

[1]) Haner H. E. pag. 269.
[2]) Exstant Acta Synodalia Mssta an. 1616.
[3]) Histor. Refor. pag. 322. 684.

Ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris literis eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum jam erat Religio." Erant loca Processionibus consecrata magno numero, tam in Hungaria, quam in Transylvania. Sub Corona Hungariae, ubi miraculosae imagines Beatissimae Virginis asservabantur, plus minus erant centum quadraginta, quae magno studio ac industria requisivit ac literis consignavit S. R. V. Princeps Paulus Eszterházi, Regni Hungariae Palatinus [1]). In Transylvania imagines miraculosae erant quatuor: Alba Albae Juliae, Virgo Puerpera Hunyadini, Virgo Virginum Kolosvarini, Domina nostra in Szele, Patrona in Fogaras [2]). Fuit etiam Sabesii lapis aliquis in leonem formatus vetustate ambesus, quem Sigismundus Kornis Gubernator sublatum inde cum magna devotione Korodini in sua collocavit possessione. Loca insuper plurima in Civitatibus, Villis, Pagis, Sylvis, Montibus, Campis, quae stato frequentabantur tempore, ubi fictas narrare fabulas doctissima ad populum praedicatio, tales audire nugas erat magna erga Deum devotio, aedificare sacella, collocare imagines certissima peccatorum remissio. De justificatione peccatoris coram Deo, sanctificatione, regeneratione altum ubique apud Concionatores silentium. Si cui fortuna favens fuit, victoriam de hoste reportavit, non Deo omnium Gubernatori gratiam referebat, sed aut Beatae Virgini aut S. Martino, Georgio, Gerhardo, Stephano, Ladislao et aliis his similibus. Exempla talium si quis videre aveat, habebit in Historia Bonfinii quam plurima. Exstabat seculi decimi septimi adhuc exordio in sacrario Lauretano ingens D. Mariae Virginis et eam adorantis cataphracti statua puro argento fusa cum hac inscriptione: Magnificus Dominus Comes de Báthor, Wajvoda Transylvaniae et Siculorum Comes &c. in honorem Dei Genitricis Mariae, quod per intercessionem ejusdem Virginis gloriosae a quodam maximo periculo liberatus fuit, anno MCCCCLXXXIX dicavit [3]). Hinc petebant Magnates animarum remedia, Belligerantes alexiteria, praeservativa adversus varia arma Turcica Tartarica in bullatis membranis depicta et in privatis quorundam tabulis hodiedum exstantia. Unde offerebant donaria, appendebant anathemata sanctorum sacellis, ut ita omnes evitarent calamitates. Cum tandem veritatis radii cum Reformatione splendere in his tenebris inciperent, tanto vaniora omnia illa censebantur, et tenebrae illae ad splendorem lucis disparuere.

§ III. 2 *Causa Quaestus indulgentiarum. — Taxa Cancellariae.* — Alteram immutatae Religionis causam dico quaestum indulgen-

---

[1]) Sz. Iváni Dissert. Paralipom. Cat. IX. pag. 53.
[2]) Tassing nova Dacia pag. 58.
[3]) Alb. Molnár in Dedicat. Concionis Sculteti ad Principem Gab. Bethlen.

tiarium, quo nimium quantum abutebantur veniarum et largitores et precones. Poterant enim quaevis peccata quantumvis enormia pretio soluto redimi. Ridiculum est. Precatiunculam quandam adornarat Papa Sixtus, qui ut imperitam plebeculam inescaret et suavius alliceret, singulis condonationem peccatorum ad undecim mille annos pollicitus, qui sole claro sub dio coram Beatae Virginis Mariae Imagine illam recitasset[1]). Quantis phaleris et zelo venias illas commendabant, exstant versiculi Biturigibus in Templo Cathedrali lapidi inscripti sequentes:

Hic des devote, coelestibus associo te,
Mentes aegrotae per munera sunt tibi lotae
Ergo venitote Gentes a sede remotae
Qui datis estote certi de divite dote
Te precor, accelera, spargas hic, dum potes certa
Et sic revera secure coelica spera.
O si tu scires, quantum data prosit ibi res,
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te miser a poena dum tempus habes aliena,
Ut tibi sit poenae venia, sit aperta crumena.
Consors coelestis fabricae, qui porrigit, est is.
Crede mihi crede coeli donaberis aede.
Nam pro mercede Christo dices mihi cede.
Hic datur exponi Paradisus venditioni
Currant ergo boni rapientes culmina throni,
Vis retinere forum, mihi tendas pauca obolorum
Pro summa quorum reserabitur aula Polorum
Hic si large des, in Coelo fit tua sedes:
Qui serit hic parce, parce comprendet in arce,
Cur tardas? Tantum nummi mihi des aliquantum,
Pro solo nummo, gaudebis in aethere summo[2]).

Extat Liber ante Reformationem editus cum Titulo: Taxa Cancellariae Apostolicae, Sacrae et Poenitentiariae, ubi Peccata in Regestrum sunt ordinata et pretio secundum quantitatem aestimata; si quis monialem in claustro, si quis extra defloraverit uxorem, sororem occiderit, matri vim intulerit, pretium, quo peccatum redimi possit indicatur. Extat certe liber palam, nec negare possunt, in scandalum Christianitatis, de quo gravissime jam olim conquestus est Claudius

---

[1]) Abrah. Scultet in Concione ad Jubil. pag. 95.
[2]) Exhibuit D. Gerdes in Historia Evang. Renovati p. 75.

Espencaeus Theologus Parisiensis Pontificius[1]) qui ita: „Taxa Camerae seu Cancellariae Apostolicae, liber palam et publice Lutetiae impressus et venalis, a quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum summistis et summariis, et plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita. Mirum hoc tempore hoc schismate non suppressum, tot tamque foedorum tamque horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem, ut non putem in Germania, Helvetia et ubicunque a Romana sede detectum est opus prostare majore scandalo. Et adeo tamen non supprimitur ab Ecclesiae Romanae favitoribus, ut tantorum facinorum licentiae ac immunitates in facultatibus Legatorum illinc huc venientium, bona ex parte innoventur atque confirmentur, adversus (si Deo placet) quaecunque fatalia restituendi ac etiam quoscunque spurios, Mamseres, Bastardos ex illicito quocunque coitu &c cum his qui se per adulterium polluerint ut connubere possint perjuros, simoniacos, falsarios item, raptores, usurarios, schismaticos, haereticos, sed ad cor reversos, non absolvendi tantum, sed et ad ordines, honores, dignitates et beneficia quaecunque, quotcunque, qualiacunque dispensandi, homicidas quoque, sed casuales seu involuntarios, nam nec voluntarios excipit Taxa, presbytericidas, parricidas, matricidas, fratricidas, veneficos, incantatrices, concubinarios, adulteros, incestuosos, cum affinibus aut consanguineis, denique contra naturam cum brutis &c. Habeat jam Roma pudorem et tam nullius frontis criminum omne genus catalogum prostituere desinat". Hactenus Espencaeus. Hae peccatorum omnium veniae non poterant non scandalo esse piis animabus et sauciare multorum conscientias, ut excitati certius quaererent salutis remedium et agnitum exuerent errorem.

§ IV. *Religiosorum ignorantia.* — Tertiam. Religiosorum utriusque sexus magnum numerum et fere numerum sine numero et crassam eorum ignorantiam, qui non tantum Religionem suam et fidei articulos ignorabant, sed plurimi erant etiam ἀναλφάβητοι, illiterati. Numero suo gravabant populum ad fruges consumere nati. Ex iis Rex Hungariae Ludovicus Legiones complere jusserat anno 1526, cum ingrueret furor Turcicus et milites conscribi deberent. Sanctitas eorum omnis consistebat in velo ac cuculla Religiosorum, quamvis ex antiquorum veriverbio Cucullа non facit Monachum. Cum autem nihil fere praeter intonandum Miserere et Breviarium relegendum nossent, vim veritatis ferre non poterant; sed cum illis sacrae scripturae aliquis locus objiceretur, evenit quod proverbio dicitur: Unus lapillus sufficit mille cornicibus fugandis. A veritate victi aut manus dederunt, aut in fugam conjecti tanquam mercenarii et non Pastores oves aliis reliquerunt meli-

---

[1]) In Comment. ad Titum pag. 478 et seq.

oribus custodiendas. Exstat exemplum ignorantiae eorum inferius. Sed hodie quoque Monachi viva sunt ignorantiae exempla, ut haereditarium sit Monachi epitheton indoctus. In exemplum, quaedam ex sermonibus Oliverii Mailardi, qui trina vice universi ordinis Minorum praefecturam gessit, Carolo VIII Galliarum Regi a Confessionibus fuit magna doctrina et sanctitatis opinione clarus exstitit, conciones suas ad populum recitatas edidit, in quibus et ejus ignorantia et seculi vitia velut in speculo apparent. Ed. Argent. 1506. 4. Quaedam huc transferam cum bona Lectoris venia.

„Serm. XIV. Levate corda vestra dominae mulieres, estis bona theologianae &c. Quid dicetis domicellae et vos sorores meae in Christo Jesu et vos gaudisseurs, meretrices, macquerelle, lusores et telle maniere de billon, cogitatisne mundare conscientias vestras? estis in statu in quo velletis mori? quid placet vobis?

Serm. XXIII. Quaero a vobis mulieribus, quae habetis tunicas apertas, estne probitas, quis facit vobis ista facere, Dominae quae vultis fringare et vultis habere tunicas magnas et vestes plicatas super renes, dicam unum verbum basse et non ultra.

Serm. XXV. O domini avari, usurarii et luxuriosi et vos macquarellae, ego invito vos ad omnes diabolos, ad comedendum potagium in inferno, si non dimittatis vestra vitia et corrigatis vos.

Serm. XXXVIII. Levate capita vestra, quae vellent mori in statu in quo sunt? estis hic meretrices quae tenuistis lupanaria per totam vitam vestram, et fecistis filias vestras meretrices sicut vos, et filios vestros lenones, macquarelle aulx gallice. Num quid dicitis, quod sufficit habere unum bonum suspirium? ad omnes diabolos tale suspirium.

In antiquo testamento quando filia desponsabatur in sponsalibus suis non fiebant multae truphae, quae fiunt hodiernis diebus. Dicite mihi in veritate vos juvenes, mulieres, en vos fiansailles gallice. Sponsus vester num quid visitavit vos aliquando? num quid dedistis oscula, num quid fecistis tactus impudicos? et utinam non fuerit consecuta copula carnis? nescio: forte cum alio, quam cum sponso. Istos actus nefandos exercuistis, dicentibus vobismet ipsis, omnia imputabuntur marito. Heu, heu Deus! quot mala fiunt in sponsalibus? Utinam haberemus aures apertas et audiremus pueros et voces puerorum in latrinis projectorum et in fluminibus &c. Sunt ibi mulieres et sacerdotes, qui dicunt, quod mulieres comedentes venenum ad expellendum materias de matria sua, ne fetus veniat ad portam, antequam anima rationalis introducatur, non peccant mortaliter. Heu, heu quam grave peccatum istud, et quod istud sit verum, ostendam vobis exemplo et autoritatibus multis. Ponatis quod habeatis unam pomum in horto vestro cum floribus et veniat trufator, qui deponat omnes flores, num quid tantum malum facit, sicut

si removeret fructum. Dico, quod sic. Eodem modo est de muliere procurante abusum, et si mulier moriretur in tali statu, diabolus eam importaret.

Serm. LVII. Vos domini Burgenses, qui habetis familiaritatem cum Episcopis et abbatibus; num quid conceditis aliquando eis pannos, vestes, pecunias, et datis eis equos, ut ipsi provideant de beneficiis filiis vestris, vos providetis eis de damnatione. O infelix cura et infelicissimum beneficium. Vos estis omnes Simoniaci. Dicatis mihi Dominae, Domicellae et Burgenses, unde venit illa tunica, illa catena, et illa baga, quam portatis. Num quid dominus Prior, dominus Abbas, dominus Episcopus, qui habent bonas bursas, dederunt vobis? Certe credo quod sic. Libenter et dant meretricibus, o infelicissimos viros. Ipsi ibunt ad omnes diabolos, nisi prius correxerint vitam suam." Talia ex ejus scriptis plurima produxerunt. Quale carmen talis Poeta, etiam concio testatur Concionatoris doctrinam fuisse admodum tenuem, tamen illa aetate lux mundi habebatur.

Confer Schelhornii Amoenit. Hist. Eccl. Tom. 1. pag. 778.

§ V. *Vita impudica Religiosorum.* — Quartam. Religiosorum in utroque sexu vitam impudicam ac scelere contaminatam quae in tantum diffluebat, ut Loca ipsa velut peste inficerentur. Hinc Angliae Rex Henricus octavus, quamvis Romano Catholicus, ferre amplius impuritates eorum non valens anno 1538 per Publicas Personas in vitam et mores eorum inquiri jussit. In Breviario autem Compertorum recensetur, quod in Monasterio Bellensi, quod alio nomine Batell vocatur Lincestriensis Dioecesis hi fuerunt Sodomitae in ipsa visitatione reperti: Joannes Abbas, Sicardus Salehurst, Thomas Guthbert, Guilhelmus Marche, Johannes Hastinge, Gregorius Champion, Clemens Vestfelde, Johannes Hierom, Clemens Prigge, Ricardus Tonye et Johannes Austijn. Incontinentes Thomas Lyvet cum una maritata et alia soluta, Thomas Crambroke cum pluribus.

In Ecclesia Christi Cantauriae inter Monachos etiam Benedictinos hos quoque repertos fuisse sodomitas: Ricardum Godmersham, Guilhelmum Lickfelde, Christophorum Lamys, Johannem Goldmyston, Nicolaum Clement, Guilhelmum Cavuston, Johannem Ambrose, Thomam Farlegli et Thomam Morton. Incontinentem praedictum Christophorum Lamys cum tribus conjugatis, et Nicolaum Clement cum una soluta.

In Monasterio S. Augustini ejusdem urbis et ordinis incontinentes inventos fuisse Johannem Abbatem cum una tantum, Johannem Langdou cum duabus, Johannem Langport cum una, Ricardum Compton cum una &c Thomam Barham sodomitam. In Bathornensi

Monasterio inter alios plures Ricardum Lijncombe septem meretrices habuisse, quatuor solutas et tres conjugatas fuisseque sodomitam. Guilhelmum Benusson undecim scorta quoque habuisse praeter sodomismi varium genus. In Monkenfarlegensi Coenobio Sarisburiensis Dioecesis Ludovicum Priorem novem habuisse meretrices. Ricardum Priorem de Mayden Bradley quinque meretrices et sex spurios. Guilhelmum Abbatem Bristoliensem quatuor meretrices habuisse, tres solutas et unam conjugatam. Thomam Abbatem Abindonensem praeter sororem naturalem, ex qua duas procreaverit soboles, tres alias meretrices habuisse et hunc Patrem multorum sodomitarum fuisse. In Coenobio de Schulbrede Licestriensis dioecesis Georgium Walden Priorem septem meretrices habuisse. Johannem Stadney septem, Nicolaum Duke quinque, Johannem Blancke Priorem de Bermondsey viginti. In castro Vindesora Henricum Vodwarde plures meretrices habuisse. Nicolaum Vuhyden quatuor, Georgium Vuhitethome quinque, Nicolaum Spócke quinque, Robertum Hue quinque, Nicolaum Valker duas, Robertum Davyson sex, Petrum Boug multas. In Ecclesia Cathedrali Licestriae Johannem Champion Praebendarium de Walthan duas meretrices habuisse, Thomam Parker duas solutas, Ricardum Bufelde solutam unam de qua suscitavit sobolem. Robertum Hunt plures, Thomam Goffe duas conjugatas, Johannem Hille tredecim meretrices, Robertum More plures, Rogerum Barrham plures, Johannem Bedfelde plures, inter quos etiam praefati Rogerus, Barham et Johannes Champion reperti sunt sodomitae. Haec ex Breviario Compertorum excerpta[1]). Unde patet aptissime vulgatum hoc distichon Religiosis istis hominibus convenire:

Non male sunt Monachis grata indita nomina Patrum,
Cum numerent natos hic et ubique suos.

Hoc respectu Rex Angliae eos claustris solvit et in conjugio secundum Dei institutum vivere permisit.

§ VI. Marcellus Palingenius seculo decimo sexto in Italia Pontifici addictus vixit, ea quae de Religiosis observarit in Zodiaco vitae humanae ad Ducem Ferrariae Herculem cum coloribus depinxit, qui ita loquitur:

Sed tua praecipue non intret limina quisquam
Frater, vel Monachus, vel quavis lege sacerdos.
Hos fuge: pestis enim nulla hac immanior. Hi sunt

---

[1]) Confer. Zvingerum in Libro de Festo Corporis Christi pag. 99.

Fex hominum, fons stultitiae, sentina malorum,
Agnorum sub pelle lupi, mercede colentes
Non pietate Deum, falsa sub imagine vecti
Decipiunt stolidos, ac Religionis in umbra
Mille actus vetitos et mille piacula condunt.
Raptores, moechi, puerorum corruptores,
Luxuriae atque gulae famuli, caelestia vendunt.
Heu quas non nugas, quae non miracula fingunt,
Ut vulgus fallant optataque praemia carpant [1]).

Idem alibi eadem refert:

Quid tot stupra loquar? Sunt cuncta libidine plena.
Et passim prostant, et clam fodiuntur ephebi.
Quis non moechatur? mystae vastique cuculli,
Quos castos decet esse, palam cum pellicibus vel
Furtim cum pueris, matronis virginibusque
Nocte dieque subant; sunt qui consanguinearum
Inguinibus gaudent; ineunt pecudes quoque multi,
Et rura et sylvae infames, urbs quaeque lupanar [2]).

Plurima extant vestigia illius aevi vitae claustralis in Hungaria ac Transylvania dissolutae. Extant in Libris et in ore vulgi per manus priorum sequentibus tradita. Nota sunt, quae narrantur de Franciscanis ad Wolphangi plateam Claudiopoli habitantibus et ad Albam Ecclesiam in Comitatu Albensi, qui ibidem deleti vel exterminati. Extant Literae Regis Matthiae Donationales anno 1477 emanatae, quibus Abbatiam Kertz propter impuritatem Abbatum confert Cibiniensibus. Talia clamant versiculi antiquae cujusdam cantionis:

Ezer öt Százban, és im az negyven négyben
Váradon ez kele a Káptalan szerben.
A váradi Papok midön szégyenségben
Paráznaság miatt voltak fizetésben [3]).

Propter stupra poenas luebant anno 1544: tandem etiam penitus inde Monachi et Sacerdotes S. Ladislai pulsi anno 1557. Frustra est Pazmannus cum asserit Religiosos nunquam Regno et Claustris fuisse

---

[1]) In Leone pag. 118.
[2]) In Virgine p. 164.
[3]) Extat liber saepius recusus.

exclusos, sed eos tantum diffugisse et vacua eorum loca ab aliis fuisse occupata? Ita quoque jus suum amiserant. Verum sunt quoque exclusi ex communi Regni Statuum suffragio anno 1556, dum claustra convertebantur in scholas, aut ad alias Regni necessitates simul cum Proventibus. Extant formalia Diaetae Tordensis an. 1566 Dominica Oculi celebratae haec verba: „Demum, quoniam Dominus Deus ex sua bonitate lucem Evangelii in suae Majestatis imperio ubique accendit, jubetque doctrinam falsam et errores ex Ecclesia exstirpari, unanimi consensu conclusum est, ut omnes Personae cujuscunque ordinis Ecclesiasticae, Papali Doctrinae ac humanis inventis adhaerentes indeque redire nolentes, ex imperio suae Majestatis undiquaque eliminentur"[1]). Diaetaliter exclusos nemo negare potest ni impudentia ruborem a fronte sustulerit.

§ VII. Quintam. Vim, quae inferebatur Reformatoribus, et modum, quo progressui Evangelii obstabant, merito inter causas promoventes Reformationem annumeramus. Siquidem eos Religionemque eorum aterrimo depingebant colore non tantum, sed ubi occasio illis favit, etiam crudelissime in eos saeviebant ferro et igne. Quorum constantiam alii advertentes tanto diligentius in vitam et doctrinam inquirerent. Quam ubi sanctam et sanae etiam rationi consonam deprehenderent, ipsi etiam sese adjungebant, nugis quibus hactenus erant detenti dicentes vale. Plurima hujus in cursu Historiae occurrent exempla.

§ VIII. *Scholarum Reparatio.* — Sextam. Plana ad Reformationem via facta est scholarum reparatio et studii literarum in scholas per Petrarcham, Erasmum, Capnionem, Graecos quosdam Bizantio profugos et nonnullos alios reductio. Sicut enim lux pellit tenebras; ita literarum splendor ignorantiae caliginem semovet ac scientiarum lumen inducit. Animus vero humanus ultro veri intellectum sequitur. In hunc finem ab antiquissimis temporibus erectae sunt scholae ad formandam Juventutem in Ecclesiae ac Reipublicae ministerium. In initio Reformationis tam Saxones, quam vero Hungari ad instruendos tenellos in Civitatibus formabant scholas, committentes eas, in quantum fieri potuit, peritis in arte magistris; tales erant Claudiopoli, Cibinii et Coronae. In hunc finem multum profuit Artis Typographicae divinum inventum, cujus beneficio facile libri optimi ac Doctorum Virorum lucubrationes ad variorum pervenerunt manus. Inventor est anno 1440 vel 1442 Laurentius Johannes Costerus Harlemensis aut Johannes Guttembergius Moguntiae; pari enim modo utrisque adscribitur. Ab his devenit ad alios praecipue Basileenses, inde per Johannem Honterum ad

---

[1]) Ex Actis Diaetae Msstis.

Transylvanos Coronenses [1]), qui anno 1533 Basilea in Patriam redux plurimis eam libris a se Coronae editis beavit.

§ IX. Septimam. Discordia inter duos eodem tempore Hungariae Reges Ferdinandum et Johannem promovit egregie Religionis Reformationem. Quamvis enim tam Johannes, quam Ferdinandus severe primum obstabant Reformatoribus et terrebant eorum fautores, ast tandem uterque de fervore remittebat; nec tantum liberum concedebant exercitium, verum etiam promotum ibant. Proceres enim vix uno et altero excepto Reformatam sequebantur Religionem. Reges autem cum eorum indigerent ministerio, quae postulabant illis indulgebant. Martinus Szent Iványi Jesuita ita de his temporibus:

„Eo jam ventum fuerat, ut ante introductionem publicarum scholarum societatis Jesu in Hungaria in toto Regno non nisi tres Magnates numerarentur Catholici; ex nobilibus vero vix ulli. Ut testis est P. Stephanus Arator unus ex primis Patribus Nationis Hungaricae in suis Manuscriptis" [2]). Ubi sanctitatem Religionis Reformatae a Monachis dehonestatae advertebant ultro patrocinium illi praebebant. Officiales Domi Militiaeque ex illis creabant utpote rerum gerendarum gnaris, quod frustra illacrymatur Spondanus cum Szentivanyio [3]).

Qui has exacta ad trutinam rationis bene perpenderit causas, non diu mirabitur repentinam in Religione Reformationem.

CAPUT QUINTUM.

De Viris Illustribus, Familiis ac Patronis, quorum auxilio Reformatio ortum et progressum habuit in Hungaria ac Transylvania.

§ I. *Petrus Prini Fautor Reformationis.* — Ad firmandos contra vim tempestatis palmites firmiori opus est fulcimento, cui adstrictae sine noxa ferant tempestatem vites. Novella in his oris Christi vinea minime turbines ab inferis saepius excitatos ferre potuisset, ni Deus ipse e Principibus Familiis excitasset illustres doctrina ac pietate viros, quorum auxilio et patrocinio adversus persecutionum furores defenderetur. Scripta equidem in coelis eorum nomina in Libro vitae sunt, oportet tamen, ut etiam in terris grata semper apud Posteritatem maneat memoria. Primus

---

1) Histor. Ref. pag. 89.
2) Szent Ivanyi pag. 127.
3) Timon Epit. Chronol. pag. 159. Sz. Ivanyi Dissert. Paral. Cat. LVIII. p. 126.

fuit inter Magnates Petrus Prini vel de Peren, qui in Hungaria verbo Dei et ejus luminis propagationi adsurrexit. Filius hic fuit Emerici de Peren, Regni Hungariae sub Uladislao Palatini ad tuenda Regni jura nati. Petrus hic anno 1527 constitutus erat Wajvoda Transylvanorum fuitque vir opibus et clientelis ac arte militari clarus[1]). Dicebatur etiam Comes Abaujvariensis; possidebat in Hungaria superiore Agriam, Saros Patakum, cum adjacentibus dominiis et alias arces. In Hungaria inferiore arces Valpo, Soklos et loca alia plurima. Erat Coronae custos et sub Ferdinando anno 1542 supremus Militiae Hungaricae Generalis. Verum cum divitiis ac dignitate in eam ascendisset potentiam, ut plurimis invidiae locus esset et Regi verendus appareret, sub praetextu ac si cum Solymanno Turcarum Imperatore collusisset, in custodiam datus est. Wiennam cum duceretur inter alia plurima prolixioris orationis verba haec est prolocutus: Una me conscientia rerum quas gessi ita sustentat, ut quemcunque me inimici mei videri velint, si data optio sit, hanc praesentem meam calamitatem cum eorum beata et delicata vita non sim commutaturus. Ab irato Ferdinando, a depravato inimicorum calumniis, ab immemore Regii muneris ad eum Ferdinandum appello, cujus justitia, religio, sanctitas norma atque exemplar est caeteris Regibus ad populos juste et sapienter regendos[2]). Neostadii detentus, quamvis innocentia ejus luculenter fuisset demonstrata, dimissus non est. Regni status et ordines intercedebant et fidejussores pro eo se offerebant in Conventu Tyrnaviensi anno 1545 celebrato in hunc sensum[3]): Quod Majestas Regia Dominum Petrum Pereny, post multas supplicationes fidelium suorum, jam tandem gratiose dimittat. Etenim oblationes ejusdem Petri Pereny, quas Majestati suae facere offert, sufficientes esse videntur: et alioqui omnes Regnicolae de fide et constantia ejusdem Petri Pereny se fidejussores offerunt. Nec vident quod atrocius Dominus Pereny deliquisset illis Capitaneis Hispanis, qui tantae ruinae Regni materiam praebuerunt, sunt tamen impune dimissi et forte etiam remunerati.

Libertati ne ita quoque ad Regni Statuum intercessionem Rex restituit, sed carceri immortuus.

§ II. Vivente adhuc Ludovico amplexus erat doctrinam Evangelii, cujus patronum et fautorem se praebebat eximium. Impetebatur ille ob

---

[1]) W. Bethlen p. 24. 27.
[2]) P. Rewa Rer. Hung. Cent. VI. p. 81.
[3]) Art. LV. an. 1545.

hanc causam anno 1525 Edicto Regio contra Lutheranos et eorum Fautores promulgato. Civitates enim, Pagos et Loca a se possessa lumine Evangelii non tantum illustrari sinebat; verum pios ac eruditos constituens in iis Ministros verbi Reformationem promotum ibat. Ujhelly, Saros Patak, Comitatus Abaujvariensis, Arx et Civitas Agria cum circumjacentibus vallibus humanis institutis desertis Reformationem sub cura ejus admiserunt. In ejus patrocinio tuti non tantum acceptabant Barovienses Reformationem, sed etiam perdurabant in ea. Credibile est Privilegium pro Ecclesiis in Boronnya fundatis ipsius ope et consilio impetratum a Turcarum Sultanno; quod ne Ecclesiis noxa inferretur singulis annis Purpuratus Budensis confirmabat [1]). Saros Patakini templum pro Reformatis ac collegium ex fundamento erexit [2]), providit de fundo sustentationis tam professoribus quam etiam discentibus. Auxit eundem Gabriel Perenius Petri filius pari potestate, vir sine controversia magnus, qui Comes erat Abaujvariensis et Ugotsensis supremus. Premebat hic vestigia Patris, qui non tantum scholae Patakensis fundum augebat ac confirmabat, verum plurimos viatico instructos e studiosis studiorum causa ad exteras promovebat Academias [3]). Mortuus tandem Posonii est sine haerede anno 1567. Quadriennio ante mortem Paulum Thuri et Bernardum Holthi V. D. Ministros in Hungaria eximios ad exterarum Gentium ablegaverat Theologos, de quibusdam cerimoniis in Ecclesia Hungarica tunc controversis, an retinendae vel tollendae essent [4]).

§ III. Multa in dehonestamentum tanti viri ejus confingunt adversarii in lutulentis suis scriptis; quae tamen talia sunt, ut non nisi mente capti fidem iis dare possint. Narrant Perenium sepultum in Templo majori Terebesiensi; sed quia quotannis sereno de coelo percutiebatur aedes ac sepulchrum ea parte, quae cordi respondebat, cineres et ossa ejecta sunt a Monachis; quae sparsa in vicinam coenobio lacunam, cum rusticus quidam casam strueret ad eam casu cineres luto mistos adhibuit; unde casa fulminibus iteratis petebatur [5]). Petrus tamen Pereni sepultus est non Terebesini sed Patakini, ubi templum fundaverat quod filius Gabriel perfecit et arcem muro cinxerat. Adparet ex carmine epitaphio Basilii Fabricii Zikszoviani oratoris super funere Gabrielis Pereni; ubi inter multa alia ita scribit:

Pannoniae proceres inter clarissimus heros, Unica spes stirpis, lux, gloria sola Perenae.

---

[1]) Historia Ref. p. 664. 671.

[2]) Historia Ref. p. 589.

[3]) Fabricius in orat. Patakini habita 1575. Martin. Teyfalvi in Ded. operis Romanocategorus dicti.

[4]) Histor. Reform. p. 122.

[5]) Timon Epit. Chron. p. 52, 53. Nova Dacia p. 38.

Hic jacet ad luctum regni patriaeque perennem,
Illustris Gabriel procerum decus ille Perenus,
In templo sibi quod pridem fundaverat ipse.
Hunc Petrus in tumulum sua clauserat ante Perenus
Ossa parens, hanc qui vallavit moenibus urbem.
Clara dehinc mater Zekelini sanguinis atque
Barbara dicta soror, rapuit quam Parca priorem.
Ultimus his Gabriel jungit se nominis haeres.
Quae nunc tota domus cantat super aethera Christum.

Refutat fabulam de cineribus Petri Perenii ex professo prolixe et solide Rotarides in libro cui titulus Historiae Hungaricae litterariae antiqui, medii et recentioris aevi lineamenta S° XV p. 149—187.

Simile huic est, quod filium septennem Franciscum ad circumcisionem Turcis tradiderit, quem nunquam amplius viderit ad se reversum. Fluctus eorum in simpulo moti confirmant virum fuisse Perenium in Patria insignem. Notum enim est eos ex ea agere regula: Calumniare audacter, semper aliquid adhaeret. Exinde quod haeretici titulum ac inconstantis ipsi impingant; labores tamen pro Ecclesia Christi exantlati gratam ejus ad hunc usque diem memoriam apud bonae frugis Posteritatem conservant.

§ IV. *Valentinus Török Reform. Promotor.* — Eximius inter alios Reformationis promotor erat Valentinus Török de Ening, prudentia militari tunc temporis clarissimus, Hungariae inferioris Generalis Supremus, qui dum Solymannus muros Wiennenses quatere vellet, Guncium obsideret, ingentia ipsi damna inferebat. Quis, qualis quantusque fuerit, inde clarum est, quod dum anno 1529 captus ad Solymannum fuisset deductus, ita ipsum allocutus est: Nescio an tu me reformidaveris nec ne; ego vero etiam Constantinopoli existens de te somnia habebam [1]). Joannes primus Rex anno 1540 moriens hujus tutelae viduam ac filium commendavit, status vero Regni negotia Militaria ipsi concrediderunt [2]). Dulcedinem Evangelii ac sermonis divini suavitatem regnante adhuc Ludovico degustaverat sine dubio Budae a Simone Gryneo; post cladem autem Mohátsensem progressum sermonis divini retardari non sinebat, possessiones suas Civitatem Papensem et Regionem Balatoni adjacentem reformari sinebat ac jubebat. Unde lumen Evangelii sese diffudit ad fines usque Austriae sub ejus, filiorum et nepotum protectione. Existebant etiam alii Magnates in iis oris, in

---

[1]) Melius in Histor. Ref. p. 68.
[2]) W. Bethlen Libr. III. p. 118.

Comitatibus Castriferrei, Mason Vesprem et Sopronìensi; florebant Familiae Illustres Bánfi de Lindva, Nadasdi Eszterházi, Batyani, omnes Reformatae Religioni addictae ad annum usque 1634, quo ad Pontificios transire coeperunt, deserta Majorum suorum Religione. Reformatio Civitatis Debrceinensis Valentino Possessori attribuitur, qui eam jam antea inchoatam anno 1536 per Ministrum suum, Papa in hunc finem evocatum, ab omnibus Pontificiis cerimoniis perpurgatam ad perfectionem perduxit [1]). Possidebat in Transylvania arcem Hunyad et Deva, ubique summus doctrinae Christi promotor. Patris vestigia sequebantur filii Franciscus et Joannes ac nepos Stephanus, qui Principatum tenente Gabriele Bethlen erat Consiliarius et Comes Hunyadiensis, in quo Familia defecit. Ipse per Solymannum in castris ejus detentus ex instinctu ut merito credebatur Georgii Martinusii in tutoratu Regii Pupilli collegae ac socii [2]), qui dominari eousque pro animi lubitu non poterat, donec Török gratia apud cunctos florens rebus Reginae ac negotiis Regni interesset. In captivitate Constantinopolitana regali per Solymannum sumptu intertentus. Isabella Regina, Sigismundus Rex Poloniae et Transylvani multum eo eliberando temporis et operae consumpserunt; frustra tamen omnia, dimissus non est, sed ibi vitam finiit.

§ V. *Petrus Petrovitzius Fautor Reformat.* — Magnum Domus Dei erat columen tam in Hungaria, quam in Transylvania Petrus Petrovitzius, ex Posega quidem oriundus, at Joanni Regi sanguine junctus; cui Filium quoque moriens commendaverat et uxorem. Praestitit ipsis fidelem quoad vixit operam. Vivere autem desiit anno 1557 die 13 octobris, haeredem testamento scribens Isabellam [3]). Hic Munkatsini audiverat Doctorem Martinum Kálmántsehi in initio Reformationis, unde Romanis sacris renuncians, Reformatis fidelissime adhaesit summumque semper eorum se patronum praestititit.

Temesvarinum cum comes Temesvariensis esset evocaverat ad scholam ejusdem loci docendam et Ecclesiam gubernandam Stephanum Kis Szegedi S. S. T. D. [4]), qui in exteris quoque erat oris tunc celebris, de operibus nunc quoque notissimus.

Transylvani sublato per Castaldum Monacho constituerunt Locumtenentem Regium Petrovitzium, qui Ecclesias penitius anno 1556 repurgavit a cerimoniis Romanis; in earum locum restituit verum ac sincerum Dei cultum: imagines mutas templo ejici jussit, ut viva voce

---

[1]) Histor. Refor. p. 68. Pápai in RR ad an. 1527.
[2]) W. Bethlen Lib. III. p. 134.
[3]) W. Bethlen. Lib. IV. p. 206.
[4]) In Vita Szegedini ad an. 1548. Hist. Ref. p. 97.

populus erudiretur[1]). Aurum et argentum, quo templa et imagines ornabantur, in aes conflavit Regni et egenorum usum convertit. Monachos Monachasque frustra locorum proventus consumentes claustris solvit ac Regno prohibuit, substituens in locum eorum Magistros pro erudiendis scholis. Magnates Hungari eo tempore fere omnes erant Reformati, Nobilitas aeque, quam sequebatur plebs infima. Martinus Kálmántsehi Debrceino Transylvaniam ingressus conjuncto opere cum Ministris Claudiacis, eos, qui adhuc in materia sacramenti sequebantur partes Lutheri demonstrata veritate Reformatis adjunxerunt. Quod etiam Melius deinde tentavit tanto cum effectu, ut non tantum Siculos, verum etiam plurimos e Saxonibus ad suam adduceret sententiam[2]).

§ VI. *Casparus Dragfi Fautor Reform.* — Excellebat divitiis et pietate tempore Reformationis Casparus Dragfi. Cujus pater erat Joannes, mater vero Anna Váradi, nuptias tanta celebritate Vacini in Hungaria perficientes, ut Rex quoque Uladislaus interesset, ex quibus editus parentibus anno 1506[3]). Avus hujus erat Bartholomaeus Dragfi Wajvoda Transylvanus sub Uladislao. Progenies horum Casparus, audito sermone Dei puro, romanas reliquit cerimonias circa annum 1528, et convocatis ad suas Possessiones Doctis in Ovár, Tsenger, Erdöd, eas reformabat cum adjacentibus villis[4]). Tam Episcopi, quam Rex Joannes ob Religionem mutatam interminabantur illi; at Regis et aliorum minis minime fractus, Possessiones suas adversum furores persecutorum asilum praebebat Reformatis. Synodum quoque in ejus Possessione celebrarunt Reformatores, ubi articulos pro re nata necessarios condiderunt, de quibus infra erit locus agendi. Plagam illam Regni Szilágyság dictam ac tempestive purum Dei sermonem recipientem, ad eumque reformatam, adversus malevolos injuriam inferentes, quoad vixit defendit. Desiit autem vivere 25 Januarii anni 1545, cujus unicus bonorum et virtutis paternae haeres Georgius decennio post caelitibus transcriptus comes. Uxor Dragfio erat Anna Bathori, filia Stephani Bathori de Somlyó, mulier pietate in Deum, misericordia in egenos celebris, quae secundis votis Georgio Bathori adjuncta est. Hic pariter ac Dragfius magnus Evangelii extitit fautor. Anno 1555 synodum Evangelii Ministrorum convocavit Erdödinum; ubi aliquot condiderunt articulos infra enarrandos.

§ VII. *Ferdinandus et Maximil. Evangelii Renovati Patroni.* — Inter Evangelii renovati Patronos ac Reformationis Promotores primi nominandi erant Ferdinandus ac Maximilianus Hungariae Reges, qui non

---

[1]) Hist. Ref. p. 322. 684.
[2]) Annales Eccles. Davidis Hermanni Mss. Hist. Eccl. Haneri pag. 246. 269.
[3]) Msstum antiquum de his extat.
[4]) Histor. Ref. p. 97.

tantum in Austria, Moravia, Bohemia, verum etiam in Hungaria multum Reformationis progressum promoverunt. Ferdinandus pacem in Germania inter Imperatorem ac Protestantes conciliaverat Passavii; cujus vi nemo turbari in Imperio poterat: quae Pacificatio, saepius confirmata deinceps quoque et in vigore relicta, evasit in legem Germaniae fundamentalem. Tantam hac pacis conciliatione inter partes armis fessas Ferdinandus omnium inierat gratiam, ut omnia ejus dicta factaque pro sanctis haberentur[1]).

§ VIII. *Literae Ferdinandi ad Lutherum.* — Non erat Ferdinandus a Reformatione alienus, animadvertens noxios irrepsisse in Ecclesiam longo tempore errores et quasi jam in consuetudinem abivisse, qui ejus animus palam est ex sequentibus 1 Febr. anni 1537 literis ad Lutherum datis:

Ferdinandus Dei gratia Romanorum itemque Ungariae et Bohemiae Rex. Quanquam, vir honeste, docte atque devote, ante hac cum in Germaniam veniremus et primum Principalem, mox etiam, Divina clementia sic disponente, Regiam capesseremus gubernationem, scripta quae isthoc et proxime insequenti tempore edebas doctrinaque tua minime nobis probarentur, sed potius concionatorum ac confessionariorum quorundam nostrorum assertione persuasi isthaec ceu haeretica perversaque ac Romanae Ecclesiae decretis statutisque adversa minimeque congrua damnaremus; non supersedimus tamen per annos duos proximos abhinc libellis quibusdam tuis, praesertim vero expositionibus Psalmorum, eorum maxime, qui de regio ac principali regimine tractant, legendis tantum, quantum ceteris nostris gravissimis negotiis succidere licuit, temporis impendere. Cui insuper accessit, quod non ita pridem e confessariis nostris, ordinis Parvisiorum, quem ex Hispaniis nobiscum adduximus, fatis pie defunctus, paulo ante obitum suum nobis ad se vocatis confessus est, quomodo nos hucusque seduxerit, neque veram ad aeternam salutem ostenderit, orans et obsecrans ut noxam hanc ipsi clementer condonaremus, atque deinceps una cum regnis nostris, principatibus atque provinciis salvificam S. S. Evangelii doctrinam, quod per te fideliter doceatur atque in lucem proferatur, absque mora recipiamus, nec non carissimo Domino nostro ac fratri Romanorum Caesari Ducem nos atque authorem, idem ut Majestas ipsius et fraternitas faciat praebeamus: hoc enim pacto tanto latius sese atque lubentius seculo huic valedicturum.

Praeterea cognovimus quoque e Consiliariis nostris Regnique nostri fidelibus generosis atque nobilibus Johanne Offlingio Cancellario Bohemico et Andrea Ungnad, utrisque Baronibus, qui praecedenti autumno Torgae et concioni tuae interfuere, et tecum coram collo-

[1]) W. Bethlen Lib. I. pag. 31.

cuti, quod tum temporis dignum Christiano homine sermonem habueris, praesertim de bonis operibus, facto inter haec discrimine satis bono, nec non quo caetera doctrinae tuae et quibus ea nitatur argumentis scitam iis rationem reddideris. Hisce igitur et aliis de causis professioni Christianae convenientibus, maxime vero quod Papam et Clerum ejus, quorum ordinem, doctrinam et vitam, quantum nonnihil e scriptis tuis cognovi, multis modis graviter taxas, adeo pusillanimes et (quod omnino fatendum) imparatos firmaque defensione destitutos deprehendimus: animus noster, quo ante in te fuimus satis infenso, clementior nunc erga te factus, atque (pro quo aeternas Deo gratias agimus) eo nunc conversus, ut jam doctrinam tuam, dummodo Scripturis Biblicis atque Divinis constanter inhaereas, neque seditiosi quid aut quod contra Christum sit eidem admisceas, bene ferre ac tollerare queamus. Si quidem nunc demum (proh dolor) satis deprehendimus, Papam ejusque asseclas hucusque suo tantum commodo studuisse et siliquas nobis pro frugibus distribuisse ac venditasse. Quamobrem animum induximus, hujus ut et aliorum quorundam permagni momenti negotiorum causa paucos intra dies ad praememoratam Caesaream Majestatem, Dominum Fratremque nostrum longe dilectissimum, legationem insignem, quae S. S. Evangelicae doctrinae bene faveat, in Hispaniam mittere, atque cum ista de rebus hisce, pro praedicti confessionarii nostri piae memoriae narratione precibusque et propria nostra ex libris tuis hausta istarum notitia, diligenter agere sedulaque cohortatione conniti, quo dilectionem ipsius ita, uti minime dubitamus, in eandem adducamus nobiscum sententiam. Sin vero a Majestate ejus impetrare haud licuerit, decrevimus nihilominus tanquam Romanorum Rex, (parum morantes illud, quod Papa meditatur concilium) Comitia Imperii universalia opportuno quodam in loco conscribere ac cum ordinibus civitatibusque te atque aliis sacrarum peritis in consilium adhibitis eniti, quo fidei ac Religionis articuli ad normam divinae veritatis in unanimem denuo redigantur consonantiam. Haec sunt, quae perclementi animo scire te voluimus, quo interim in veritate tanto strenue magis operari coeptaque perficere pergas. Dabantur in comitatu nostro Tyroli, in oppido nostro Oeniponte, primo Februarii anno 1537, Regnorum Nostrorum Romani septimo, Reliquorum duodecimo.

Inscriptio: Honesto doctoque ac devoto nostro ac sacri Imperii fideli dilecto Domino Martino Luthero, sacrarum literarum Doctori Wittebergae [1]).

§ VIII. *Ferdinandi Literae ad Cassandrum.* — Docent Literae istae Ferdinandum Imperatorem non abhorruisse ab Ecclesiarum Reformatione.

---

[1]) In Theatro Hist. Math. Christiani p. 1086 apud Polycarpum Lyserum.

Declaravit suum animum in Literis ad Cassandrum Theologum diebus decem ante vitae suae ultimum Wienna 15 Julii 1564 datis, quae ita sequuntur:

Ferdinandus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Honorabilis fidelis nobis dilecte! Accepimus tuas literas Dusburgi die 28 Junii datas, quibus te excusas, quod propter adversam valetudinem, qua te majorem anni partem in lecto detineri ostendis, non possis, sicut nos summopere cupiebamus, hoc tempore ad nos venire. Id quod nobis valde molestum accidit cum propter magnitudinem negotii, in quo tua decrevimus uti opera, tum etiam quod pro ea benignitate, qua te complectimur dolemus, te uti virum, cujus pietas, doctrina et ardentissimum juvandae Reipublicae studium nobis summopere commendatum est, morbo impediri, quo minus desiderio tuo juvandae et pacificandae Ecclesiae valeas in hac parte satisfacere. Itaque haud gravatim acquiescimus in humili et nimis necessaria excusatione tua, qua utique vellemus tibi non fuisse opus. Cum vero nobis in hac re absens quoque possis et velis inservire, vel scribendo vel cum aliquo erudito et pio viro, qui ea ad nos referat, conferendo, nos id ipsum benigno abs te animo suscipiemus, si quidem etiam illud nobis futurum est gratum, si quod hic fieri volebamus, domi tuae conficias, licet fortassis praesentia tua ad rem bene gerendam plurimum momenti allatura fuisset. Est autem illud, quod a te requirimus, ejusmodi:

Recordamur nimirum super Articulis Augustanae Confessionis, quae a nonnullis S. Romani Imperii Electoribus, Principibus et Statibus, Divo fratri nostro, praeclarissimae memoriae Imperatori Carolo V anno 1530 exhibita fuit, una cum Apologia ejusdem Confessionis, concordiae et unitatis sarciendae gratia, ante hac in sacro Romano Imperio diversis locis et temporibus saepius conventus, colloquia et tractatus institutos fuisse et utcunque tales conventus et tractatus non omnino sint sortiti plenum et optatum effectum; interdum tamen inter colloquentes seu disputantes de nonnullis articulis non postremis quadantenus convenisse; reliquorum vero, qui adhuc sunt in controversia, non usque adeo magnum esse numerum; nobisque a multis piis, doctis Catholicis, et modestis viris non exiguam spem factam fuisse recuperandae unitatis et concordiae in Ecclesia nec non conciliandorum animorum, qui nunc perniciosissima diffidentia et simultate ob Religionis differentiam distracti sunt. Si manifesti illi abusus, qui hisce novissimis et calamitosis temporibus in Ecclesiam Catholicam irrepserunt, expurgarentur et e medio tollerentur, et quaedam quae magis sunt positivi juris quam Divini concederentur, ac praeterea quaedam Disputationes, nimis subtiles et abstrusae, quarum cognitio, cum excedat captum rudis populi, non videtur usque adeo illi ad salutem esse necessaria, ad alia feliciora tempora reficerentur,

et illa, quae ad fidem ac mores et intellectum ac usum sacramentorum et cerimoniarum pertinent, probe instituerentur.

Cum igitur nobis ut Imperatori Catholico pro ratione divinitus nobis commissi muneris incumbat, sedulo curare, ut fideles subditi nostri ex errorum et haeresium laqueis, quibus miserimum in modum sunt irretiti, divina benignitate eripiantur, nosque censeamus, omnem nobis movendum esse lapidem, ut tandem hujusce pii voti nostri compotes reddamur.

Cupimus proinde abs te compilari primo quoque tempore Summarium quoddam doctrinae Catholicae, in quo praeter antiqua et indubitata dogmata fidei Catholicae in Confessione Augustana comprehensa, quae semper fuerunt extra controversiam posita, imprimis explicentur illi omnes articuli dictae Augustanae Confessionis, qui vel hinc inde inter eruditos utriusque partis ad concordiam sunt deducti, vel pro Constituenda unitate et quiete adhuc possunt salva veritate catholica concedi et indulgeri; adductis praeterea rationibus brevibus et substantialibus, cur in reliquis, qui forte supererunt, Ecclesia Catholica cedere non possit.

Deinde colligantur illi quoque articuli, qui nunc quidem ab iis, qui Augustanam Confessionem profitentur, contra Religionem Catholicam vocantur in controversiam, quibus tamen ipsa Confessio Augustana saltem expresse non contradicit vel quos etiam ex parte approbat.

Postremo, recitentur etiam succincte aliae quaedam opiniones, partim reprobatae, partim etiam fanaticae, quarum nonnullae equidem ante editam Augustanam Confessionem, multo major vero pars ab eo tempore orbem Christianum invasere, quae nec ipsi Confessioni Augustanae, multo minus Catholicae Religioni congruant. Ita ut tale Summarium sit quasi Methodus quaedam, ad quam Parochi et Concionatores, in regnis atque provinciis nostris existentes, doctrinam suam tanquam ad regulam dirigant atque accommodent, adeoque probatam et sanam doctrinam ab adulterina et perniciosa internoscere atque distinguere et quid ipsis tam in praedicatione ad populum Dei, quam in administratione sacramentorum ac reliquis cerimoniis Ecclesiasticis tenendum vel fugiendum sit, clare discernere possint. Quae methodus, quo plausibilior erit et quo longius fuerit a contentione remota, eo gratiorem et utiliorem quoque futuram, diffidendum non est.

Desideramus autem ut hoc opus absque omni mora in Dei nomine aggrediaris et perfectum illico ad nos transmittas. Ita namque extrema postulat Regnorum ac Dominiorum nostrorum necessitas. Neque dubites hunc tam insignem laborem Deo cujus res agitur acceptum fore, quem nos sane erga te Caesarea nostra beneficentia recognoscemus. Nunc vero jussimus tibi a Commissario nostro Spirae existente, Georgio Lang, numerari centum florenos, quos ab eo accipies, gratiam nostram de coetero quoque exspectaturus. Datum in Civitate Nostra Vienna die 15

Julii anno 1564 Regnorum Nostrorum Romani 34, aliorum vero 38. Ferdinandus.

Ad Mandatum sacr. Caesareae Majest. proprium.

V Joh. Baptista Weber, M. Singhmoser.

Inscriptio Epistolae.

Honorabili Docto nostro et sacri Imperii Fideli, Dilecto Georgio Cassandro Theologo [1]).

§ IX. *Ferdinandus vult Concilium generale celebrari.* — Multum in eo, exemplo Sigismundi Imperatoris, sudabat, ut generale in Europa celebraretur Concilium ad tollendos ex Ecclesia abusus. Quanto magis autem Ferdinandus urgebat et adnitebatur, tanto magis R. P. refugiebat et evitabat. Consensit tandem sero ad Ferdinandi et aliorum Regum ac Principum desideria, Concilium indixit Tridentum ac inchoavit anno 1545 die XIII Decembris [2]). Ubi comparuerunt Ferdinandi quoque Legati variis instructi petitionibus in Concilio proponendis et urgendis, quae hic legi merentur. Petitio

1*a*. Ut prius tractetur de morum reformatione, deinde de dogmatibus.

2*da*. Ut ea emendentur, quae ad Sanctitatem suam ejusque Statum et Curiam pertinent.

3. Ut reducatur numerus Cardinalium ad XII aut XXIV.

4. Ut provideatur tot dispensationibus, quae mittuntur extra curiam, quae pariunt magna scandala.

5*a*. Ut exemptiones contra jura communia tollantur, Basilicae ac Monasteria omnia sub potestatem sui ordinarii revocentur.

6. Ut singula beneficia seu dignitates singulis tantum Personis dentur.

7. Ut cessent incorporationes et uniones.

8. Ne ex reservationibus ullis aut commodis inducatur Pluralitas beneficiorum.

9. Ut singulis annis habeantur Synodi.

10. Ut nihil exigatur pro ulla re spirituali.

11. Ut prorsus simonia tollatur.

12. Ut constitutiones juris positivi non irrogent poenam peccati mortalis, sicuti illae, quae juris divini sunt, aut saltem restringantur.

13. Ut psalmi et divina officia magis devote et non ita praecipitanter celebrentur.

14. Ut Missalia, Breviaria et libri, chori repurgentur, et resecetur prolixitas numeri Psalmorum et orationum.

15. Ut vernacula lingua aliqua etiam in divinis officiis inserantur fideliter versa.

---

[1]) Mat. Christian. Theatr. pag. 1087.

[2]) Canones Concil. Trid. pag. 13.

16. Ut clerus reducatur ad vitae primam puritatem, habitu, vita et doctrina.

17. Communio sub utraque specie administretur.

18. Conjugium sacerdotibus concedatur.

19. Ut esus carnium concedatur.

20. Ut, donec boni sint Parochi, unus inserviat multis beneficiis, aut ex sectariis admittantur et doceantur.

Varia sunt, quae proponebat et urgebat Ferdinandus per suos Legatos in Concilio diversis vicibus, cum durasset per octodecim annos. Syllabus Postulatorum Ferdinandi jam Caesaris exstat, ubi postulabat, ut

I. Concilium non abrumpatur, nec suspendatur, nec sine totius concilii et principum catholicorum consensu finiatur.

II. In sacro concilio nationum deputationes fiant, et personae deputandae eligantur in singulis nationibus ipsaeque nationes tam ex Episcopis, quam ex Legatis episcoporum ad concilium missis constabunt.

III. Proponendi facultas in Concilio non solum sit penes pontificem et ejus legatos, sed etiam apud episcopos et principes seculares. Decretumque primum scilicet proponentibus Legatis declaretur sub hac forma, quod Legati proponant omnia quae sibi oblata fuerint ab episcopis et principum oratoribus per se ipsos proponere omnia, quae ad fidem et mores pertinere videbitur.

IV. In Concilio patribus sit liberum dicere de rebus propositis, et liberum sit etiam de omnibus definire: nec opus sit Romam recurrere circa ea, quae proponenda aut definienda sunt in concilio.

V. In concilio ad minus sunt duo notarii, aut ex qualibet natione unus eligatur notarius, sicut factum est in Constantiensi Concilio.

VI. Ecclesiae Reformatio tam in capite quam in membris a Concilio generali legitimo in spiritu sancto congregato fiat.

VII. Summus Pontifex Christi exemplo se humiliet et patiatur reformationem circa personam suam et statum et curiam.

VIII. In generali concilio fiat reformatio conclavis et electio Cardinalium reformetur in concilio.

IX. Episcoporum caeterorumque Praelatorum electiones reformentur.

X. Novi Episcopatus erigantur, videlicet ut unus magnus et dives Episcopatus dividatur in plures episcopatus.

XI. Episcopatibus tenuioribus provideatur per unionem Monasteriorum, quae destituta et collapsa sunt.

XII. Episcopi statutis temporibus synodos provinciales et episcopales celebrent, et visitent episcopatum.

XIII. Residentia Praelatorum cujus sit juris (videlicet an divini an humani) declaretur.

XIV. Episcopi legitime impediti aut imperiti idoneos vicarios theologos et coadjutores et canonistas habeant.

XV. Pro administratione spiritualium nihil exigatur.

XVI. Exemptiones cum jure communi pugnantes tam regularium, quam secularium tollantur.

XVII. Dispensationes moderentur et earum licentia coarctetur.

XVIII. Pluralitas dignitatum et officiorum tollatur.

XIX. Modus reservationibus et advocationibus causarum statuatur.

XX. Capitula et canonici cathedralium Episcopo subdantur.

XXI. Beneficia Ecclesiastica et dignitates idoneis ministris conferantur.

XXII. Tenuiora beneficia curata per unionem aut per subtractionem partis fructuum beneficiorum non habentium curam augeantur.

XXIII. Commendae, regressus et coadjutoratus ad successionem tollantur.

XXIV. Non solum simonia, sed omnis simoniae species ab Ecclesia tollatur.

XXV. Cum excommunicatio sit gravissima poena Ecclesiastica, non pro quocunque peccato, neque ipso facto, sed per sententiam definitivam feratur.

XXVI. Statuta de vita et honestate clericorum renoventur et serventur.

XXVII. Monachorum status reformetur nullusque deinceps religionem profiteatur in monasterio non reformato.

XXVIII. Publica et Universalia Gymnasia instituantur, et quae instituta sunt juventur et amplificentur reditibus et privilegiis.

XXIX. Episcopi et Ecclesiae cathedrales et monasteria erigant collegia pro pauperibus studentibus alendis.

XXX. Multitudo humanorum statutorum constringatur.

XXXI. Dispensetur cum aliquibus nationibus circa calicis communionem.

XXXII. Concilium statuat et det operam, ut constituti in sacris ordinibus vivant in castitate.

XXXIII. Catalogus librorum prohibitorum fiat.

XXXIV. Fidei doctrinae Catholicae fiat quaedam summa, postilla quoque pro concionatoribus edatur.

XXXV. Cultus divinus serio et devote peragatur, et horae canonicae devote vel cantentur vel legantur et breviaria et missalia repurgentur.

XXXVI. In Ecclesia germanicas cantiones latinis miscere liceat [1]).

Praecipue urgebat Ferdinandus in Concilio sacram synaxin sub utraque specie administrandam esse; de qua materia exstant Orationes

---

[1]) Confer. de his et similibus Schelhornii Amoenitates Hist. Eccl. Tom. I pag. 576. 586. Tom. II pag. 479 et passim.

Andreae Dudithii et Georgii Draskovitsii Episcoporum ex Hungaria, in concilio recitatae [1]). Alterum est, quod maximopere urgebat conjugium Clericis esse concedendum ad evitanda publica scandala [2]); de quo Pius secundus dicere solitus: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri [3]).

§ X. *Austriacis et Hungaris Religionis libertatem concessit.* — Austriaci cum apud Ferdinandum supplici libello pro Religionis libertate intercederent, concessit, locoque reliquit communionem sub utraque esse administrandam; in aliis ritibus Ecclesiae sese conformarent [4]).

In Hungaria civitatibus Cassoviae, Barthphae, Eperjes, Leuschoviae, Cibinio Religionis libertatem concessit. Tredecim Civitatibus in Scepusio et Proceribus Regni ut secundum verbum Dei sentirent injunxit anno 1555 [5]). Quam libertatem civitatibus montanis anno 1564 confirmavit Maximilianus cavitque, ne iis a quoquam injuria ratione Religionis inferretur.

§ XI. *Ferd. expostulat. — Literae Dudithii ex Concilio.* — Durante Concilio cum animadverteret Ferdinandus speratam in Doctrina et Moribus reformationem minime successuram; quoniam naturali et decenti ordine causae non tractarentur, qua Patronus et Protector Ecclesiae gravissimas ad Pontificem dedit literas, in quibus cum dolore recenset fatigia sua ac labores in uniendis Principum animis comsumptos, et componendis rebus turbidis impensos; qui omnes in nihilum recidant oportet, propter disordinem in Concilio observatum, ubi libera Legatorum vota non sunt, sed clancularia agitantur conventicula, et omnia in emolumentum Romanae dirriguntur Aulae [6]). Conclusiones Concilii displicebant Ferdinando, Maximiliano Hungariae Regi, Regi Galliae, Electori Bavariae et aliis Populis ac Nationibus [7]). Non enim attendebant utilitatem Christianismi, sed confirmationem quoquo modo authoritatis papalis, prout fuse Legatus Hungariae Maximiliano Regi Andreas Dudithius, Quinqueecclesiensis tunc Episcopus, ex Concilio rescripsit in haec verba:

Quid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiae? si causa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus quamvis pauci magnas copias adversariorum: sed cum numerus tantum prodiret in

---

[1]) Lorandus Samuelfy edidit has orationes Halae an. 1743. Sub eo nomine latet Godofredus Svartz. Polan. Hist. Concil. Trid. p. 486. 505. Timon Purp. Pan. p. 50.

[2]) ll. cc.

[3]) In elogiis Aeneae Sylvii p. 191. Platina in Vita Pii 2di p. 762.

[4]) Polan. Hist. Concil. T. pag. 359.

[5]) Historia Ref. p. 107. Hejdeg Hist. P. pag. 477. Timon p. 154.

[6]) Polan. Hist. Conc. p. 617. 618.

[7]) Lorand Samuelfi in Vita Dudithii pag. 59.

aciem, quo longe inferiores futuri fuissemus, in optima causa victores discedere non potuimus, singulis nostris centenos de suis Papa potuit opponere, ac si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat quotidie famelicos et egentes Episcopos ex majori parte barbatulos adolescentes luxuque perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papae voluntatem dicendam, indoctos quidem illos et stolidos, sed tamen impudentia et audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papae accesserant, tum vero victrix exultabat iniquitas, neque decerni jam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papae potentiam luxumque defendere summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis et eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat; hic ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac insectatione a concilio ad probandum quae nollet traducebatur. In summa in eum statum res est adducta, istorum, qui illuc facti institutique venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum sed larvarum, non hominum sed simulacrorum, quae nervis moventur alienis, ut Daedali statuae fuisse perhibentur, concilium illud videretur. Erant Episcopi illi conductitii plerique, ut utres rusticorum musicum instrumentum, quos ut vocem mittant inflare necesse est. Nil habuit cum illo conventu spiritus sanctus commercii; omnia erant humana consilia, quae in immodica et sane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illic responsa tanquam Delphis aut Dodona expectabantur: illinc nimirum spiritus ille sanctus, quem suis conciliis praeesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur, qui quod admodum ridiculum est, cum aliquando ut fit, aquae pluviis excrescebant, non ante advolare poterat, quam inundationes desedissent. Ita fiebat ut spiritus non super aquas, ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam et singularem dementiam! Ratum nihil esse poterat quod Episcopi tanquam plebs sciscerent, nisi Papa autor fieret[1]).

Hoc est concilium Tridentinum fama per orbem celebratum, ubi anathemati subjiciebantur singuli divortium ab Ecclesia Romana facientes. Conclusa autem rejiciebant vel ii, qui ab ea non recesserant aperte, prouti Galli ad hunc usque diem non omnia ejus placita amplectuntur[2]).

§ XII. *Olahus conatur vulgare placita Concilii, non potest.* — Finis ubi Concilio Tridentino impositus est, in id incumbebant quorum intererat ut Placita ejus vulgarentur. Archiepiscopus quoque Strigoniensis Nicolaus Olahus Synodum Tyrnaviae coegit in hunc scopum ut ejus Concilii conclusa ad notitiam Hungarorum deduceret. In hunc finem Seide-

---

[1]) Extat Ep. Polani Hist. Concil. Praefixa. Berniera in Comp. Hist. pag. 30.

[2]) Laetus in Comp. Hist. pag. 409. Petavius in Canonio Conciliorum ad an. 1549. Berniera in Compendio Hist. pag. 48.

lium Jesuitam ab arte et ingenio instructum ad civitates montanas ablegavit, ut concionibus suis ad Concilii conclusa acceptanda animos praepararet; verum ille a Magistratu tacere jussus ad Archiepiscopum redire coactus est[1]). Placita ergo ejus Concilii in Hungaria publicata fuisse aliquando non apparet ullo vestigio; imo vero ne quidem poterant ea aetate publicare, cum vix aliqui ex Magnatibus Romano Catholicam sequerentur Religionem, fatentibus id vel ejus Concilii propugnatoribus[2]).

§ XIII. *Pii P. IV bulla de calice concedendo.* — Ferdinandus unum ex suis Episcopis Venetias ablegaverat in Graecorum Ecclesiam, ut ibi observaret ritum sub utraque administrandi sacram coenam[3]). Quae ut in Ecclesia restitueretur enixe per suos in Concilio Legatos urserat, verum Episcopi definire in Concilio non ausi commiserunt Pio IV Pontifici, qui anno 1564 16 Aprilis urgentibus adsensit; de quo suum Diploma ad Archiepiscopum Salisburgensem expediit, qui tam Caesari Ferdinando, quam Bavariae Duci Alberto reddidit. Bulla ad Olahum Archiepiscopum directum talis est:

Pius Papa Quartus. Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cum sacrosancta Tridentina Synodus, in sessione de sacrificio Missae habita, deferendum ad Nos esse decreverit negotium, alias in eadem Synodo propositum, de usu sacri calicis, alicujus nationis et regni populis concedendo, ut id Nos consilium caperemus, quod animabus ipsum calicem petentium salutare futurum esse judicaremus. Peracto Concilio charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum Imperator electus, insigni et perpetuo suo pietatis zelo adductus, re prius, sicut ad Nos scripsit, communicata cum nonnullis praecipuis sacri Romani Imperii Praelatis ac Principibus Ecclesiasticis, et dilecto filio, nobili viro, Alberto Bavariae Duce, genero suo, per literas et per oratorem suum diligentissime nobis exposuit ingens evidensque periculum, quod in provinciis inclytae nationis Germanicae et aliis regnis ac dominiis suis imminet religioni Catholicae, ne ibi penitus extinguatur; propterea, quod illae Catholicorum reliquiae tanto desiderio communicandi sub utraque specie teneantur, ut non pauci jam ad haereticos sese ob eam ipsam causam contulerint, a quibus catholicae fidei veritatem abjurare coacti sunt, et de caeteris (nisi calicis usus ipsis concederetur) ne idem faciant, atque ita omnes ab Ecclesia recedant, verendum sit. Itaque vehementer nos exoravit, obsecravit, et institit, suo et ipsius Ducis Bavariae nomine, ut tot Ger-

[1]) Timon in Epitome Chronol. pag. 188.

[2]) Peterfy in S. Concil. Eccl. Hung. Tom. II. pag. 152. Lorandus Samuelfy in Vita Dudithii pag. 57. In Oration. David Chytraei Super Maxim. II. pag. 94.

[3]) In Oration. David. Chytraei super Maxim. II pag. 94.

manicae nationis et regnorum ac provinciarum suarum populis opitulari, pro concessa Nobis a Domino potestate vellemus. Qua eadem de re idem Bavariae Dux, Princeps non genere magis, quam pietate insignis et nobilis per oratorem ipse quoque et per literas diligentissime nobiscum egit. Multi praeterea doctrina, religione prudentiaque praestantes viri Nos hortati sunt.

Commota fuerunt perinde ac debuerunt ac penitus concussa viscera Nostra, dolore quodam intimo, postquam de tot animarum jactura, pro quibus Christus Dominus noster pretiosissimum suum sanguinem in ara crucis effudit, et de tanto ac tam manifesto discrimine, quod Catholicorum reliquiis in illa nobilissima natione et dictis regnis ac dominiis impendet ex tam piorum Principum et aliorum gravium virorum testimonio cognovimus. Huic igitur periculo quod proponitur pro pastorali officio cupientes obviam ire, et multorum infirmitati paternae charitatis visceribus subvenire, ne unquam de nobis dici possit, tot pereuntes a nobis neglectos fuisse et non fecisse Nos quicquid potuerimus, ut nutantes confirmaremus, lapsos erigeremus, errantes in salutis viam reduceremus; de Fraternitatis tuae zelo, diligentia et circumspectione consilii, si ita esse et saluti animarum expedire cognoveris, in quo conscientiam tuam oneramus, tibi et iis, qui maturo rectoque judicio subdelegabuntur a Te, tenore praesentium, de Potestatis Apostolicae plenitudine facultatem damus atque concedimus, eligendi et deputandi Catholicos sacerdotes, qui in provincia tua utramque speciem, decenti ordine servato et omni offensione vitata, quae oriri possit inter communicantes sub utraque et sub una tantum specie, ministrare possint, illam ex devotionis fervore petentibus; dummodo, qui illam petierint cum sancta Romana Ecclesia communionem habeant et cum caeteris in rebus fidem ejus doctrinamque sequantur; tum hocque confiteantur, profiteantur et credant: in sanctissimo Eucharistiae sacramento, tum sub una, tum sub utraque specie, verum et integrum corpus Christi esse, nec Romanam Ecclesiam errasse aut errare, quae exceptis duntaxat sacerdotibus celebrantibus, caeterosque tam clericos quam laicos, sub specie tantum panis communicat. Et praeterea contriti et confessi, munere sacramentalis absolutionis accepto, ad ipsam sub utraque specie communionem accedant. Ut vero etiam lapsis, si ad gremium Matris Ecclesiae redire voluerint, remisso rigore canonum, consulamus, permitttimus, ut si vere et ex animo resipiscant, erroresque et haereses in quibus fuerint, apud Te vel subdelegatos abs Te detestentur, abjuratio eis secreta sufficiat; injuncta tamen eis poenitentia salutari, nisi magis eam abjurationem publice fieri expedire Tibi ipsisve subdelegatis visum fuerit, quod arbitrio vestro relinquimus. Atque ita ab omnibus poenis, censuris et sententiis, in quas propter haeresis crimen incurrerint, absoluti et fidelium


DATE CAESARI QUAE SUNT CAESARIS.
FER.


DATE DEO QUAE SUNT DEI.
15 46
ORATIO

unitati ac sacramentis Ecclesiae restituti, ipsi quoque ad communionem sub utraque specie admitti possint. Illud Fraternitatem tuam monemus et diligenter curare volumus ac mandamus, ut confessores ac sacerdotes abs Te illisve, quibus Tu hanc potestatem subdelegabis, eligendi et deputandi in concionibus et exhortationibus sedulo populum sub utraque specie communicaturum doceant, adhortentur et moneant ut integrum Christum sicut diximus, tam sub una, quam sub utraque specie contineri, fideliter credat, confiteatur et teneat. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima sexta Aprilis, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus nostri anno quinto.

Antonius Florebillus Levellinus [1]).

§ XIV. *Ferdinandus Monetam cudit in rei memoriam.* — Accepto Pontificis Diplomate de Coena Domini sub utraque specie administranda, ingenti perfusus gaudio spem etiam de aliis articulis reformandis concipiens certam, in memoriam vero ejus rei Monetam cudi fecit, in cujus parte altera haec Epigraphe legitur subjuncta effigiei Ferdinandi: Date Caesari, quae sunt Caesaris. Iconi subjectum Nomen hoc modo Fer. i. e. Ferdinandus. In parte autem altera visitur Calix Eucharisticus cum inscriptione: Date Deo, quae sunt Dei 1564; fundamento autem calicis subjecta vox: Oratio [2]). Mire Caesar exhilaratus sub utraque specie communicavit, tandem paucos post dies decessit die XXV Julii anno 1564, in Christum solum salvatorem votis et fide reclinans [3]). Vita exemptus pientissimus Imperator, quae sanctissime orsus erat, perficienda reliquit Filio Maximiliano; qui Diploma Pontificium Nicolao Olaho Archiepiscopo injunxit publicandum, quod etiam fecit; de quo ita Istvanfius [4]): „Dum haec in Pannonia et Transylvania per hunc modum aguntur, Communionis Eucharistiae sub utraque specie usus a Pio IVto Summo Pontifice ad quam ea res communibus Patrum Tridentinae synodi decretis et suffragiis delata, his regnis et provinciis, quas Itali ultramontanas vocant, benigne usque ad tempus experiendi causa, an hac ratione homines ad veritatem Catholicam revocari possent concessus est, idque ejus permissu a Nicolao Olaho Archiepiscopo Strigoniense, Tyrnaviae, atque a caeteris Antistitibus, Agriae, Jaurini, Nitriae, ac in Illyrico Zagrabiae passim publicatum. Sed et in Castris Svendii, sacerdotibus, qui sacra faciebant, data fuit facultas, illam iis, qui vellent per eum modum administrandi."

§ XV. *Calicis usus a Pio V sublatus.* — Maximilianus telam a Patre

---

[1]) Peterfy Sacr. Conc. Eccl. Hung. Tom. II. pag. 157.
[2]) Luckius in Syllog. Numism. pag. 211.
[3]) Hofman in voce Ferdinand. I.
[4]) Hist. Lib. XXII pag. 451. Bel in Notitia Hung. 483. Timon Epit. 196.

Ferdinando orsam ulterius pertexere satagens per literas requisivit Pontificem, ut concesso jam eo, quod pluris videbatur, concedat etiam quod minus est. Impertiatur nempe clericis eam libertatem, qua pro lubitu matrimonium contrahere, qui velint possint, aut in coelibatu vivere[1]). Hoc medio putat concordiam in Ecclesia stabiliendam. At ad evertendam hoc Cathedram Romanam Pontifex ratus adsensit minime, imo e vita Pio IVto discedente Pius Vtus ejus successor sustulit quoque usum calicis e coena Domini, ob eam plane rationem, ob quam Praedecessor concesserat, ne multorum animae periclitarentur[2]). His ita peractis confirmabatur in Hungaria Reformatio, nam ad oculum cuivis demonstrabatur, errasse eos, qui, e sacra Eucharistia sublato poculo, Christi institutioni utramque speciem exhibere jubenti contrariarentur demonstratumque, errare posse non solum Pontificem, sed et totum Concilium in suis conclusis. Biennium enim nondum a Concilio Tridentino transierat, ubi sub una specie exhibendam communionem putabant Patres Concilii, cum Pius IV sub utraque Bavaris, Austriacis, Bohemis, Moravis, Hungaris exhibendam decrevit. Nondum annus effluxerat, cum Pius V scita ejus rescidit. Quo facto non solum illi confirmabantur in veritate, qui ab Ecclesia Romana recesserant; sed etiam illi, qui in ejus adhuc gremio erant, in dubium vocabant Ecclesiae Romanae instituta, ac iis relictis puro adhaerebant verbo Dei. Haec ubi legunt moderni Romano Catholici, quidam rotunde inficiantur, acsi fieri per rerum naturam non potuerit, veluti Spondanus caetera celebris Historicus. Fatentur alii tot circumstrepentes observantes Historicos, at experiendi tantum gratia factum esse cavillantur contra Pii IV aperta verba in Bulla extantia.

§ XVI. *Maximilianus qualis.* — Maximilianus Rex Hungariae ac tandem Imperator, qualis fuit in Religione, apparet ex ejus dictis et factis. Ad Augustum Saxoniae Electorem ita aliquando locutus est: Frater tuae ego sum doctrinae et fidei, sed age quaeso viam ostende extricandi me e labyrinthis, quibus involutus haereo. Et cum Selneccerus offerret ei Psalterium suum, audiit eum clementissime atque ita respondit; Quod moneor de Constantini, Theodosii et Martiani exemplis imitandis, agnosco pietatem, sed quis ego sum, aut quid et quantum ego possum? orate pro me misero, qui in doctrina vestra per Dei gratiam vivam et moriar[3]). Austriacis cultum Dei secundum Augustanam Confessionem, prout Genitor ejus Ferdinandus concesserat, confirmavit anno 1568. Scholas Graecii, Lintzii, doctis viris Lipsia ac Rostochio evocatis quales

---

[1]) Timon Epitom. pag. 196.
[2]) Peterfy Tom. II. pag. 183.
[3]) M. Christiani Theatro Histor. in Maxim. II pag. 1094.

erant David Chytraeus, Joachimus Camerarius, restauravit, per quos ritus Ecclesiae ordinavit, juventutem diligenter erudiit [1]).

In lecto emortuali nil praeter Christi meritum commemorari permisit et ex solo Dei verbo consolari voluit, quod etiam egregie praestitit Lambertus Gruterus Episcopus Neapolitanus [2]). Ita merito Christi innixus, suis vero renuncians, mundo exemptus est anno 1576, aetatis suae quadragesimo nono. Haec quicunque legit ac considerat, ni perfrictae sit frontis, non potest negare, Ferdinandum ac Maximilianum Patronos fuisse Reformationis multumque ejus progressum juvisse.

§ XVII. *Magnates Ref. Religionis.* — Proceres Reformatae addictos Religioni tempore Reformationis et consequenter per integrum seculum decimum sextum in Personis describere et eorum acta factaque religiosa enumerare infiniti esset laboris. Dabo igitur Familiarum saltem nomina, et quosdam etiam in Persona descriptos ex Familiis. Unde appareat non infimam plebem, sed totius Regni Hungarici ac Transylvanici Proceres verbum veritatis secutos fuisse, ac Reformationis Fautores extitisse. Reformatis pauci quidam Augustanae Confessionis intermixti sunt. Hic autem non dignitatem Familiarum, sed ordinem sequar literarum.

Apafi. Familia vetustissima in Transylvania, originem ducit secundum mentem W. Bethlen [3]) ex Hungarorum Rege Aba. Ex aliorum autem sensu juxta cum Bethleniis ex prosapia Regis Stephani per Saroltam sororem. Gregorius Apafi erat Aulae Praefectus Joannis 2di Regis et Consiliarius; hic idem cum anno 1581 Sigismundus Bathori in Wajvodam esset eligendus vehementer contranitebatur objectans Sigismundi pueritiam: puerum enim qui laudat, non rem sed spem laudat, quae plerumque fallit [4]). Hic cum Filiis ac nepotibus Reformatae semper fuit addictus Religioni. Michael Princeps pronepos istius fuit.

Bakos de Osgyán.

Balassa. Familia antiquissima de Gyarmat et Detrekö, ex qua plurimi Heroes virtute bellica inclaruerunt ac copiarum Praefecti extiterunt, testantibus id Patriae Historiis. Vratislaviae in Silesia in Templo de Magdalena nominato ad latus Altaris dextrum visitur Epitaphium Johannis Balassa, quod quia in ornamentum Familiae Balassianae et tunc florentis Dobonianae pertinet, huc transferre non pigebit. Est autem taliter:

---

[1]) In oratione D. Chytraei super Maxim. II pag. 95.
[2]) In Theatro Hist. pag. 1099.
[3]) Lib. V pag. 249.
[4]) W. Bethl. Hist. Lib. V pag. 359.

In memoriam Obitus

Generosi ac Magn. Johannis Balassa Liberi Baronis in Gyarmath, Patre Valentino, Avo Johanne quondam Balassa, olim supremo Comitatus comite et Capitaneo Veteris Zoliens ac Cons s. c. et Regius, Matre Illust. et Magnif. olim Domina Christina Dobo filia Illust. et spectabilis Magnifici quondam Domini Stephani Dobo de Ruszka, alias Wajvodae Regni Transylvanici et Comitis Siculorum et Comitatus Bars, nec non amissae jam pridem Arcis Agriensis, tunc memorabili obsidione Turcica invicti Conservatoris et supremi Capitanei. Ejusdemque Sac. Caes. Regius cons. Nati. Cujus antiquissima Prosapia prima Hungarorum de Gente A. a Christo nato 1229 potissimum virtute Militari ad fastigium Baronatus evecta, successiveque per omnem Posteritatem Regio Ducatus, Wajvodatus, Comitum aliorumque officiorum ac honorum dignitatibus Regni Hungarici florentis patruo et matruo sanguine magnifice semper ad hunc usque diem crescente, aucta et dilatata est. Id ipsum multisque Privilegiis Privatisque Annalibus sive Histor. Regni Hung. et Divorum Regum testan. Patreque Valentino Strigonii oppugnatione, Fratreque ejus germano Francisco als Arcis Tokay Militum Praesidiariorum Ungaricor umcerti Exercitus Campestris dicti Sac. Rom. Imp. R. q. ttis Capitaneo in conflictu Spean cum potentissimo Tartarorum Chanio admisso eodem anno 1594 sub praecedentibus Regni bellorum anfractibus et praeliis pro gloria Dei, Aris et Focis Patriae, dulcique Posteritate atque pro tota Christianitate solerter dimicantibus. Ipsisque solo praefato Johanne haerede virtutis paternae ac avitae sectatore relicto. Et eodem ipso Johanne exacto aetatis anno XVI studiorum et linguarum perdiscendarum causa in hanc Urbem translato XVIII Decembris 1601 fatis cedente et ad Patres transmigrantibus Illust. spect. et Magnif. Dominus Franciscus Dobo de Ruszka Liber Baro Civitatis muratae et Arcis Saros Patak, Zednitze &c Comes Comitatus Bars, praedicti et aliis Generalis Capitaneus partium Regni Hungariae inferiorum cis Danubianorum ac consiliarius sac. caes. et Regius; praefati Domini quondam Stephani Dobo olim Wajvodae Transylvani Filius &c defuncto Johanni Balassa Nepoti suo ex dicta sorore charissima moestus propriis expensis Amoris ergo P. Sepultus XIV Martii A. MDCII Sub vicino Lapide[1]).

Bánfi. Notissima Familia in Historia Hungarica de Lindva et Losontz. Inter Lindvaienses erat Nicolaus Comes Comitatus Szala supremus ac Archipincerna Maximiliani Secundi. Wolphangus Banfi de Losontz Consiliarius sub Principibus Bathoriis. Hic Filium Franciscum anno 1587 XVIII May Bontz-Hida necessariis ad iter instructum dimittens per Kezdi

[1]) Cum Vratislaviae morarer descripsi a: 1743.

Vasarhellyinum in Moldaviam, Russiam, Cassubiam, Masoviam, Prussiam, Pomeraniam, Marchiam, ablegavit Vittebergam ut ibi moraretur studiorum gratia. Cujus iter Johannes Detzius ejus Gubernator descripsit ac edidit [1]) Wolphangoque Patri Banfilosontzio his versibus commendavit:

Accipe pacato, Mecaenas, inclyte, vultu
  Historiam nostrae cunctaque gesta viae.
Felix qui mores hominum cognovit et urbes
  Altaque cum populis plurima regna suis.
Nam veluti variis messis cumulatur ab agris
  Sic varius veras comparat usus opes.
Gloria sic clari melius celebratur Ulyssis,
  Annos dum toto currit in orbe decem.
Sic viget Aeacides, sic virtus Jasonis atque
  Sic pius Aeneas nomina clara tulit.
Nos quoque quod tulimus tam taedia longa viarum
  Proderit has olim commemorare vias.

Edidit quoque Petrus Albinus Nivemontius Illust. Elect. Saxon. Historiogr. et Professor Witeberg. sequens Epigramma in iter Generosi Domini D. Francisci Banfiloson cii:

Lascus apud celebres encomia pulcra Polonos
Promeruit longae per tria lustra viae.
Qua permensus erat triplicis vaga climata mundi,
  Legerat et vasti littora curva maris.
Hanc etiam ad laudem aspirat Franciscus in Hunnis
Fortibus antiqua nobilitate satus
Quam Pater ad magnas Patriae spes educat: ambos
Praesidio incolumes protege Christe tuo [2]).

Báthori. Familia antiquissima unde multi Transylvaniae Principes, Palatini, Judices Curiae, Rex quoque fuerunt sago togaque clarissimi Heroes. Ab initio Reformationis favebant Religioni ex puro Dei verbo reformatae. Stephanus Bathori sub Rodolfo Rege Judex Curiae cum dilecta sua conjuge Euphrosyna Druget Homonnai accito ex Germania Typographo Biblia Hungarica in suo oppido Visoly anno 1589 procurante

---

[1]) Hodoeporicon extat an. 1587 editum Wittebergae.
[2]) Extat in Hodoeporico edito tunc a Decio Gubernatore Banfii.

versionem Caspare Károli Ministro Göntziensi duobus Tomis in folio nitidissime prodire fecit.

Batyani. Familia haec antiquissima in initio adhuc Reformationis Reformationi adsurrexit. Urbanus Battyani Consiliarius Isabellae Reginae Fautor et Patronus Reformationis exstitit. Unde Martinusius veneno eum per famulum pretio emptum sustulit, quem deploratum Isabella honorificentissime sepulturae mandavit. Hinc varii extiterunt clarissimi Heroes Reformatae Religionis.

Bebek. Georgius et Franciscus Bebek fuerunt Wajvodae in Transylvania; in initio Reformationis statim favebant Evangelio et promotum ibant meliorem causam.

Bethlen. Antiqua non minus quam inclyta est Bethlenorum prosapia in Transylvania, unde itidem extiterunt semper Fautores Religionis, quae est secundum Dei verbum. Tales erant: Alexius B. Wajvoda Transylvaniae sub Ferdinando; Wolphangus Bethlen, pater Gabrielis et Stephani tandem Transylvaniae Principum, qui sub Johanne secundo et Stephano Bathori Rege Poloniae Generalis Militum Praefectus erat.

Bornemiszsza. Hinc Wolphangus Bornemiszsza de Kapolnas, qui magnum Ecclesiae Dei columen circa annum 1560 erat.

Botskai. Familiae hujus antiquissimae admirabilem originem ex oratione aut potius Genealogiae deductione vernacula super funere Stephani Botskai ultimi Familiae Claudiopoli anno 1672 recitata huc transferre non videtur inconsultum.

Regnante Bela quarto Hungariae Rege, Bathus Rex Tartarorum quinquies centenis millibus magno furore Hungariam inundaverat, omnia rapinis caedibusque miscens, deleto exercitu Belae ad fluvium Sajo. Rex in Hungaria subsistere non valens tres annos in exilio extra Hungariae fines consumpsit. Interea de auxilio tam Romanorum Imperatorem, quam alios Reges ac Principes interpellabat. Plurimi ex Italia, Gallia, Germania Christianitatis solius affectu commoti, cum exercitu bene ordinato confluebant ad Regem in suum Regnum deducendum et Hungariam, quae semper antemurale Christianitatis exstiterat, a jugo Paganorum liberandam; qui fama adventus sui terrorem hostibus incutiebant. Erat inter istos militari prudentia clarus Comes Simon de Mitzbán, qui ad crebras exulantis Belae sollicitationes venerat in Hungariam, multamque impenderat operam, ut Regem Hungariae et antiquam libertatem, abactis hostibus, cum aliis Heroibus restitueret, quo labore immortalem sibi acquisivit gloriam; remuneratus quoque est a Rege castellis aliquot dominiis ac officiis tanto viro dignis. Quibus muneribus ita eum Rex Hungariae devinxit, ut, deposito in Patriam redeundi animo, perpetuum in Hungaria domicilium figeret, uxoreque in Hungariam delata, in servitio Belae Regis esse semper cuperet.

Cum jam in Hungaria resedisset, uxorem Comitis Simonis Mitzbán, jam diu sterilem nullaque prole beatam, paupercula geminorum uno partu parens stipem quaerendi gratia accessit; quam ubi Comitissa durioris animi mulier conspicata esset, ita ad maritum locuta est. Fidem nullo pacto datura sum, hanc geminorum matrem effectam esse ab uno eodemque marito, ob quae verba acrius Comes conjugem objurgavit. At illa dixit ad maritum: Esto me nunquam sceleris puram habiturus sit maritus, si uno partu gemina prole facerem parentem. Quid tandem factum? vindex Dei oculus non tulit inultam procacem pauperculae irrisionem ac contemptum. Verum in Comitatu Zempleniensi Arce Borostyán, quam ex clementia Regis ibidem possidebat, uno onere Comitissa septem protulit filios. Quos ubi vidisset consternata, redeuntibus etiam in memoriam verbis ad mendicam sinistre prolatis, unum e filiis reliquit, sex anui fidelissimae concredidit perdendos. Praefectam Gynecaeo anum in campo obviavit Comes ex venatu domum suam repetens, exquisivitque quidnam ferret? cui cibum ferre respondit anus. Paululum progrediens mira Dei providentia infantes apud mulierem ejulare occeperunt. Ejulatum percipiens dominus perspexit dolum: pueros propius inspexit seriemque negotii ab anu edidicit omnem. Celare totum negotium volens juramenti religione anum adstrinxit, quod nemini revelabit factum comiti innotuisse, imo apud Heram etiam simulabit infantes esse perditos. Interea Mitzbán pueros seorsim in propriis pagis certis hominibus concredidit nutriendos et educandos absque scitu matris perdere volentis. Cum essent bimuli, veste uniformi vestitos, die quodam solenni, clam sex illos opinione infelicis matris perditos, allatos, septimo adjunxit, ac coram convivis ita uxorem affatus: Num optares singulos hos septem pueros ex te prognatos? Certe, respondit. Cui poenae addicenda esset ea mulier, quae sex tales pueros perdidisset? Morti praesentissimae. Tunc coram convivis rem Comes enarravit omnem. Interea uxor animadvertens scelus suum erga Deum, Maritum, et affectum maternum, veniam genibus advoluta Mariti orabat, ac etiam exoravit.

Nomina puerorum erant Boxa, Dietericus, Georgius, Dionysius, Simon, Thomas, Demetrius. Quos educavit Pater et seorsim in Possessionibus collocavit. Demetrius vivente adhuc Patre coelebs defecit. Sex statum conjugalem consecuti, diversas Familias proseminarunt e loco educationis denominatas, nimirum: de Boxa originem traxit Familia Szürtei quae jam pridem defecit: de Dieterico Familia Szereda Sellyi, quae etiam defecit; de Thoma Familia Tsapi de Polyanka, etiam defecit; a Georgio Familia Sos de Sovár, quae adhuc superest in Hungaria; de Simone Tsapi de Eszeny, defecit; a Dionysio prognata Familia Botskai de Botskò, quae defecit in Stephano Botskai,

quiob Religionem Patria pulsus in exilio mortuus est Claudiopoli, anno 1672 [1]).

Tota hujus Historiae series artifici acu, opere Phrygionico praecinctorio muliebri artificiosissime adpicta est atque illata ad conservandam tanti negotii memoriam; quod regnante Principe Gabriele Bethlen in arce Essed adhuc conservabatur [2]). Nunc ubi sit si adhuc extet, incertum.

Ex hac nobilissima Familia excellentissimi plures extiterunt Heroes, Patroni et fautores Reformationis, quales erant Stephanus Botskai Princeps, pater ejus Georgius, et avus Stephanus: tales Ladislaus, Nicolaus, Andreas, Gregorius &c. E sexu muliebri praeteriri hic non debet Elizabetha Botskai Christophori Bathori Wajvodae conjunx, quae pietate erga Deum, misericordia in egenos, suavissimis moribus ac comitate denique erga omnes hoc promeruit ut status Regni argentea ac aurea cum ejus insignibus et nomine procuderent [3]) numismata. Conabatur Sacra Biblia popularibus suis edere propriis sumptibus, quem tamen conatum mors propera praecidit. Eadem aetate vixit insignis Heroina Clara Botskai castissima conjunx Johannis Tsapi de Eszen, fidelis ac benignissima Ecclesiarum nutrix, quae vivis exempta anno 1586, postquam Elizabetha Wajvodae conjunx exspiraverat anno 1581.

Darotzi. Eximia erat Heroina Sofia Darotzi conjunx Nicolai Zolyomi de Albes, quae LXXV annos vixit, quos paucis exceptis in viduitate exegit, miserorum orphanorumque mater, viduarum tutrix et Ministrorum verbi Dei nutrix liberalis.

Dersfi.

Dobo. Stephanus Dobo magnam sibi acquisierat gloriam in Agria adversus Turcarum vires defensa. Factus est Transylvaniae Wajvoda anno 1555, quam in rationem Ferdinandi administravit. In conjugio vixit cum pientissima Domina Sara Sulyok, quae erga scholam Patakinam nutricem praestabat eximiam. Parentum indolem sequebatur filius Franciscus Dobo, Patronumque exhibebat se ad scholam S. Patakensem liberalissimum [4]).

Dubithius. Andreas ab Horehovitza, qui aliquando de materno genere etiam Sbardellatus cognominatur, vir natalium claritate, ingenio omni scientiarum genere exculto, judicio, rara latine dicendi scribendique facultate; in negotiis explicandis prudentia ac solertia praestans, ad haec totius corporis forma, gestu et oris renidentis gravitate conspicuus,

---

[1]) Historia S. extat inter Orationes super funere Stephani Botskai recitatas et anno 1674 Claudiopoli editas. Vide etiam St. Tzegledi Dedicat. operis Malach Doctor.

[2]) Karolyi Susanna Halotti Pompaja. pag. 219.

[3]) W. Bethlen, Lib. VI. p. 358.

[4]) Apparet ex oratione Bas Fabr. Sziksz. Profess. Patakensis in Obitum Viri Balsaratii anno 1576 Francisco Dobo dicata.

comitate, vitae innocentia omnium, omnium qui unquam eum viderunt, gratiam promeritus. Natus erat Budae in Hungaria, educatus in literarum studiis Patavii, peregrinatus in Anglia et Gallia. In Pannoniam reversus juvenis adhuc ob admirabilem eruditionem et morum suavitatem Tinniensis Episcopus creatus. Ablegatus tandem anno 1562 ad concilium Tridentinum a parte cleri Hungarici, ubi varias orationes ad Patres habuit, quarum duae, una de Communione sub utraque specie, altera de Sacerdotum conjugio, tunc per Germaniam publicatae sunt. In Hungariam e concilio rediens tantam apud Ferdinandum inierat gratiam, ut eodem anno 1563 ad Episcopatum Tsanádensem, mox ad Quinqueecclesiensem ac Consiliarii dignitatem promoveretur. Anno 1565 a Maximiliano Caesare in Poloniam Legatus missus, peracto Legationis munere, missionem ex Aula orabat, sed non exoravit. Tandem anno 1567 deposito Episcopatu abiit in Poloniam ac ex nobili Strassiorum familia uxorem duxit, librumque de Clericorum conjugio licito conscripsit ac ad Maximilianum misit. Usus est ejus ministerio deinceps quoque Maxim. ac post eum Rodolphus, quorum Consiliarius erat. Multum eo facto detrimenti attulit Romano-Catholicis, profuit vero Reformatis. Quamvis observans inter Protestantes odiosam illam multorum discordiam, nulli se admodum adjungebat parti: unde occasio nata est Antitrinitariis, ut ad sua pertrahere castra conarentur. Ediderunt etiam sub ejus nomine post fata literas ad Lasitium, quas merito doctiores fictas esse censent. Habitabat ultimis vitae suae annis Bratislaviae in Silesia, ubi etiam mortuus ac sepultus in Templo Elizabethano, quod contingere minime potuisset, si in Religione Antitrinitaria fuisset extinctus. Monumentum ibidem in orientali latere Templi tale visitur.

D. O. M. S.
Andreae Dudith
ab Horehovitza
Domino in Sigla
Antiquis prosapia, virtute singulari, eruditione multijuga, diversissimarum linguarum excellenti cognitione, plurimarumque et maximarum rerum usu vere illustri incomparabili viro.

III Imp. Ferdinandi I, Maximiliani II, Rodolphi II Consiliario Oratori

Marito exoptatissimo atque desideratissimo, suo et Liberorum nomine multis cum lacrymis
posuit
Elisabetha ex illustri et amplissima Sboroviorum Familia oriunda.

Quae ut in hac vita cum dulcissimo conjuge per annos X conjunctissime vixit. Ita ne mortuum quidem deserere, sed cum eodem in eodem sepulchro quiescere voluit.

Primario, summis Honoribus tum sacris tum profanis Legationibus ampliss. apud exteros Reges et Dynastas maxima cum laude perfuncto, carissimo omnibus, adverso nemini, cunctis admirationi.	Vixit Maritus A LVII. D VII. Obiit Breslae XXIII Febr. MDLXXXIX.	Illa vixit A M D Obiit [1]).

Multi eum e Romano Catholicis frustra denigrare contendunt, laudantibus ex merito itidem aliis. Scripta plurima reliquit. Filius autem Andreas edidit librum de aeterna Christi Divinitate.

Eszterhazi. Familia haec Reformatam profitebatur Religionem ad finem usque seculi XVII, cum Nicolaus transiit ad R. Catholicos.

Forgáts. Plures ex hac antiquissima ac nobilissima Familia exstiterunt veritatis assertores, clarissimi Heroes. Memorabo unicum hic Michaelem Forgats de Gymes, qui dum in Academia Wittebergensi studiis operam daret, Valantino Sarközio, de Modo Considerationis primi Principii ex natura et dispositione universi: quatenus scilicet congruere et cum ipsa revelatione possit, peroranti, sequentia Epigrammata effudit anno 1588:

Quid sibi lata velit speciosi fabrica mundi,
    Errantes stabili quid ratione vices?
Quid rotata poli flammantia sidera motu,
    Largus inexhaustae materiaeve sinus?
Denique quid rerum discors concordia, nexu
    Juncta catenato et lance librata velit.
Ore doces culto, calamoque notata relinquis
    Pannonici caetus, pars generosa Valens.
Dum varias rerum formas ratione peragrans
    Et sophiae pandens, dogmata dia sacrae
Cuncta referre mones, aeternum, immobile, magnum
    In triplici residens numine, numen idem.
A quo principium generis velut omnibus exit:
    Sic ad idem ut finem condita cuncta fluunt.
Macte animo, reliquas pertracta sedulus artes.
    Omnia sunt, noto caetera nota, Deo [2]).

Galfi. Johannes Liber Baro Cancellarius in Transylvania tempore Sigismundi Bathori, magnum Ecclesiae columen.

---

[1]) Thuanus Hist. Lib. XCVI. Theod. Crusius in Miscell. Silesiacis Tom. II. pag. 209 Lorandus Samuelfy de Vita et Scriptis Andreae Dudith Halae 1743. Czwittinger in Spec. pag. 185.

[2]) Extat impressum Epigramme simul cum oratione.

Gétzi. Hinc Johannes Gétzi Gubernator Transylvaniae sub pueritia Sigismundi Bathori, in cujus gubernatione Transylvania pacatissima extitit, usquedum officium resignaret anno 1588, ut vel a malevolis laudem reportaret. Interea Reformatorum egregium demonstravit Patronum. Similiter Franciscus, Andreas et Ladislaus.

Gyulafi. Familia Gyulafi de Rathot in totum fuit hac aetate Reformata; in qua Ladislaus Gyulafi 1575 Generalis Exercituum in Transylvania erat Praefectus, ita Andreas et alii egregii erant Heroes.

Gyulai. Hinc Paulus Gyulai, sub Stephano Bathori Cancellarius in Transylvania, vir literatissimus, quod apparet ex literis ad Georgium Sibrik Capitaneum Varadiensem datis, in quibus prudentis et circumspecti Magistratus depingit officium: quae in tantum aestimabantur, ut cum novi crearentur Varadini Capitanei, semper tempore inaugurationis praelegerentur.

Homonnai Druget.

Horvat. Hinc Marcus Horvat militari prudentia clarus, Bartholomaeus Levensis Budensis, Nandor Albensis et aliorum locorum pro necessitate Capitaneus Supremus, de quo Spondanus cavillatur, fuisse eum Lutheri in Hungaria Apostolum.

Jaxit. Eximiam Reformationis Patronam ac Promotricem praestabat vidua Petri Jaktsit Anna, circa annum 1530, quae amplas inter Chrysium et Marusium habebat possessiones. Haec aere sublevatos in Germanicas dimittebat discendi causa adolescentes Academias. Inter eos erat Johannes Vitus Balsaratius, quem ipsa primum, mox ejus filia matrissans Anna Vittebergae sustentabat, qui in Hungaria tandem celebris evasit M. Doctor ac insimul V. D. Minister[1]).

Jakusit.

Illyeshazi.

Kamuti.

Kapi.

Karolyi. Epitaphium Lad. an. 1587 editum.

Ossa Ladislai sunt hoc sita
pulvere terrae Carolii; coeli
spiritus astra tenet.

Kemeny.

Kendi. Familia haec ex traditione hominum originem ducit a Capitaneo Kund, qui unus erat e septem quando Hungari occuparent Pannoniam. Hinc plurimi erant Heroes Reformati in hac Periodo. Talis erat Franciscus Kendi Wajvoda sub Isabella. Alexander Cancellarius sub Christophoro Bathori, quem interfici jussit Sigism. Bathori, quoniam ejus sententiam probare nollet. Habuit in Thesauris sexaginta aureorum millia. Pari fato sustulit germanum ejus fratrem Franciscum Kendi Consiliarium,

---

[1]) Testatur Basil Fabr. in oratione super ejus obitum an. 1575.

qui habuit simul cum vestibus, gemmis ac unionibus sexies centena florenorum millia aequivalentia, quae a majoribus ad hos devenerant; inferri Sigismundus in publicum Fiscum jussit[1]).

Kovátsotzi. Hinc Wolphangus K. Cancellarius in Transylvania sub Wajvodis Bathoriis, vir variarum linguarum, doctrina politica ac militari instructissimus scientia, qui de Regimine Transylvanico anno 1584 librum edidit. Hunc quoque infelix ille Sigism. Bathori cum aliis consiliariis eodem involvit fato. Bis centena millia aeris parati in Fiscum ex ejus bonis intulit. Quantum Heroem in captivitate et morte se exhibuit, quam imperturbato semper fuit animo, testantur scriptores. Dignus erat meliori exitu, qui tanta pro Patriae ac Religionis commodo pertulerat.

Ladányi.

Liszti.

Lorandfi.

Magotsi. Hinc Caspar Magotsi Comes Supremus Tornensis anno 1563, qui terror Turcarum in sago, solamen Ecclesiae erat in toga.

Mariassi.

Massai. Hinc Eulalia Massai conjunx Casp. Mágotsi, de benefactis laudatissima apud scriptores illius aevi.

Melit.

Nadanyi. Plures ex hac Famila Evangelii adsertores extiterunt.

Nadasdi. Multi ex hac Familia Reformationis Patroni. Memoranda hic etiam est Anna Nadasdi Stephani Wajvodae Transylvani conjunx; quae anno 1561 ad edendum Claudiopoli Lingua Hungarica Novum Testamentum sumptus subministraverat.

Nyári de Bedeg. Magni hinc Heroes Reformationis adsertores, velut Laurentius, Franciscus, Paulus.

Ország de Guti. Hinc Heroina Barbara Ország de Gut, Magnifici prius Francisci Török de Ening uxor, secundis votis Comitis Ecchii Capitanei Jaurinensis; haec sumptus ministravit Valentino Hellopocus Zikzai ad opusculum quoddam anno 1574 Debrecini imprimendum.

Osztrozit de Geletintz.

Patotzi. Hinc varii Heroes Reformati, Nicolaus, Franciscus, Georgius, Balthasar, et conjunx Magnifici Georgii Bebek Sophia Patotzi a P. Melio laudatissima. Extat marmorea ejus statua in Templo Reformatorum Kiiküllövarini cum hac inscriptione: Generosae et Magnificae Dominae Sophiae Pathoci de Eperjes Francisci Filiae, spectabilis Magnifici quondam Georgii Bebek de Pelsöck consortis, Stephanus Bathori de Somlyo perpetuus Comes Comitatus Crazna, socrui pientissimae,

---

[1]) W. Bethlen pag. 563, 564

perpetui amoris tanquam observantiae monumentum posuit. Obiit anno aetatis L, 1 Sept. anno Christi MDLXXXIII.

Pemflinger. Quae familia olim ex Suevia in Hungariam accesserat, atque caeteris se incorporaverat (uti loquuntur) jam olim. Nunc vero florebant Sebastianus, Stephanus et Marcus, qui Comes Cibiniensis tempore Reformationis erat, atque Fautorem se exhibuit Reformationis eximium. Hujus filiam habebat in matrimonio Valentinus Török de Ening vir bellicis virtutibus clarus[1]).

Pereni.

Pekri.

Perneszi. Hinc Stephanus Perneszi supremus Udvarhelyensis Capitaneus 1587.

Prepostvari.

Petö de Hetes.

Rakotzi de F. Vordász.

Ratkai.

Redei.

Revai.

Sennyei.

Sombori. Hinc Ladislaus Sombori Consiliarius sub Wajvoda Christophoro Bathori, cui injuncta erat praecipue educatio Sigismundi Bathori. Filium vero proprium Alexandrum Sombori Wittebergam studiorum gratia anno 1587 ablegaverat.

Soos.

Sós. Familia illustris et ejusdem cum Botskaiana stirpis, de Sovár dicta. Ex hac fuit Christophorus Sós de Sovár, vir profundae eruditionis et ingenii mitioris, qui curis secularibus sepositis scribendo se exercuit et Ecclesiis prodesse voluit. Scripsit igitur

I. Postillam seu Enarrationes Epistolarum Dominicalium, ediditque an. 1597 in quarto sermone terso et bene Hungarico, opus est vario doctrinae thesauro refertum.

II. Interpretationem Prophetarum Minorum Concionibus comprehensam edidit Barthfae an. 1601 in 4to duobus Tomis. Cum Postillam ederet, sequentibus cohonestatus est carminibus. De Enarrationibus in Epistolas Dominicales a Generoso Domino Christophoro Sós editas ad pium Lectorem.

Est labor ingenuus facili contexere filo,
Ac opus artifici composuisse manu.
Est labor ingenuus Patriae decus addere linguae

[1]) Istvanfi Lib. XII pag. 194.

Hactenus haud simili quale dedere modo.
Denique non proprium, sed Christi quaerere honorem
Est labor, est verae vel pietatis opus.
Scilicet hos in se monstrat liber iste labores:
Tu modo si dubites, experiare, licet.
Nemo tamen tales poterit sufferre labores
Ni scapulis Christum per vada salsa ferat.
Sunt humeri robur, mare crux est, salque lepores
Qui vehit est Doctor, sed Deus addit opem.
En tibi Christophorus generoso nomine Sósus
Talis erit, qui nunc condidit istud opus.
Hic ubi sive cruces recitet, salseque peroret,
Seu referat vires; omnia rite docet.
Profuerit multis, nulli velit, ille nocere,
Zoile ni tibi sit, vel tibi Mome nocens.
Ergo Mathusaleis vigeat dignissimus annis
Pluraque divina commoda voce ferat.

J. B. R.

Aliud.

Heus vos Hungarici Proceres, audite quid oras
Plus decorat vestras, Martis an artis honos?
Bella viros faciunt; esto. liberrima virtus
Plus agit. heic paucis fortibus esse licet.
Ex vobis rari florerent, vos nisi in arma
Ob defendendam Turca cieret humum.
Et si felices, quos gloria porrigit alto
Clarent magnifico, sorte favente, choro.
Scilicet ille suis laus est Natalibus, ille
Nobilis est, Patriam clarat et ille suam.
Marte aliquid proprio primitus audet et usu.
Omnibus esse cupit, militiae atque domi.
Exemplum, invidia vel teste, Soossius hic est
Christophorus fecit, quem pia Penna virum.
Ah quam formose generasceret Hunnidos ora,
Si passim tales ferret amica Soos.

M. Joannes Bocatius Poeta L.
Ludi Rector Eperiessinus.

Sulyok. Hinc Emericus Sulyok in Transylvania Cancellarius, Franciscus, Sara Stephani Dobonis conjunx, Nutrix Collegii Patakensis, Anna çonjunx Johannis Balassa.

Szalantzi.

Szetsi.

Telegdi. Nicolaus Telegdi L. Baro anno 1560 alumnos Genevae intertenebat, uti apparet ex Literis Bezae.

Turzo de Bethlenfalva.

Tököli.

Török de Enying.

Tsáki de Keresszeg. Hinc Michael Tsaki ex Canonico Cancellarius, Fautor et Reformationis Promotor, sub Isabella: Dionysius et Stephanus Consiliarii.

Tsapi.

Tsetei.

Tserenyi.

Tzáholi.

Valkai. Extat Elegia Stephani Tsorba Debretzeni de Nicolao Valkai anno 1587 edita, sed ob prolixitatem transferri huc non potest.

Vitéz.

Vesseleni.

Zolyomi.

Zrini.

Hae Familiae seculo decimo sexto sequebantur Religionem Reformatam, aliquae ex his Augustanae addictae Religioni. Fuerunt forte etiam plures, quas addere quisque ubi observaverit potest ac debet. Ex his et si quaedam defecerunt, alias clementissimum iis substituit Numen. Magnatum Familias Illustres in castra Protestantium transiisse non potest negari: fatetur id Sentivanius [1]), qui ita loquitur: Eo enim jam ventum fuerat, ut ante introductionem publicarum scholarum societatis Jesu in Hungaria in toto Regno, non nisi tres Magnates numerarentur catholici; ex Nobilibus vero vix ulli. Ut testis est Pater Stephanus Arator, unus ex primis Patribus Nationis Hungaricae in suis Manuscriptis.

---

[1]) Dissert. Paralipom. Rer. mem. Hung. Catalog. LVIII pag. 127.

CAPUT SEXTUM.

De Reformationis apud Hungaros impedimentis.

§ I. *Simon Gryneus incarceratur.* — Fulgor verbi Divini cum primum apud Hungaros exsplenduit, exorti etiam statim sunt, qui caligine obducere conarentur et quoquo modo ejus progressum obice objecto morari. Primus fuit Simon Gryneus scholae et Bibliothecae Budensi Praefectus, qui lucem Evangelii renovati praeluxit Hungaris, operam praecipue Budae in erudienda juventute impendens. Primus quoque fuit is, qui ad delationes Clericorum carceri compactus est[1]). Captivitatem ejus Lad. Turotzius attribuit Ladislao Szalkano, qui ita: „Primus ejus hoc in honore pro salute Regni desudavit labor adversus Lutherum, cujus errores, ante quinquennium in Saxonia infausto omine editi, jam omnem fere in Septemtrionem grassabantur. Occupavit Szalkanus cursumque intercepit, quando et an. MDXXIII Simonem Grinaeum primum Lutheranorum in Ungaria anteambulonem in carcerem Budae compegit, et ut publicis comitiorum tabulis ejusmodi sectae homines suis cum Patronis capite damnarentur bonaque aerario addicerentur impetravit, et denique biennio post effecit, ut communi ordinum omnium decreto severa de iis quaestio haberetur, deprehensi incendio darentur" [2]). Articulus in immerentes cusus hic erat: „Omnes Lutheranos et illorum Fautores ac factioni istorum adhaerentes, tanquam publicos haereticos hostesque sacratissimae Virginis Mariae, poena capitis et ablatione omnium bonorum suorum Majestas Regia, veluti Catholicus Princeps, punire dignetur". Paulo ante caedem Mohatsensem: „Lutherani omnes e regno extirpentur, et ubicunque reperti fuerint non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per seculares personas libere capiantur et comburantur" [3]). Injunxerat Archiepiscopus tam Coronensibus quam Cibiniensibus anno 1524, ut omnes et singulos Lutheri libros habentes, vendentes, legentes singulis Dominicis excommunicarent. At vero excommunicatio ista utilitatis nihil, nocumenti vero attulit multum. Primus fuit igitur Szalkanus, qui cursum Evangelii sufflaminare nitebatur: at conatum in effectum deducere non potuit; nitebatur enim culmen straminis adversus torrentem. Ille apud Mohats periit, verbum vero Domini manet in aeternum; progressumque habuit tam in Hungaria, quam vero in Transylvania ad fidelium consolationem et salutem.

---

[1]) Timon Epit. Chronol. pag. 106. 141.

[2]) In Ungaria cum suis Regibus pag. 87. 88.

[3]) Confer. de his art. LIV an. 1523, art IV an. 1525.

§ II. *Ludovicus R. obstat Reformationi.* — Rex Ludovicus, qui totus erat in potestate Episcoporum, persuasus a Clericis obicem emergenti ponebat Reformationi, severa identidem publicans edicta in omnes ejus Fautores. Minas tunc quoque spirabat, cum castra adversus Solymannum locaret, ast crudeli simul cum Episcopis ferro haustus est. Necessitate enim coactus et a Paulo Tomoreo Archiepiscopo Colocensi persuasus, viginti armatorum millia eaque male inter se cohaerentium ausus est opponere Solymanno ducenta et amplius armatorum millia exercitatissimorum secum trahenti [1]). Documento posteritati fuit Clericum in Templo non vero in castris commendantem sequi oportere. Clades illa funesta etsi occasio aliqualis fuit ad Reformationis progressum, tamen pro jubilaeo et triumphali non habent Reformati, prout scribere non erubuit Turotzius: Inde dies illa orbi Christiano funesta, transfugis istis hoc in Regno vel hodie sacra colitur et triumphalis [2]). Sed propter cladem genti illatam Hungaricae ac Regnum desolatum pro die poenitentiali diu est habita observataque.

§ III. *Johannes Rex opponit se Reformationi.* — Joannes Zapolya Wajvoda Transylvanus, caeso Ludovico in Regem Hungariae electus, severum se initio Regiminis praebebat iis, qui ab institutis Ecclesiae Romanae recederent. Dederat severas ad Cibinienses literas, minitabatur Dragfio aliisque Reformatorum Patronis; Doctores vero ubi occasio ferebat persequebatur. Matthiam Devai Reformatorem, qui propter animum impavidum atque imperterritum Hungaricus dicebatur Lutherus [3]), ad inculpationes Monachorum in carcerem conjecit. Deferebatur enim velut turbo Patriae et haereticae pravitatis labe infectus. Igitur servabatur inter captivos morti destinatos, brevi in favillas ob haeresin redigendus. Carcere in eodem detinebatur Faber, qui equum Regi charissimum in soleis eidem applicandis vitiaverat ac in tantum Regis affectum commoverat, ut morti destinaret, ni restitueretur equus in sufferando laesus. At equus restitutus, libertas Fabro e carcere abeundi denunciatur. Qui interea salutis viam a Devaio edoctus abire renuit, sed paratum se dixit cum eodem pro ejusdem Religione ignis ardorem subire. Interea Rex melius edoctus, intercessione etiam Casp. Dragfi multum deferens restituit in libertatem fidelem Evangelii Ministrum Devai. Paulatim fervor ille in Johanne resedit ac didicit ferre facilius etiam contraria opinione existentes [4]).

§ IV. *Paulus Vardai obstare nititur.* — Paullum de Varda in Archiepiscopum Strigoniensem Joannes Rex creaverat; qui pro Religione Romana

---

[1]) Sigler in Chronolog. pag. 66. W. Bethlen pag. 11.
[2]) In Ungaria cum Regibus suis pag. 88.
[3]) Hist. Reform. pag. 88.
[4]) Spondanus apud Timonem in Chron. pag. 59.

ac dignitate sua Archiepiscopali defendenda omnem movebat lapidem, quo progressum Reformationis sufflaminaret. Hic primum coronam ex Hungarorum consuetudine imposuerat Joanni Scepusio tanquam praesul Strigoniensis; mox eo relicto eadem Corona coronavit Ferdinandum, rursum Ferdinandi partes deserens rediit ad Johannem; qui ad intercessionem Solymanni Turcarum Sultanni ignovit Vardano; ad conspectum Regis deductus ita eum est affatus: Deum immortalem obtestor, ne Virginem Matrem quidem aeque luxisse Filium, salutis nostrae auctorem, ac ego te prosecutus sum euntem in exilium. Cui congruum dedit Joannes responsum: Atqui Virgo, inquit, ad crucem usque filium prosecuta est; tu, quod ultimum amicitiae munus Regi deberes, qui insigne amoris sui monumentum in te constituisset, ut eum ad supplicii locum usque deduceres non potuisti a te impetrare, imo quo gravius flagitium esset, vix nuncio accepto euntis adversarii, ad arma, ne horam quidem intercedere passus es, quin ad illum transfugeres. Facit tamen aetas tua ut in gratiam nostram redeas [1]).

Factum hoc est anno 1529, at tantus fidelitatis ardor cito deferbuit, dum anno 1530 rursus ad Ferdinandum defecit [2]). Compertum enim est, quo fortunam eo favorem hominum inclinare.

§ V. In id curam intendebat suam, ut cursum Evangelii sufflaminaret aut saltem retardaret. Constituerat in Locumtenentem Regium Ferdinandus, quo in officio existens ab anno 1545 ad annum usque 1549 in Regni Comitiis Ferdinando procul in imperio ac Pragae agente tractabat religiosa [3]), ubi facile erat ex animi sententia concludere, siquidem ea aetate exigua tantum Hungariae pars Ferdinando parebat, at potior Turcis erat subjecta, vel Joannis Isabellaeque audiebat imperium, unde Proceres in conventu ejus non comparebant, ipse autem pro lubitu concludere poterat. Exhibuerat quosdam articulos Clericis suis, quibus se conformarent in doctrina et moribus ac cerimoniis, qui articuli in Cantico quodam, vernacula lingua anno 1548 et alias saepius edito, salse sed et nervose exsibilantur.

§ VI. *Statilius Episcopus Albensis.* — Joannes Statilius Dalmatia oriundus tempore Reformationis erat Episcopus Albensis, qui progressum Reformationis totis inhibere conabatur viribus. Minis et excommunicationibus nihil proficiens, durioribus eos corrigere volebat remediis, qui

---

[1]) W. Bethlen pag. 557. Palatium Regni Hung. S. Petrus de Rewa Cent. VI p. 72. Timon Ep. Chr. p. 117.

[2]) W. Bethlen p. 58. Palatium Regni Hung. p. 21.

[3]) Palatium Regni Hung. p. 22.

libros Romanae Ecclesiae adversos legissent, colloquia cum talibus miscuissent, aut quoquo modo in suspicionem venissent, quibus atras rebellionis impingens notas, poenis subjiciebat acerbis. Morte hactenus inaudita miserum quendam sustulit Monachum, cui inter concionandum exciderat, sacram scripturam carnis esum non prohibere. Hunc verbis primum durioribus, mox devissimo carcere coercitum, tradidit carnificum stimulis ac virgis lacerandum, usque dum novum supplicium, quo miserum mactaret, adinvenit. Reperto hoc plagis confectum ex carcereque extractum, leporibus, anseribus et gallinis vivis circa corpus undique pendentibus onerabat, instigatisque canibus per plateas pellebat, usque dum dilaniatus misere periret, spectaculum impiis ridiculum, piis vero triste factus.[1]). Brevi Episcopus, divina eum non longe sequente Nemesi spectaculum mortalibus daturus, qui surdo conscientiae verbere pulsatur, in statum hominis nihil de gratia Dei sperantis incidit, ac infelicem cum horrore spectantium efflavit animam.

§ VII. *Georgius Monachus crudelem se exhibet.* — Hostem se Reformatis exhibuit irreconciliabilem Georgius Monachus, alias Martinusius dictus; qui ex humile sorte Regni evaserat Thesaurarius ac Gubernator. Fidelissima Joanni in calamitatibus praestabat servitia; quorum intuitu ad Varadiensem promoverat Episcopatum; moriens denique Filio tutorem reliquerat. Quod officium ita administravit, ut Isabellam cum Filio diu multumque vexatos Transylvania exigeret Provinciamque ad partes Ferdinandi deduceret; quo facto eam Ferdinandi gratiam meruit, qua titulum Cardinalis illi Roma procuraret[2]). Nihil praetermittebat eorum, quae Evangelii cursum remorarentur; anno 1543 evocabat Ministros a Romanis sacris alienos Claudiopolim; quos metu dejiceret ab incepto labore; nominatim Joannem Honterum authoritate Reginae comparere jussit. Verum ne iis pro lubitu abuti posset, Michael Tsáki, Urbanus Battyani et alii Reginae Consiliarii obstabant. Crudelitatis suae ac seviciei plurima dabat specimina: nam Varadini aedituum, mulierculam imaginem adorantem alapa coercentem, igne cremavit[3]); Thasnadini Stephanum Kis Szegedi S. T. D. in Templo Pastorem in Schola Rectorem per Casparum Peresit Capitaneum sibique sanguine junctum crudelissime excarnificaverat, ferreisque soleis ita concusserat vix ut spiritum traheret; ducentos et amplius ejus auctores omnemque domesticam supellectilem depraedatus est[4]).

---

[1]) Ex Hermanni Annal Mssc. refert. Haner et Smeizel de Stat. Luth. in Transylvania pag. 106.

[2]) Belius Notitia Hung p. 472.

[3]) Hist. Ref. pag. 90.

[4]) Melch. Adami in Vitis Theolog. Exterorum pag. 123. Timon in Epit. p. 148 Czwitting. p. 364.

Albae Juliae exuvias Urbani Battyani, quem ipse per servum mercede emptum veneno sustulerat[1]), cum celebri pompa ab Isabella in magno Templo depositas, exhumavit inque fimum clam abjecit[2]), quoniam sanguinariis ejus consiliis vivus obstabat.

Claudiopolitanos magna pecuniae summa anno 1546 multavit; quoniam Casparus ibi Heltus sacram scripturam in vernaculam transfundere et publicare cum sociis inceperat[3]). In cineres quoque redegerat rusticum anno 1550 in Evangelii confessione constantem Sz. Martonini[4]).

§ VIII. *Georgius Martinusius occisus.* — Furere adversus Christi gregem tandem desiit cum vita; qua pulsus a militibus Ferdinandi quibus Transylvaniam addixerat, variis vulneribus laceratus ac concisus anno 1551 atque insepultus per plurimas septimanas in atrio domus suae abjectus[5]). Thesaurum, quem ingentem congesserat, Castaldus cum caeteris occupavit ac diripuit. Timon laudat in opere quodam de cura ac vigilantia, qua Transylvaniam ab haeresi defenderit[6]), in alio dolet nimium conniventem fuisse[7]). Antecedens futurae mortis signum reputatur, quod triduo ante mortem sacrificulus poculum loco panis elevarit calicemque effuderit; quod arguisset sanguinis Georgii effusionem; at vero arguebat sacrificuli oscitantiam ac negligentiam[8]).

Non possum hic non meminisse Monachi cujusdam Turcici Dervis Tselebi disputationis Varadini habitae. Missus erat is ad Martinusium ex Turcia, qui, peracto negotio sibi commisso, optabat cum Christianis conferre de fidei articulis: sed nemo unus inventus qui id facere vellet ex Religiosis, omnes muti facti in Goliati conspectum prodire noluerunt. Ubi hoc advertisset Peregrinus quidam, qui experientiae causa Varadinum adierat Bartholomaeus Georgievitz, pudore suffusus cum neminem ex Christianis cerneret, qui gloriabundo ac elato Turcae respondere vellet vel etiam valeret, quamvis ex ordine Ecclesiastico non esset, induxit tamen animum ad se ei opponendum. Constituto die XXIX May anno 1547 in Claustro Franciscanorum cum ipso de rebus gravioris momenti ad stuporem aliorum et etiam adversarii contulit. Discursum totum ipse descripsit ac edidit[9]).

§ IX. *Nicolaus Olahus obstacula ponit.* — Nicolaus Olahus Archie-

---

[1]) Hist. Ref. p. 94.

[2]) Idem pag. 682.

[3]) Haner pag. 210. Hist. Ref. pag. 94. 682.

[4]) Smeizel pag. 106.

[5]) W. Bethlen p. 174. Nova Dacia p. 59. Timon Epit. C. pag. 158.

[6]) Epitom. Chron. pag. 159.

[7]) Timon in Purpura Pannonica pag. 42.

[8]) Ibidem.

[9]) Georgievitz de Turcarum Moribus pag. 125.

piscopus Strigoniensis, quantum penes se erat, varios quaerebat ponebatque progessui Reformationis obices; remoram objecit quidem at tollere non potuit. Ordinem Jesuitarum ille primum in Hungariam vocavit ac stabilivit. Synodo Tyrnaviae coacta conabatur quoque publicare conclusa Concilii Tridentini, at frustra [1]). Pulsum campanarum vesperi ac meridie istius aetate Jesuitae rursum induxerunt; renuebat quidem Nicolaus primum; at ostenso ejus fructu et utilitate an. 1562 assensit [2]). Ille primum hostiam consecratam in plateis Posonii in Festo corporis Christi anno 1557 cum pompa circumduxit [3]). Eodem tempore tres Evangelii Ministros in carcerem compactos diu Posonii clam macerabat; duo diutini carceris squalore fracti cesserunt ac mutata Religione dimissi. Uterque animo turbati; alter inter immanes cruciatus exspiravit, postquam per integram septimanam mutus haesisset: alter vero extra se positus hinc inde oberrabat, diu miserum praebuit aliis spectaculum; tertium in Religione constantem quomodo vita exturbaverit, manet incertum [4]).

§ X. Turbabat Ecclesias Transylvanicas etiam Franciscus Stancarus Doctor Theologiae et Medicinae, Italus, qui ex Prussia anno 1553 Transylvaniam ingressus docebat, Christum humani generis Redemptorem ac Mediatorem esse non secundum utramque naturam, sed secundum humanitatem tantum; fundamentum sui erroris constituens dictum D. Paulli: Unus est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus [5]). Edidit adversus istum confessionem suo et aliorum nomine Casparus Heltus Minister Claudiopolitanus an 1555 de Mediatore Jesu Christo [6]). Disceptabant rursum cum Stancaro Ministri anno 1557 ac veram de Christo Mediatore doctrinam confirmatum ibant. Kezdi Vasarhellyinum discesserat, unde per literas Isabellam monuit, eam obligatam esse ad puniendos Reformatorum Ministros et e medio tollendos [7]). Ettamen vulgus Historicorum Stancari acta factaque Reformatis attribuit Ministris; quod factum inde est, quoniam in articulo de coena Domini consentiebat cum Helveticis Doctoribus, Reformatorum aeque ac Lutheranorum Doctores scommatibus maculabat, apparet ex ejus dicterio: Unum Petrum Lombardum plus valere, quam centum Lutheros, ducentos Melancthones, trecentos Bulingeros, quadringentos Martyres et quingentos Calvinos [8]).

---

[1]) Bel. in Notitia Hung. p. 482.
[2]) Timon Epit. CS. p. 186. Peterfi in Concil. Tom I. pag. 167.
[3]) Palatium Regni Hung. pag. 39.
[4]) Ex literis Galli Huszár ad Bulling. Hist. Ref. pag. 113. 114.
[5]) Sigler in Chronolog. pag. 74.
[6]) Historia Ref. pag. 106.
[7]) Sigl. in Chronol. pag. 80.
[8]) Histor. Ref. pag. 107.

Qualiter Blandrata Ecclesias turbavit, quae hodiedum durat, uberius alibi explicabitur.

CAPUT SEPTIMUM.

De ministris Evangelii in hac periodo, per quos Reformatio propagata est in Hungaria et Transylvania.

§ I. De primis Reformatoribus sedulis ac piis Ecclesiarum Reformatarum Ministris ac Doctoribus in cursu hujus operis saepius meminimus, ita necessario rerum serie secum ferente; recurretque non paucorum memoria in capite de Synodis. Verum ex scopo hic recensenda sunt saltem nomina ordine alphabetico, ne Posteritas ignara ingratitudinis quoque macula ex merito notari queat, prout ex Antiquis monumentis hinc inde colligi potuit.

Alesius Dionysius Minister Ecclesiae Tenesiensis, Concionator Aulicus Johannis Sigismundi secundi, mox Archidiaconus Gyaluiensis ac post transitum Francisci Davidis ad Blandratae sententiam in ejus loco superattendens primus Reformatorum in Transylvania.

Babotsai Stephanus, aderat in Synodo Erdödini anno 1545 habita.

Bakonyi Albertus, fuit Pastor Tzeglediensis anno 1547 in Hungaria.

Balsaratius Johannes Vitus, Medicinae Doctor et Pastor Patakiensis. Cum singularia fuerunt Providentiae divinae documenta circa hunc virum, e re puto breves ejus vitae dare lineas ex oratione funebri de vita et morte ejus recitata in consessu frequentissimo dominorum Baronum, Nobilium, ecclesiasticorum et politicorum ad solennes funeris exequias congregatorum die IX Aprilis 1575 a Basilio Fabricio Zikzoviano, edita vero Wittebergae anno 1576.

Natus fuit Joannes Vitus Balsaratius in provincia inferioris Pannoniae Transylvaniam proxime respicientis, Marusio et Chrysio fluminibus interclusa, in oppido non ignobili, quod a Templo extructo in editiore colliculo nomen sortitum Dombegy Sáz appellatur.

Patrem habuit Lucam Vitum spectatae virtutis, fidei et prudentiae virum, cui arcem suam Nagylak, circa Temesvarum positam, Possessor D. Jaxithius concrediderat servandam. Is in nominato prius oppido, ubi certos fundos suos possidebat, a Turcis aliquando una cum conjuge interceptus, filiolum Joannem trium mensium infantem reliquit, postquam nec opinata hostium excursione oppressus in tristis-

simam captivitatem, ex qua nunquam evasit, abreptus fuisset. Ipse Joannes parvulus stupenda Dei providentia ac sanctorum Angelorum opitulatione protectus et servatus est. Nam ardentibus inimico Turcarum igne passim domiciliis, et iis quoque aedibus in quibus Joannes infantulus parentibus tunc misere orbatus jacebat, ubi patente ostio animadvertit Turca media in domo ejulantem in cunis parvulum, festinato cursu per flammas irrumpens correptum cum cunis ex incendio exportat, praecipitique jactu foras in mediam plateam proturbat, ne tenellus infans cujus solitudini et innocentiae feritas saevissimi quoque barbari parcebat, cum aedibus jam jam igne fortius invalescente absumendis conflagraret. Ibi subversis cunis totum triduum delituit infantulus terrae affixus, expers omnis alimenti, cum, metu Turcarum, viciniam omnem igne et ferro furenter depopulantium, oppidani, qui hostium manus evaserant, in oppidum sese non auderent recipere. Turcis postea digressis, reversi incolae inter jacentia passim jugulatorum civium cadavera reperiunt cunas subversas, aliquot etiam ictibus gladiorum Turcicorum saucias, quibus conati illi fuerant eas cum incluso vagitumque lamentabilem edente puello ex equis dissecare. Quas cum erexissent, spirantem adhuc et palpitantem deprehenderunt parvulum, tridui inedia respirationisque interceptae angustia prope enectum. Tunc patuit omnibus, trimestrem puellum non ex intollerabili tantum inopia alimoniae necessariae, sed aëris quoque quem vix ullum haurire poterat interclusis meatibus, imo et cunarum dorso proni incumbentium pondere debuisse interire, neque valuisse omnino tam diu supervivere, nisi coelestium Angelorum, quos Deus ad opem extreme periclitanti adferendam submiserat, vigilanti ministerio et fideli custodia fuisset in vita conservatus.

Ex tanto et tam praesenti vitae discrimine mirabiliter ereptus cum fuisset Joannes Vitus, a Francisco Crispo avunculo benigne suscipitur educandus, adhibita fideli nutrice, quae lactaret parvulum matrisque vicariam sustineret in ipso alendo charitatem et diligentiam. Cognomen Balsaratii a pago Balsarat, in quo enutritus fuerat, postea cum adolescere coepisset non invitus usurpavit, quasi ad retinendam dulcem memoriam nutricationis illius beneficae, quae dicti Francisci Crispi munificentia laudabili in eo loco ipsi obtigisset.

Ubi ad puerilem aetatem pervenisset et jam institutionis literariae capax esse inciperet, a nobilissima et pientissima Domina Anna Petri Jaxithii vidua, cujus in ditione parentos habitaverant, ob memoriam virtutis et fidei paternae in filium adoptatur, omnique benevolentia, studio et cura in literarum disciplina imbuendus atque fovendus assumitur. Mittitur ergo in scholam Julensem, caeteris et viciniorem et frequentiorem, ubi primis in rudimentis literariae institutionis accurate fuit informatus pia et solicita cura dictae Heroinae. Quae cum viros in divinis

literis exercitatos in Ecclesia atque schola Erdödini sub fida tutela et secura protectione Illustris et Magnif. Casparis Dragfii comperisset, Joannem alumnum suum istuc ablegavit ac eximio viro Stephano Kopatsio commendavit, qui in ingenuarum artium fundamentis et religiosae pietatis cognitione, pia solicitaque cura educabat pene filii loco habitum. Vocatus ad gubernationem Ecclesiae Rivulinensis St. Kopatsius a se divelli Joannem passus non est, sed assumptum una erudiri perrexit omni fide et assiduitate, ut et in Latinis et Graecis literis laudabiles progressus faceret, ac simul pietatis saniorisque doctrinae rudimenta, sicut ingenio erat prompto, capaci et fideli, imbiberet. Kopatsius anno 1549 ad Ecclesiam et Scholam Patakiensem regendam instituendamque evocatus adduxit secum etiam Joannem vigesimum jam aetatis annum agentem. Ex ea schola missus Vittebergam specialiter Philippo Melanchthoni ab Anna, filia Jaxithii quae in locum matris succedens sumptus ministrabat, literis commendatus. Ex consilio Philippi in ea Academia assumpsit titulum Magisterii; eodem suadente dedidit se Arti medicae, in qua ubi egregium progressum cum applausu fecisset, Melanchthon scribit ad spectabilem et Magnif. dominum Gabrielem Perenium, atque Joannis Viti ingenium, studia, mores eruditionemque diligenter commendans, autor est ut ad absolvendam medicorum studiorum culturam is ablegetur in Italiam. Quo etiam transiit Balsaratius anno 1556 perlustratis prius nobilissimis Germaniae ac Helvetiae urbibus familiaritateque passim in Academiis conciliata cum viris eruditissimis, Theologis pariter ac Medicis.

Mansit quatuor integros annos partim Bononiae, partim vero Patavii sumptibus spectabilis ac Magnif. Gabrielis Pereni; tantum vero profecit in ea scientia ad quam ferventissimo naturae impetu rapiebatur, ut nomen ejus apud celebriores ejus loci medicos cito inclaresceret, ac paulo post gravissima totius Academiae Bononiensis censura suffragioque publico medicorum Doctoratus ornamenta atque insignia solennia promereretur. Hinc et Romam profectus est, ut et eruditiores medicos ibi audiret rationemque illorum in curandis morbis et modum assectando cognosceret, simulque specimen artis et peritiae suae medicae in theatro orbis terrarum frequentissimo exhiberet. Ibi in aula ipsius summi Pontificis per totum semestre stipendio honestissimo non sine maxima nominis laude et celebritate artem exercuit. Sed cum propter professionem purioris doctrinae sine periculo diutius ibi persistere non posset, Bononiam rediit, ubi praefuit societati ejus collegii, quod homines Pannonicae gentis jam olim fundatum istic possident ex beneficentia cujusdam opulenti canonici Zagrabiensis, qui in usum egentiorum ex natione Ungarica studiosorum domum quandam certis reditibus dotatam in ea urbe olim constituisse dicitur. Rediit tandem in Hungariam 1560, atque in medicum privatum

Gabrielis Perenii, unaque familiarem aulae et consiliarium asciscitur, cujus in Aula octo continuos medicinam fecit annos, fide, vigilantia, sedulitate, prudentia ac dexteritate summa. Interea edoctus de ejus meritis Maximilianus Rom. Imperator Nobilitatis arma et insignia decora ultro ipsi obtulit, et in honestissimum ordinem Equestrem peculiari quadam gratia et favore benignitatis suae luculentissimae eum transtulit. Princeps Gabriel Perenus anno Christi 1567 vitam Posonii clausit Vitumque ita aulico servitio missum fecit. Qui ut primae Patronae suae destinationi, qua ad Cathedram Ecclesiasticam deputabatur, satisfaceret, cogitavit concionatoris officium esse conjungendum arti Apollineae. Quamvis multa obstarent, fecit tamen perruptis obstaculis auspicia Ecclesiastici muneris in Ecclesia Liszkana cum omnium applausu. Inde anno elapso in Patakensem evocatus Ecclesiam ad officium Pastoris primarii, ubi quarto laboris sui anno aetatis XLVI septima Aprilis cum nona Templum concionaturus adiisset, ejusdem diei nona vespertina expiravit. Diarrhoea enim acutissima, quae succum corporis interiorem penitus exhausit, nulla medica virtute sisti potuit, sed per immodicas et saniosas dejectiones corpus ante satis firmum et vegetum eo repente redegit, ut omnes vires conciderent et penitus deficeret.

Vixit cum uxore Ursula, pietatis, pudicitiae, modestiae, integritatis, fidei in maritum omniumque ornamentorum matronalium laude spectatissima foemina, quam ex honestissima familia eaque antiquissima Moreorum nobilium duxerat, annos totos quindecim, ex quo conjugio quinque suscepit liberos.

Quatuor libros de re medica in usum chirurgorum lingua vernacula conscripsit, ad rectiorem et exquisitiorem curandorum morborum praxin illos informare conatus. Qui ipsi libri convenientissima methodo ad commoditatem empyricorum medicorum singularem compositi si prodiissent, dici non potest, quantum utilitatis ad Patriam nostram inde fuerit redundaturum. Dum anno 1564 lues contagionis pestilentissimae grassaretur, de coeli intemperie morbida praecavenda et rationali diaeta instituenda publicaverat compendiosam tractationem latio sermone. Theologica scripsit varia et quaedam etiam edidit dum Inspector curator scholae esset Patakinae.

Epitaphium Basilius Fabricius sequens addidit:

Vitus Apollinea celeberrimus arte Joannes
Ipso qui Phoebo major in arte fuit.
Ossa sub hunc tumulum moriens dedit, ista sed amplum
Nominis eximii non tegit urna decus.
Haud contentus erat medicas salvare per artes
Corpora morborum dum fugat omne genus.

Nobiliora animis languentibus admovet heros
Pharmaca, quae succo temperat ambrosio.
Sic gemino veterem medicamine sanat Adamum
Totus homo ut certam sentiat aeger opem.
Felix qui potuit studio peperisse fideli
Doctrinae tantas interioris opes.
Sed pietas spectata viri, sapientia, candor
Et morum gravitas et sine labe fides.
Officiumque bonis ultro impendisse parata
Sedulitas multum quod celebretur habet.
Pannonis ora fleat, viduata Ecclesia plangat
Picriique gemat, moesta caterva chori.
Occidis heu patriae decus irreparabile terrae
Occidis et tecum commoda quanta rapis?
Posteritas meritis te semper honoribus aequa
Condecoret, memori laude per astra vehat.
Salve Vite, nihil mors in te juris habebit.
Fama tua est obitus nescia Vite, vale.

Carmine deflevit Petrus Berexasius Lector Disciplinarum liberalium in schola Patakiensi, ita et alii, quae omnia Vitebergae an. 1576 edita simul prostant, huc vero transferri non possunt.

Banfi Hunyadi Benedictus, Superattendens erat an. 1595.

Batizi Andreas, primus hic fuit ex Reformatoribus, anno 1541 erat Minister Ecclesiae Ujhelyensis. Catechesin fidei rudimenta complectentem ediderat, quae diu in usu fuit et loco normae discentibus.

Beithe Stephanus Concionator Comitum Battyani in Nemet Ujvár. Composuit et edidit quandam postillam; de Herbis etiam quaedam; adjumento fuit Carolo Clusio Attrebati rei herbariae indagatori[1]).

Bentzedi Szekely Stephanus. Unus erat ex primis in Hungaria Reformatoribus. Composuerat Catechismum quendam, dum esset Minister Liszkanus, lingua Hungarica sub titulo Institutionis de fundamentis Christianitatis; obtulit Clementi Regi ac edidit ut videtur Craccoviae in Polonia anno 1544. Uberius opusculum de fidei articulis anno 1546. Psalmos Davidis CL Hungarice versos cum brevi paraphrasi Craccoviae an. 1548. Chronicon Mundi itidem Craccoviae an. 1558. Promiserat etiam Biblia editurum; an promissi fidem praestiterit, non liquet.

Bergszászi Petrus fuit Professor Patakiensis circa an. 1574.

Berkeszi Clemens circa an. 1545.

---

[1]) Czwittinger specimina Lit. Hung. pag. 51.

Beszermenyi Matthaeus Pastor Váriensis.

Bogatzi Demetrius Pastor Tsengeriensis an. 1556.

Bornemiszsza Petrus. Fuit ex nobilissima familia oriundus, infans adhuc Parentibus orbatus educatus in aulis Magnatum, studiis literariis delectabatur. In Italiam et Germaniam studiorum gratia profectus, octo tantum Hungaricalium florenorum viatico instructus, octo annos peregrinationi impendit, in reditu quoque eandem octo florenorum summam habuit. Creatus in Ministrum Evangelii aliena magis voluntate coactus, in iis partibus praedicabat, quae Austriae erant viciniores. Fuit vir doctissimus uti opera ejus edita testantur, passus est tamen suos manes, cum omnes fere hominum actus illegales tentationes dicebat Diabolicas. Typographiam ipsemet habuit, Protectores habuit comites e Familia Balassa et Christophorum Ungnad Banum Croatiae ac ejus conjugem Annam Losontzi. Edidit Conciones suas in forma folii an. 1584 in arce Detrekö; ediderat etiam in forma quarta jam antea. Biblia quoque lingua Hungarica edere conabatur, edidisse non liquet.

Budai Gleba Balthasar circa an. 1524.

Börvei Bernardus an. 1545.

Dantzi Casparus Pastor Szikszoviensis mort. 1575.

Devai Biró Matthias. Primus hic fuit ex Hungaris, qui in aurora Reformationis facem Evangelii in Hungaria circumtulerit, qui ob animum intrepidum et zelum ferventem Hungaricus Lutherus solet appellari, quamvis in materia sacrae coenae cum Luthero senserit neutiquam, sed cum Zvinglio, quod tum ex ejus scriptis infra producendis, tum ex literis Lutheri ad istum missis palam est. Docuit hic Budae, Papae, Sárvarini, cis fluvium Rabam, lacum item Balaton, multos ex Aula Regis Joannis praeter Magnif. Casparem Dragfi Christo lucrifecit, qua de causa captus atque etiam incarceratus est Budae, per Dei providentiam tandem inde liberatus, dum in finibus Hungariae vicinioribus Austriae fidem Evangelicam propagaret ab insidiosis accusatoribus iterum captus est et carceri Wiennensi mancipatus, ut utriusque Hungariae Reformator utriusque Regis Hungariae vincula et carceres experiretur. Disputavit erudite contra Gregorium Szegedinum cum esset Sárvarini adversus Monachum Franciscanum, quae edita est in Germania anno 1530. Disputationem quam scripsit Devai de statu in quo sunt Beatorum animae post hanc vitam ante ultimi judicii diem tali tunc cum ederetur ornata Praefatione:

„Satis apparet quomodo Satan ubique se opponat, ne doctrina Evangelii sincera etiam apud aliarum linguarum homines innotescat. Nam cum vir doct. et optimus D. Matthias Devay in sua lingua Cassoviae et alibi in Hungaria Evangelion annunciasset cum magno fructu, excitavit Satan zizania per Monachum quendam Zegediensem, qui varie calumniatus

est sanam doctrinam. Quare D. Matthias rationem publice toti mundo voluit reddere, quod nihil impium aut scandalosum in Hungaria praedicaverit, et hos duos libellos adornavit, in quorum altero priore disputat contra abusum invocationis sanctorum, quod ea non solum frustra sit sed et impia. Si quidem soli Christo honos invocationis debetur et sancti nondum sunt consumati, sicut Epist. ad Hebr. dicit Cap. XI et Paulus dicit, quod etsi non omnes morientur, tamen omnes subito mutabuntur. Et ad Thessalonic. quod nos non antevertemus eos, qui mortui sunt. Haec fuit causa pio homini, cur de statu animarum post hanc vitam disputaret ex professo, ut scil. invocationem sanctorum ex hoc fundamento totam convelleret et everteret. Si quidem sancti etsi sunt et suam quietem habent, tamen nobis sunt acsi non essent; quod attinet ad invocationem et intercessionem sicut Esaias quoque dicit: Abraham nescit nos &c. In posteriore libello, quia quaedem istius propositiones ab insano Monacho iniquissimis calumniis publico scripto erant traductae, propter Fratres, quos in Hungariae Regno habet, coactus est ab istius calumniis sententias suas vindicare, in quibus (nam breves propositiones sunt) fere omnia complexus est, quae ad Fidem nostram docendam requiruntur. Has lucubrationes speramus Bonis omnibus gratissimas fore, quod sint quasi primitiae, quae Domino tempore Evangelii ab aliarum Nationum hominibus offeruntur. Quare non gratias solum pro hoc dono agere, sed et Deum orare debemus, ut hoc pacto Evangelion suum propaget etiam in alia Regna, ut quemadmodum haec Doctrina apud Germanos gloriam Christi, quam sophismatibus suis Monachi oppresserunt, illustravit, ac Pontificis et suorum impietatem in publicum produxit, ita etiam aliae Nationes studio cognoscendae gloriae Christi et odio Papae, qui vere Antichristus est, impleantur. Amen". Dedicatio autem ipsius Authoris talis est:

„Reverendo Domino Emerico Bebec Praeposito Albensi Domino et Patrono suo Matthias Devai Gratiam & Pacem.

Anno abhinc quarto, Reverende Domine, cum Rex Quinque Ecclesias esset profectus, Dignitas tua Budae, post suae Majestatis discessum aliquot dies egit secutura Principem; ego interim meo tunc fungebar officio. Die, quo propemodum itineri nos accingeremus, convenit me ex Fratribus nostris quidam impense a me contendens, ut nonnihil de sanctorum dormitione ei in litteras mitterem. Dicebat causam esse quosdam Papismo deditos, qui nervis omnibus doctrinae nostrae retinerentur. Cujus precibus victus alioqui amicissimi et de me bene meriti, crasse quasdam sententias illi delineavi, et quidem (quod sciam) tantum de sanctorum dormitione. Is vero hasce meas sententias alteri ex Fratribus, ut in unum ordinem redigeret et ut de suo quoque ubi libet adderet, dedit. Accepta provincia redegit in ordinem et insuper de uno

Mediatore Christo, de non invocandis sanctis deque statu mortuorum post hanc vitam scripsit in formam justi libelli, qui liber cum in manus Franciscani cujusdam pervenisset, Apologiam adversus eum edere voluit. Hoc autem moliebatur multo tempore, sed quod diu parturiebat, tandem peperit, me ubique suo more proscindens, cum ut dixi nil nisi de sanctorum dormitione me scripsisse sciam, et quidem pinguissime, ut tunc ferebat temporis occasio. Et suas veritates (si Diis placet, sic enim loquitur) effert plurimum, triumphum ante victoriam canens. Ego vero etsi sciam, quam sit mihi curta supellex, et toties veritus sum meam infantiam seculo nostro prudentissimo irridendam exponere, tamen coegit ad hanc impudentiam, ut ita loquar pseudofratris pervicacia, qui nedum Evangelicos viros, sed et ipsum Christum non veretur blasphemare suo maximo malo. Coegerunt et viri fratres duplici nomine; ut et monachi naenias everterem, et ut meae praedicationis fidem facerem, cujus testis est utraque Pannonia, uterque Rex Hungariae (Ferd. et Joannes), quorum (gratia Deo) expertus sum indignationem, insuper vincula et carceres; ut cum Paulo in meis infirmitatibus nonnihil glorier. Quare, mi Domine Emerice, hunc quamlibet serotinum foetum ingenii mei tibi offero: jam fusius scripturus de locis memoratis et de aliis apud te et apud meos, pro mea virili, veritati patrocinaturus. Patior inter imi subsellii homines numerari, modo testimonium verae praedicationis habeam apud posteritatem. Eo autem candore scripsi, quo debui. Tu ergo et Fratres omnes Christiana censura hoc meum scriptum judicate. Vale in Christo una cum tua consorte, pro qua verbo Dei eruditus omnem paternam haereditatem maluisti amittere, quam more quorundam per vagos concubitus ut modestissime loquar volutari. Datum ex Haarvár Anno salutis nostrae 1535 in Feriis Pentecostes".

Wiennae cum in carcere detineretur a Joanne Fabro Constantiensi episcopo examinatus est severe, quod examen ad amicorum suorum postulatum libertati restitutus, prout memoria suggerebat, descripsit, qui tandem publicarunt. Objiciebat in examine Matthiae Devaio:

1. Quod Vittenbergae fuit et Vittenbergensium conciones et praedicationes audivit, qui authoritate Pontificis et Caesaris condemnati sint, proque haereticis deploratissimis habiti?

R. Primum inficiari non potui, quanquam ex eorum praedicationibus, cum Germanice nesciam, dixerim me nihil profecisse.

2. Quod regressus e Vitteberga non missavit, cum fuerit sacerdos Romanus, sed sub utraque specie ab altero ministro accepit Eucharistiam?

R. Me ad solam praedicandi provinciam fuisse vocatum, non ad missandum, testis est senatus Cassoviensis.

3. Quod omnes Christianos dicit esse sacerdotes?

R. Cum sacerdotum partes sint sacrificare ut Rom. XII. 1 Petr. II praedicare, orare, et cum ad tria haec omnis Christianus ex praecepto Dei obligetur, consequitur omnes Christianos esse sacerdotes, ut sua peccata interna et externa occidant et mortificent, ut doceant, ut orent invicem, sicut docet divus Jacobus. Caeterum in Ecclesia vocatio expectanda est, juxta illud: Nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aron. Jam quatenus praedicat Ecclesiae et administrat sacramenta, servus et Minister Ecclesiae dicitur Pastor, Episcopus, Evangelista; alias est sacerdos, etiamsi communia officia obeat, si est Christianus.

4. Episcopum, Presbyterum, Diaconum non discernit?

R. Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus sunt ministeria Ecclesiae ut Act. 1: Episcopatum ejus accipiet alter. Et iterum: Elige unum ex his ad hoc ministerium, de quo praevaricatus est Judas. Caeterum primarium officium Episcoporum est praedicare juxta illud: Vae mihi, si non praedicavero, et: Ite praedicare Evangelium. Etiamsi Diaconis committant administrationem sacramentorum et pauperum provisionem, ut de Laurentio habemus, tamen Diaconatus nihil prohibet, quominus Diaconus possit praedicare, ut habetur de sancto Stephano primo martyre. Sed si nolunt, Diaconos administrare posse sacramenta, nedum consecrare contra Ambrosium et Lombardum, verum aquam ac vinum in calicem et in manus Episcopi fundere, prout verba Fabri erant.

5. Non ponit septem sacramenta?

R. Quia in Evangelio, apud Patres purioris seculi, duorum sacramentorum invenimus mentionem, non plurium, et sacramentorum autor solus Deus potest esse, non homo. Hic cum ex Erasmo contra Bedam dicerem, tempore Hieronymi matrimonium non fuisse sacramentum, parum verecundo vocabulo notavit Erasmum, quasi duabus sellis sedentem, quem tamen alias adorabat &c.

6. Post verba: Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, dicit, manere substantiam panis et vini?

R. Quae sit vera sacramentorum natura, indoles, usus, dixi verbis quam apertissimis, quod sint signa gratiae et bonae voluntatis Dei erga nos, ut nos in tentationibus consolentur et fidem nostram in Dei promissionem confirment, corroborent ac certificent; idemque esse officium verbi et sacramentorum, et quod non sint vacua signa, sed vere ac realiter signati exhibitiva iis, qui sunt in Ecclesia, quamquam iis solis sunt salutaria, qui in fide et spiritualiter

et sacramentaliter haec mysteria percipiunt praeberique fidei certitudine et confirmatione in et sub his signis verum corpus et verum sanguinem Christi. Verum de Transsubstantiatione dixi, quod dissentio a Sorbonicis Doctoribus, quam cum Faber urgeret, ego ex verbis Pauli retinentem apellationem Panis et Christi, dicentem: Non bibam ex hoc genimine vitis, diluebam; vocat enim Christus vinum vitis genimen. Et cum e resurrectione probarem Christum comedisse et bibisse cum Apostolis, constantissime Faber comedisse et non bibisse affirmavit contra Petrum Act. X, qui locus neque mihi tunc succurrerat. Vix uspiam atrocius tumultuabatur quam in hoc articulo, propter quem dixit etiam me elementis purgandum esse, cum male sentiam de sacramentis.

7. Quod mulieribus permittit docere et administrare Sacramenta?

R. Mulieres docere possunt in suo genere ut Paulus ad Titum: Anus prudentiam doceant, aut etiam virum, si ignarus fuerit. Sic Priscilla et Aquila docent Apollo viam Domini, sed in Ecclesia vetat Apostolus. Caeterum si praedicare possunt, cur non item administrare Sacramenta tempore necessitatis, cum etiamnum mulieres baptizent infantem; et isti more anabaptistarum rebaptizant, dicentes: Si non es baptizatus — Lege Ambrosium Eph. 4. Tamen propter servandum ordinem non improbo modum moderni baptismi. Caeterum in rebaptizando infantes a mulieribus baptizatos, qui errent et Donatistas agant, non est hujus loci disserere.

8. Vult ab Ecclesia debere eligi Pastores, non a Pontifice aut Episcopo?

R. Pastor eligitur ab Ecclesia. Hic Faber contra: Paulus eligit Timotheum et Titum solus et praefecit Cretae. Respondi: elegit sed consensu seniorum, ut scribit ad Titum: Noli negligere gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterii, quasi diceret senatus. At ille: Noli intelligere manus Presbyterorum, sed ambas manus Pauli. Tandem ego: Pastor potest eligi et ab Ecclesia vel ab eo, qui praeest Ecclesiae.

9. Quod sanctorum reliquias, processiones, stultitiam esse dixerit?

Non sum tam impudenter locutus, sed habemus vivas costas, id est fratres, quos auro et argento demereri jubemur. De sanctorum reliquiis non extat praeceptum, praeter hoc, quod multorum reliquias venerantur in terra, quorum animae sunt in inferno. Sciunt veri Christiani quomodo erga corpora et reliquias sanctorum affecti esse debeant.

10. Episcopis et sacerdotibus non praedicantibus vetuit dari tributa et decimas?

R. Et Christus in hoc damnabatur falso, ut ne Caesari darentur tributa. Non vetui, imo praedicavi reddenda, ne scandalisentur alteri Mat. XVII. Qui vero injuste acceperint, ipsi viderint, quam reddituri sint rationem.

11. Beatam Virginem dicit esse peccatricem?

R. Scio quam honorifice sit loquendum de sanctis mortuis et de beata semper Virgine. Sed cum ratio fidei exigatur, vere confitenda fides est, et solius Christi gloria. Beata Virgo fide in Christum filium suum, verum Deum et hominem, quem corpore et corde ferebat, est beatificata, justificata. Beata es quae credidisti, ait Elisabeth. Et ubi fides est, quae alienum et extra se positum quaerit meritum, ibi deest proprium meritum. Ergo non proprio sed alieno merito, quod fide apprehendebat, est salvata. Non eximo ergo ab originali peccato, omnes enim peccaverunt et omnes sumus natura filii irae. Et ipsa canit: Spiritum suum exultasse in Deo salutari suo. Si et ipsam Deus servavit, necesse fuit causam antecedentem fuisse, de qua servaretur, sicut et omnes sancti qui ut in natura sic et in gratia pares sunt. Non desunt, qui et infidelitatis eam suggilent tempore passionis filii sui, ut Simeon non inepte dixerit, gladium pertransiturum cor ipsius. Quantum autem ad peccata attinet, si quis sanctorum hanc unam minus peccasse constanter credo, et sic actionibus externis et donis non justificantibus, eam omnes sanctos qui fuerunt inde ab initio excellere assero fide justificante parem. Sanctorum enim communio credenda est. Ad haec sanctificandi verbum non ad solam Virginem, sed aeque ad omnes sanctos spectat. Zeph. I: Sanctificavit advocatos. Joh. XVII: Sanctifica eos in veritate. 1 Cor. VI: Sed sanctificati estis. 1 Cor. I: Christus est sanctificatio nostra omnium.

12. Negat Beatae Virginis et Sanctorum intercessionem?

R. In regno fidei oramus invicem. Orate invicem Jacobus; sed in Regno gloriae solus Christus est advocatus et Mediator noster.

13. Ecclesiam Romanam negat esse Ecclesiam?

R. Ego credo Ecclesiam in totum orbem dispersam, fidei tamen, charitatis, sacramentorum unitate dissidentem, etiamsi ad conservandum ordinem et in politicum finem dispares cultus habeat. Nego ergo Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quae sanctos persequitur et tot malorum ansam praebuerit, nec sapiat genium capitis Christi, qui non venit perdere sed salvare.

Hic Faber: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quasi Ecclesia Romana ab haereticis pateretur persecutiones. Ego: Ergo vos non estis beati, qui occiditis alios et persecutionem non patimini. At ille: Ego plura patior una septimana, quam tu toto anno. Etiamsi ego in carcere, in vinculis, timore, algore &c et quod omnium

majus est in inferno ineffabili duello carnis et spiritus diu noctuque eram, de quo deficeret tempus loquentem.

14. Negat Sanctorum Resurrectionem cum Christo e limbo, sed una nobiscum resurrecturos?

R. Pauli est sententia, Heb. XI: ne sine nobis consumarentur. Job. XIX: in novissimo die de terra resurrecturus sum.

15. Negat Missam esse sacrificium pro vivis et defunctis?

R. Qui mortui sunt, hi jam non credunt, atqui sacramenta signa sunt fidei. Cum morte enim desinit fides et sancti experiuntur suam salutem, vitam ac beatitudinem. Quid ergo illis cum sacramentis? Nihil ergo Missa prodest defunctis. Est tamen synaxis seu Coena Domini sacrificium non propitiatorium, sed Eucharisticum et gratiarum actionis, alias unica oblatione consumavit sanctos Christus in perpetuum. Hic mirari se Faber dicebat ob hanc unam sententiam, nos hanc Epistolam amplecti non debere, cum alias de ejus authore dubitatum sit et Lutherus rejiciat.

16. Negat Purgatorium post hanc vitam?

R. Cum finis fidei sit vita aeterna 1 Pet. I et 1 Johan. V. de morte transibit ad vitam &c non potest esse aliquis ignis purgatorius post hanc vitam. Est tamen nostrum purgatorium Christus, seu fides in Christum Heb. I: Qui per se purgationem nostrorum peccatorum fecit. Et Ecclesiasticus, Christus purgavit peccata ipsius. Act. XV: Fide purificat Deus corda nostra.

17. Sola fide dicit nos justificari, non ex operibus?

R. Per terminos sola gratis, sine operibus &c non opera fidei excludo, sed fiduciam operum, et eam in solius Christi beneficium transfero. Opera ergo nostra non sunt antecedens causa justificationis nostrae. A causa ergo justificationis, non ab effectu opera excludo et quidem coram Deo, apud quem sola fides gratuitae misericordiae per Christum justificat, duplici egemus justitia, fidei et operum. Hic Faber: probabis ex scripturis sacris, quod sola fides justificet et statim dimittam te liberum. Dixi hanc voculam sola expresse non haberi in scripturis sacris, sed multae sunt aequipollentes sententiae. Gal. II: Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi ex fide Jesu Christi. Nisi ex fide quid aliud est, quam sola fide. Et hujusmodi alia citabam, sed naso suspendebat. Et cum ex Ambrosio et aliis pergerem probare, nihili fecit. Caeterum cum probaret ex operibus nos justificari, citabat illud Pauli Rom. XI, 11: Non auditores sed factores legis justi sunt apud Deum. Interrogavi palam: Domine Episcope! quid est facere legem? At ille: Est credere. Tum ego: Si facere legem est credere, cur hac sententia, quae est de fidei justificatione, ad operum Justificationem abuteris? sed elapsus est per Episcopalem licentiam.

18. Infantes propria dicit salvari fide, non aliena ÷ Ecclesiae?

R. Omnibus, qui salvari volunt, fides est necessaria, qua sine nemo potest placere Deo Heb. XI. Et pueri credunt, sed quomodo nihil ad nos. Hic de fide multa, quam cum definirem esse certitudinem sperandarum rerum, quidam ex Confessoribus ad Episcopum: Permitte, inquit, Reverende Pater ut loquar. Annuit, at ille: Nego, inquit, fidem esse certitudinem sperandarum rerum. Ego dicebam: Paulus ad Timotheum dicit: Scio cui credidi et certus sum. Quo spiritu hoc dixit? Hoc vel ipsi Fabro displicuit, nec amplius ille locutus est.

19. Negat auricularem confessionem?

R. Confessionem fidei, quae fit soli Deo, et charitatem, quae fit offensis fratribus, non nego, et doceo Pastorem adiri debere doctrinae consilio et consolationis gratia et propter privatam absolutionem, cujus verbo perinde est credendum ut ipsi Christo. Qui vos audit me audit. Sed abusum auricularis confessionis abhorreo.

20. Dicit potestatem ligandi et solvendi omnibus Christianis datam a Christo?

R. Verum est, quod sit data omnibus Christianis. Nam Petro in Persona totius Ecclesiae data est, sed usus publicus non omnibus est datus, ut sciamus ordinem servare in Ecclesia. Si autem Pastor indoctus fuerit, vel suae functioni non responderit, doctiorem medicum adibo, is quisquis sit parum refert.

21. Quod mulieribus potest fieri Confessio?

R. Si praedicare possunt; cur non etiam vel consulere vel consolari privatim? Alicubi interrogabam Episcopum, cur de his minutulis examinarer et non potius de articulis fidei, qui in nostra salute majoris sunt momenti? Respondit: Qui in his minutulis errat, fieri potest ut et in maximis erret.

22. Festos dies non habet?

R. Cum omnes dies festi sint Christiano, stati tamen dies esse debent ad audiendum verbum Dei, ad percipienda sacramenta, ad pauperum visitationem.

23. Docuit, sed utraque specie communicandum?

R. Verum est, quia sic instituit Christus. Et docuit ac scripsit Paulus: Probet autem seipsum homo &c. Tamen infirmitatis semper habui rationem.

24. Jejunia instituta ab Ecclesia reprobat?

R. Abusum reprobo et libertatem Christianam urgeo, habita semper infirmorum ratione.

25. Negat liberum arbitrium?

R. Duplex est tabula duplicem requirens justitiam: alterius tabulae

praecepta nos utcunque posse praestare, id est, politicam justitiam et opera rationi subjecta, quae vel ipsi ethnici non pauci praestiterunt, etsi intus fuerint meri hypocritae. Sed praecepta primae tabulae sine dono ac gratia Dei per Christum nulla ratione praestare posse.

Tunc Faber: Hanc distinctionem ne a Magistro quidem tuo audivi unquam (intelligebat autem Lutherum) cum tamen non erat Lutheri sententia, sed Augustini 3 Hypog., cujus verba reddideram Episcopo.

26. Horas canonicas reprobat?

R. Invitare populum et sacerdotes ad lectionem sacrarum scripturarum Joh. V. Act XVII. Illam battologiam, quae nec legentibus nec audientibus prodest quicquam, reprobari, quae est conscientiae et corporum carnificina.

27. Ut missent communi lingua?

R. Apostolus 1 Cor. XIV insaniam vocat loqui linguis in Ecclesia. Dixi aperte Episcopo, quod Regia Majestas et aliis bonis viris debuerat committere mea negotia, nam a quibus condemnarer, horum judicium etiam apud suos esset suspectum. Cum ab Episcopo in fine primi examinis ducerer eo, unde eduxerant, conversus ad me dicebat: Benedicerem tibi, si Christianus esses. Ex abrupto ego respondi: Non indigeo tua benedictione; est Deus, qui benedicet mihi et miserebitur etiam olim. Multa alia sunt acta, quae non succurrunt. Episcopus excepit omnia per amanuensem suum".

Colloquium hoc inter Fabrum et Matthiam Devai typis descriptum eleganti Proloquio exornavit Vitus Theodoretus, quod quoniam illius aevi Historiam illustrat, huc transferre non erit inutile.

Reverendo Domino Francisco Bátzi Praeposito Sepusiensi ac Secretario Regio, Domino et Amico suo salutem.

Cum Mathias Devay, vir eruditione et pietate insignis, hic apud nos aliquot menses substitisset valetudinis causa, quae ex itinere hyberno nonnihil afflicta erat, saepe multa nobis de religione et communibus nostris fuit mentio studiis. At summae voluptati mihi fuere ii, quos saepe inter nos committebamus sermones, quod et conditi erant singulari suavitate et certas significationes ingenii ac doctrinae prae se ferebant. Incidit autem inter reliqua mentio captivitatum, quas satis acerbas, propter doctrinam Evangelii, ad triennium fere passus est. Cum igitur Fabri Viennensis meminisset, a quo in carcere examinatus est, non solum ut oratione referret eam actionem totam, hortatus sum, sed etiam auditam rogabam ut literis mandaret, ac sane pro ea, quae inter nos fuit, conjunctione facile impetrari id a se passus est, et sua manu signatas quaestiones ac responsa exhibuit. Atque hic cum se mihi egregie satisfecisse crederet, neque ego aliud tum ab eo peterem amplius et ipse Vittebergiam ad communes nostros Praeceptores ac Patres se contulisset,

ab alio admonitus sum, editurum eum quaedam sua scripta ad Fratres, quos in Hungaria habet, contra quorundam sycophantarum impias calumnias confirmandos. Gaudebam occasione, ac denuo hominem interpellabam, ut examen illud adderet, quod apud me scriptum reliquerat. Etsi autem causas aliquas afferret, cur nollet publicari, quod neque tum in carcere respondisset ad omnia accurate satis, nec nunc esset potestas, adjiciendi quae vellet, tamen amico pertinacius urgenti gratificatus est, et ζητηματα ista infulati Doctoris reliquis libellis curavit addi. Fuit autem hoc mihi in consilio, quod existimabam varie prodesse Ecclesiae Christi, si haec quam a plurimis legerentur. Nam et confirmantur animi, cum ista Adversariorum nostrorum insignis stultitia ac inscitia patefit, et quia tantum hoc agunt, ut homines ad nugas suas amplectendas impellant, injustam et odiosam crudelitatem suam produnt, quam contra Ecclesiam Christi exercent. Quis autem non indignetur, hominem nullius criminis reum, sed propter suspicionem haereseos comprehensum, in carcerem et vincula conjici, et ab iis, qui Ecclesiae Doctores vocantur, interrogari, non de Articulis Fidei, sed de nugis quibusdam, quod non credat septem sacramenta, quod reliquias sanctorum non dicat colendas, quod horas canonicas non legat &c. At sane leve esset non interrogari de gravioribus, sed quod etiam igni et gladio ob has nugas contra Ecclesiam saeviunt, hoc vero caput est impietatis. Atque in hoc examine Faber maxime commotus est, cum negaret Matthias Transubstantiationem. Sed quodnam scripturae, quod Patrum et veteris Ecclesiae testimonium producunt, ut Transsubstantiationem credamus. Paulus retinet apellationem Panis, etiam post eulogesin seu consecrationem. Item Christus dicit se posthac non bibiturum de germine vitis, et Patres ipsi retinent appellationem Panis et Vini, sicut sunt testimonia apud Epiphanium et Basilium Graecos Theologos et alios Latinos quoque. Et tamen Faber elementis hanc haeresin purgandam esse dixit. Sed habetur etiam a nobis magna gratia Fabro et ejus similibus, quod in his privatis actionibus nobis pingunt, qualis futura sit toties jactata Synodus seu Concilium et quid nobis de eo sit sperandum. Nam frustra eam spem alimus, futurum ut de Articulis Fidei, de justificatione, de usu sacramentorum, de sacrificio Christi et aliis necessariis articulis accurate disputetur. His enim necesse est ruere et subverti omnem Adversariorum idololatriam. Igitur aliam methodum insistent sibi et tyrannidi suae commodam, nempe quod de doctrina et praesenti statu Ecclesiae sancta Romana Ecclesia jam olim pronunciarit, ergo blasphemiam esse, si quis illud Romanae Ecclesiae judicium tot Conciliis comprobatum in dubium vocet. Igitur si quis non credet purgatorium, indulgentias, septem sacramenta, sacrificium missae pro mortuis et

defunctis, ille etiamsi in omnibus Christianae Doctrinae praecipuis Articulis recte sentiat, tamen tanquam haereticus igni purgabitur. Sicut manifesta nostri seculi exempla sunt, et sanctissimus vir Johannes Huss ante centum annos eandem crudelitatem expertus est. Non defugiebat supplicium, non petebat dimissionem, hoc petebat ut audiretur et ex sacra scriptura et veteris Ecclesiae Doctoribus articuli, quos confitebatur suos esse, judicarentur; sed frustra petebat. Eadem futurae synodi erit plane forma, nisi istis in Ecclesia viperis saeviendi potestatem Magistratus ademerit. Quare existimo hoc Matthiae examen imaginem futurae synodi nobis exhibere, quae tanto saeviet crudelius, quanto istic conjunctis sententiis et viribus erunt validiores. Nunc singuli in suis angulis crudelitatem infinitam exercent, sicut in eo genere Faber carnifex verius quam Doctor aut Episcopus diceretur. Nota enim sunt per omnem Germaniam et alias vicinas regiones cruenta ejus tum consilia, tum facta, contra Ecclesiam Christi. Sed suo tempore requiret justus Judex justorum sanguinem ex ejus et similium manibus, atque utinam id non fiat cum vastitate totius Germaniae. Debent autem injusta haec crudelitas et acerba supplicia confirmare Ecclesiam contra Adversarios suos, si quidem Ecclesia, Christi exemplo, patitur et Papatus, Synagogae et Judae exemplo, Ecclesiam persequitur et crucifigit. Tenent in suis Ecclesiis adversarii nostri magnas dignitates, a Principibus adhibentur ad maximarum rerum deliberationes. Habent alia commoda plurima, quibus fere tanto cumulantur magis, quanto minus vel eruditione vel virtute ea merentur. Haec stultum vulgus et miratur valde et studiose ambit. Sed huc mihi oculos atque animum adverte; nullum enim hominum genus plus publice atque privatim nocet; nullae Rerumpublicarum et Ecclesiae nocentiores pestes sunt. Quare non potest ab eis longius abesse poena, qua quidem nunc gravissima urgentur si modo eam agnoscant. Quis enim non poenam gravissimam judicet istam extremam caecitatem, qua propter conjugium, propter utramque speciem sacramenti, propter intermissos recentes et veteris Ecclesiae ignotos cultus, homines nullius criminis reos tam crudeliter occidunt. Equidem vix ullum Germania carnificem habet, qui tot occiderit, quot Fabri iniquis judiciis damnati sunt. Haec Faber in suo foro, ita enim appellare libet, facit. Sed plus periculi est, cum etiam ad Principum consilia tales crudelitatem et ignorantiam, quibus extreme laborant, afferunt. Nunc etiam eo loco res est, ut asperioribus remediis etiam in justa causa nemo sanus uti cupiat. Isti autem eo animo sunt, ut manifestam impietatem crudelitate defendi et verbum Dei extrema saevitia oppugnare velint. Quare ipsi viderint, quem exitum tandem res sit habitura.

Volui autem, Francisce, vir clarissime, hanc Appendicem Examinis

tibi dedicare, quod recte convenire existimem, cum alteram suorum laborum partem Matthias tibi dedicarit, ut etiam hoc ejus scriptum tibi tanquam fideli ejus Patrono defendendum committatur. Vale. Kalendis Junii MDXXXVII T. Vitus Theodorus [1]).

Docuit in Possessionibus Casparis Dragfii hic Confessor; ubi vero extremos et quales habuerit dies, scriptum non inveni.

Devai Nicolaus a. 1545.

Deretskei Demetrius reformabat Sylvaniam.

Detsi Caspar Minister verbi D. in Tholna celebris.

Deczius Czimor Joannes. Hic fuit vir ab elegantioribus literis egregie instructus, qui anno 1587 a Wolphango Bánfi de Losontz Bontzhidae lateribus filii Francisci adjunctus simul cum ipso missus est in Academiam Vittebergensem. Iter ingressi per Passum Ojtoz in Moldaviam simul cum Cancellario Regni Wolphango Kovasotzi pervenerunt, qui Varsoviam ad Comitia contendebat; per Russiam, Masoviam, Prussiam, Pomeraniam, Marchiam iter promoventes Vittebergam, ubi tunc in Academia Coetus Hungaricus ex Nobilibus ac Generosis Juvenibus et ad studia bene animatis collectus existebat, accesserunt. Descripsit soluta oratione iter illud ac ad Patronum suum Wolphgangum Bánfilozontzium (uti scribit) Consiliarium Principis Transylvaniae Sigismundi Bathori et Comitem Coetus Dobocensis Vittebergae an. 1587 editum direxit. Sunt ad manus varia ejus Carmina Graeca ac Latina variis occasionibus fusa satis elegantia, quae tamen brevitatis causa praeterire cogor.

Debretzeni Tsorba Stephanus. Extat Elegia ejus pulcherima, in obitum Generosi viri, prudentia cum togata tum bellica liberalitatisque in orphanos et egenos exemplo memorabilis Domini Nicolai Walkai anno 1586.

Dombi Petrus, ex Academiis redux factus est scholae Tholnensis Rector circa annum 1560, celebris didacticus ac multorum parens in studiis excellentium ingeniorum.

Egri Petrus, praesens erat in Synodo Erdödiensi a. 1545.

Eszeki Emericus Pastor fuit Tholnensis an. 1536.

Ezlari Demetrius, hunc Sigismundus Rakotzi in Coetu Hungarico Vittebergae propriis intertenebat sumptibus an. 1588.

Fabricius Basilius Szikszoviensis, Professor Patakiensis, qui eximia oratione laudavit Joannem Vitum Balsaratium, M. Doctorem et Pastorem Ecclesiae Patakiensis, edita Vittebergae anno 1576. Epitaphium vero superius datum est.

---

[1]) Conferantur de Matthia Devai Hist. Ref. pag. 72—90.

Fabricius Thomas Tholnensis, cujus Carmen consolatorium ad Joannem Siderium, Filiae suae Annae obitu saucium, extat sequens:

Delicias animi et vitae solamen acerbae
Ereptum quereris Jane colende tibi.
Justa licet moestae non desit causa querelae,
Adde tamen lacrymis tristitiaeque modum.
Sors manet haec omnes mortali lege creatos
Nec sine lamentis, vita trahenda datur
Quin mage chara Deo, est aerumnis subdita turba
Nec pietas exors ulla dolore fuit.
Debita naturae mors est, non ultima flenda
Tempora, sed tanti mors et origo mali.
Praestat ut innocui coelesti sede locentur
Quos vocat ad coeli regna beata Deus.
Quam tot criminibus pressa tellure morentur
Saepius et laedant improbitate Deum.
Quid quod et ipse Deus venientia fata videre
Non sinit hos, quos vult ducere ad astra poli.
Quare age sume animum et tristes rescinde querelas
Teque dolore gravi frater amande leves.
Filia jam Christi, caelestibus addita nymphis
Regna tenet, veris perfruiturque bonis.

Felegyházi Thomas, Pastor Ecclesiae Debretzinensis, eruditione et pietate celebris, conscripsit lingua vernacula de praecipuis fidei articulis librum, qui intra decennium quater typis exscriptus est; adjunxerat etiam brevem Catechismum a. 1583. Transtulit in linguam Hungaricam Novum Testamentum, additis ad Epistolas Paulinas notationibus doctissimis, quod tandem prodiit Debretzini procurante Georgio Göntzi Pastore ejusdem loci an. 1586. Diem extremum habuit XVI Januarii anno 1586. Laudavit oratione Joannes Julanus Rector Scholae Debretzinensis. Deflerunt carmine varii: Stephanus Feleghazi Frater, Stephanus Thorba Debretzeni, Joannes Tsanádi, Michael Cibradi, Balthasar Miscoltzi, Joannes Tharatzk Debretzeni, Alexander Szomosközi. Carmina sunt ad manus.

Unicum ex multis epitaphium fratris huc transferam:

Inspicis hanc molem lapidum, nec tergis ocellos?
Pectus habes durum, duraque corda geris.
Publica cur Patriae non defles damna? nec ullo
Prosequeris luctu? saxea corda geris.

Sta, precor, hac sub humo et quinam, nunc disce, quiescat.
Nam poteris tantam nectere forte moram.
Hac requiescit humo Debretzini Pastor ovilis,
Accipiens Domini laeta brabeia sui.
Ille externarum contemto munere laudum
Nocte dieque sacris invigilabat ovans,
Sed vitae fragiles peragens feliciter umbras
Nunc fruitur vera prosperitate polo.
Is nunc Ambrosia satur est et nectare gaudet
Laetaturque sacris semper adesse choris.
Hic positis* qui sit jam scis, des oscula busto
Sic poteris coeptam continuare viam.

Aliud ad tumulum Distichon:

Quatuor hic nostri praestantia lumina regni
Condita, perpetuo vivere digna, jacent

nempe: Petrus Melius, Valentinus Hellopoeus, Stephanus Chrysopoeus, et Thomas Feleghazius.

Fegyverneki Isacus. Enchiridion Locorum communium Theologicorum ordine alphabetico dispositum edidit Basileae 1586.

Fogtoi Matthaeus, S Ministerium auspicatus est an. 1565, vixit etiam an. 1610, charus fuit etiam principibus viris.

Földvári Ambrosius. Pastor fuit Ecclesiae Laskoviensis, in linguam Hungaricam transtulit Zachariae Ursini Catechisationes, Buchani Theologiam, et Aretii Examen Theologicum.

Galszétsi Stephanus, erat ex primis Reformatoribus in Hungaria, circa an. 1530 edidit libellum de Decalogo, Symbolo Apostolico ac oratione Dominica; bene in fundamento sentit, sed nondum satis purgatam habuit Doctrinam a ceremoniis.

Göntzi Gregorius et Georgius, fuerunt Ministri Debrecinenses.

Gyarmati Nicolaus edidit librum, in quo demonstravit, sanctos demortuos non posse esse intercessores, ideoque neque invocandos.

Hellopoeus Valentinus Szikszoviensis. Fuit vir doctrina clarus zelo fervens; testantur pietatem et doctrinam ejus opera, quae Latina ac Hungarica edidit lingua. De tribus praecipuis fidei articulis, Deo vero, Electione ac Coena Dominica, fuse lingua utraque disseruit ac anno 1574 edidit, Catechismum in usum Ecclesiae Agriensis an. 1575, ubi Minister verbi Divini diu exstiterat, tandem Debretzinum translatus

* positus (ed.)

ibidem vitam finiit an. 1575. Cujus memoriam varii carmine celebrarunt. Basilius Fabricius Professor Patakiensis sequens epitaphium Posteritati reliquit.

Epitaphium Valentini Hellopoei, viri ingenio, erudita doctrina, pietate ac humanitate excellentis, fratris ac popularis dulcissimi, tertio Martii defuncti 1575.

Invida quem patriae rapuerunt Fata Valentem,
    Pannonici decus solii;
Tu sparsas lacerata comas Ecclesia plange.
    Luge fidelium chorus.
Occidit heu nostrae Vates clarissimus orae;
    Coetus sacer Vatum gemat.
Occidit et nimium miserando tempore, multis
    Raptis Dei praeconibus,
Dogmata qui unanimes passim sacrata sonabant
    Christi potentes spiritu.
Melius invicta superans virtute quiescit
    Petrus potens lingua, fide.
Thurius et summis doctrinae dotibus auctus
    Paulus tribus linguis vigens.
Agria Pastorem te jam gemit inclyta fidum:
    Fido celebrans pectore
Suspiransque tuae modulamina dulcia linguae
    Votis cupit fugacibus.
Urbs Debretzina pari te luctu plorat ademptum
    Vixdum satis te cognitum.
Usque dolens querulo refugit solatia planctu:
    Te flet juventus, flent senes.
Nos quoque, docte Valens, te lamentamur amici
    Conjunx suis cum liberis
Dulcisonis sed tu solitos concentibus hymnos
    Misces beatorum choris.
Clarus et astrigero pia gaudia carpis Olympo
    Sanctis parata gaudia.

Heltai Casparus. Fuit hic Minister Reformatus Claudiopolitanus, qui tam lingua quam calamo, tum etiam tandem Typographia erecta, multum promovit Reformationem. Diu acerrime se iis verbo et opere opposuit, qui sacrosanctum de Trinitate dogma oppugnabant. Edidit Apologiam adversus Stankarum, in qua ostendit veram de Christo Mediatore doctrinam, Anno 1553 libellum de arte beate moriendi, quem jam

antea anno 1551 Germanice Claudiopoli simul cum quadam Catechesi ediderat. Biblia sacra universa in linguam Hungaricam versa per partes ex propria Typographia publicavit. Conscripsit et edidit Normam agendorum, ad quam V. D. Ministri suas dirigerent actiones an. 1559. Decretum Tripartitum tam Latine quam Hungarice a se versum an. 1571 vulgavit, anno 1575 Chronicon Hungariae ex Decadibus Bonfinii collectum et alia quam plurima publicae exposuit luci. In coena Domini adversus Saxones acerrime Reformatorum defendebat sententiam.

Hevesi Michael, Pastor Ecclesiae Miskoltziensis an. 1566.

Hilarius Thomas, Pastor Eccl. Kassoviensis an. 1568.

Honterus Joannes Coronensis, magnum Reformationis apud Saxones instrumentum. Academiam Krakkoviensem in Polonia studiorum gratia adierat, inde Basileam discessit, ubi diu commoratus, cum in Patriam an. 1533 rediret, Typographiam quoque secum Patriae intulit, qua de Libris necessariis egregie prospexit. Coronam primum Urbem, mox totam Barciam reformavit, absoluta reformatione Ecclesiarum 1542, tandem edidit Librum quendam, qui esset Norma doctrinae et morum, qui dictus est Libellus Reformationis, editus an. 1547. Mortuus Coronae an. 1549. Plurimos edidit Honterus libellos, qui apud Czwittingerum videri possunt; ille quem de Variarum Rerum nomenclaturis inscripsit his versibus laudatur:

Honterus docta cum brevitate juvat.
Flectere verba docet, verbis quoque jungere verba,
Syllabicis modulis dulce sonare melos
Sive voles Latias exacte nosse figuras
Instruet istius pagina curta viri.
Est hic acutus, habet certi quia nil sine causa
Ad rem quae faciunt parturit ille tuam.
Et quia non animus numerosa mole gravandus
Praecipiens brevis est, dicta tenenda notat.
Hic brevibus, magnis quod non complectitur alter
Parvo cum magno sufficit iste viro.

Exstat Epistola D. Martini Lutheri ad Honterum, quae quia hactenus edita non est, quantum sciam, merito hic locum invenit.

Venerabili in Christo Viro Domino Johanni Hontero Coronensi in Hungaria (debuerat in Transylvania) Evangelistae Domini, Fratri suo Domino charissimo.

Scribis, mi Hontere, dedisse te ad me literas, sed nescire istis periculosis temporibus, num redditae sint? Scias autem esse redditas simul incluso nummo aureo effigiem Theodosii habente, quem scripsisti mihi

donatum a Praefecto seu Judice vestro in memoriam sui. Cui voce mea gratias agere oro. Caeterum de statu Ecclesiae et Religionis apud vos paulatim proficiscente, laudo Deum Patrem luminum, a quo omne bonum procedit, et precor ut augeat vos et benedicat omni benedictione spirituali, Amen. Non deerit vobis morsus serpentis, nam sic scriptum sic dictum ab initio, et sic futurum est ad finem, ut inimicitias inter semen serpentis et semen mulieris statuamus; aliter non habet nec habere potest Ecclesia vera Dei. Solatium est autem nostrum, quod victoria semper est penes ferentem contra mordentem, sicut scriptum est: ipsum conteret caput tuum. Recte igitur facies, recte statues vigilandum vobis esse contra hostes externos et lupos vicinos ac domesticos; hi sunt dentes serpentis et quidem molares ut Propheta ait. Sed occupatissimus sum jam senex et effoetus, qui requiem quidem opto meritam (ut puto) sed parum succedit votum. Ideo si brevibus scribo aut non respondi antea, ignosce. Hic Dominus sit tecum et cum omnibus tuis. Dominica Cantate A. 1544.

Martinus Lutherus S. Th. D.

P. S. D. M. Philippus abest in Thurringia.

Huszar. Anaxius Gallus, Pastor Ovariensis in Hungaria ac etiam Papensis, qui propriis expensis etiam Typographiam erexerat.

Joo Joannes, Professor Varadiensis, hic in frequenti Procerum Regni Hungariae et Transylvaniae conventu gloriose disputavit cum Stephano Aratore Jesuita, cum Regno excluderentur sub Principe Sigism. Bathori.

Kakonyi Petrus V. D. Minister in Hertzegszölös an. 1550.

Kallai Lucas an. 1545.

Kalmantsehi Martinus. Fuit hic vir doctissimus, eloquentia, zelo ac pietate clarus, Munkatsiensis, tandem Debretzinensis Ecclesiae Minister. In Ecclesia Romana erat Legum Doctor ac Canonicus. Hic reformavit Heroem Petrum Petrovitzium Munkatsini. In materia S. Coenae sentiebat cum Doctoribus Helvetiis, quam sententiam propagavit ac etiam acerrime defendit in Hungaria ac Transylvania adversus quosvis adversantes. Hinc factum est, ut nomen eximii viri conarentur obscurare quibusdam fictitiis maculis post Davidem Hermannum; frustra tamen. Comminiscuntur Medie in Transylvania tragice esse mortuum, postquam de S. S. Eucharistiae sacramento multa inconsulte disputasset. At vero Beregszaszini in Hungaria anno 1571 a Monacho quodam sanguinario trajectus globo martyrio vitam finiit [1]).

Kalotsai Joannes 1545.

[1]) Albert Molnar in Dedicat. Inst. Calvini edit 1624. Szölöki in Libro Bajnok Davidka p. 64. Histor. Ref. p. 279.

Kopatsi Stephanus. Fuit hic ex primis Reformatoribus, qui plurimas in Hungaria ac Transylvania Ecclesias lumine Evangelii illustravit. Erdödini diu ad latera C. Drágfi docuit, inde an. 1547 vocatus Rivulos Dominarum ad primarii Pastoris officium; biennio post translatus in scholam Saros Patakensem ad Theologiam ac Graecas literas docendas[1]).

Karoli Casparus. Fuit vir linguarum originalium scientia, pietate ac candida morum suavitate excellens, Pastor Göntziensis ac Fratrum Vallis Kassovinae senior. Indefesso labore sacra Biblia in Linguam Hungaricam transtulit. Sigismundus Rakotzius magnanimus Heros sumptum suppeditavit; praecipuus tamen edendorum Bibliorum Patronus extitit Stephanus Bathori, Judex Curiae cum pientissima conjuge Euphrosyne Homonnai: qui accito ex Germania Typographo duobus Tomis in folio Visolini in suo oppido edi curavit an. 1589 et an. 1590.

Georgius Thuri poeta insignis industriam Károlii sequenti carmine laudavit:

Pontificum tenebris alte Plebs mersa jacebat,
Et sine coeca libris et sine luce cohors.
Indoluit Caspar Karolinus et auspice Christo
Praeside Rákotzio Biblia versa dedit
Edocuitque omnes et sidera laetus adivit
O pia magnanimi, vitaque morsque viri.

Quo anno rebus humanis interesse desiit pius vir Karolius non satis mihi constat. Epitaphium tamen tale ipsi positum exstat: Patria Karolium; Hospitium Viteberga; Cathedra Et tumulus magno Göntzia viro est[2]).

Karoli Petrus. Redux in Patriam ex Academiis scholae Reformatae Claudiopolitanae in Transylvania factus est Rector, qui primus Georgii Blandratae et Francisci Davidis adversus Trinitatem molimina palam fecit, conscripsitque perspicuam explicationem orthodoxae fidei de uno vero Deo, Patre et Filio et Spiritu S. adversus eorum errores, quae Vittebergae tandem edita est an. 1571. Crebrum de rebus in Theologia arduis sustinuit commercium literarum, quarum aliquot reperiuntur inter epistolas Dudithii typis expressas. Scripsit de officio Ministrorum Agenda, Conciones in Symbolum Apostolicum et alia luci publicae exposita. Factus Varadiensis Ecclesiae Pastor ac Scholae Professor ubi et vitam finiit. Andreas Karolius sequens illi Epitaphium posuit:

---

[1]) Conferatur oratio Fabricii, de obitu Balsaratii edita 1576.

[2]) Est ad manus Fasciculus Epitaphiorum conjugi liberisque C. Karolii ea aetate scriptorum; brevitas non sinit inserere.

Karolium dederas nobis, Deus optime, Petrum
    Qui fuerat Patriae gloria prima meae.
Praefuit hic sacris non paucos rite per annos
    Varadii magna sedulitate docens.
Hic erat eximiis virtutum dotibus auctus
    Ingenio clarus judicioque gravis.
Quid referam quanta Franciscum vicerit arte
    Davidis, Christum qui negat esse Deum.
Omnia sustinuit mira bonitate Sophistae
    Scommata, ne fervor posset obesse sibi.
Dum pia scripta viri florent, laus vera manebit
    Illius exemplum posteritasque colet.

Karoli Sebastianus, post Reformationem sacrorum primus Saxopolitanorum V. D. Minister circa annum 1550. Fuerat Canonicus Albae Juliae et Scholae ibidem Rector.

Kassai Caesar Georgius, Professor Patakiensis, qui Basilium Fabricium eleganti laudavit oratione 1577 edita Wittebergae. Antea vero eundem carmine celebraverat cum super Vitum Balsaratium peroraret. Quod ita se habet:

Qui laudes Viti venientibus inseris annis
    Facundisque refers nomina sancta modis.
Te quoque Fabricii coelestibus inferet astris
    Musa tua eximiis Musa probata viris
Dumque aliquod studiis nomenque decusque manebit
    Clarus in ore piae posteritatis erit
Atque sequens debere tibi profitebitur aetas
    Ac erit in laudes officiosa tuas.
Pannoniae Heroes revocas quod rursus ab umbris
    Virtutemque horum morte carere facis.
Ac veluti sanctus decus indelebile Vitus
    Adjecit Musis, vir venerande, tuis.
Sic etiam sancto decus indelebile Vito
    Adjicis eloquio vir venerande tuo.
Materiem siquidem verborum gratia adaequat
    Mixtus et in versu est cum gravitate lepos.
Et nitor et nervi legem venere sub unam
    Aethereae si quidem semina mentis habent
Fonte fluunt uno, nec distant finibus, ambo
    Nominis aeterni lumina clara ferunt.
Facundis virtus dat vires inclyta Musis

Virtuti aeternum dat pia Musa decus.
Jure igitur Vitum vir maxime ad aethera tollis
Imo te Christi tollet ad astra fides[1]).

Kaszoni Joannnes, V. D. Minister an. 1545.

Kultsar Georgius, Pastor Lindvaiensis, edidit Postillam seu Conciones suas ad Textus Dominicales anno 1579.

Lascovius Monedulatus Petrus, qui studiorum causa bis Germaniam, Italiam, et Galliam adiit. Edidit Genevae an. 1584 cum hoc titulo: „Theorematum de puro et expresso Dei verbo, tam scriptis quam viva voce tradito et pari utriusque authoritate nuper in Gymnasio Claudiojesuipolitano in Transylvania a novis societatis Judae Monachis propositorum Examen et Refutatio. Dedicavit Alexandro Kendi, Wolfgango Korasotzi, Ladislao Sombori, Dionysio Tsaki, Joanni Gálfi, Regni Consiliariis. 2. Pigmentum originis sectae Jesuiticae. Ibidem. 3. De Homine magno illo in rerum natura Miraculo, et partibus ejus essentialibus Lib II. Vittebergae an. 1585.

Laskai Joannes, Professor Debretzinensis circa an. 1577, Poeta, Philosophus, Theologus insignis.

Lintzi Dionysius, qui an. 1524 Evangelium docebat in Hungaria.

Lötsei Cynàcus Martinus, qui an. 1520 factus Minister Evangelii in Leuschovia, primusque Urbis Reformator.

Melius Juhász Petrus. Fuit hic ex nobili familia oriundus in Horthi, doctrina, pietate, zelo, fortitudine, candore, magnanimitate clarissimus, Pastor Ecclesiae Debretzinensis, ac cis- Tibiscanarum superattendens prudentissimus. In tempore hunc Deus excitaverat ad veram de S.S. Trinitate doctrinam propugnandam adversus omnes ejus oppugnatores. Saepius Transylvaniam ad synodos intravit et victoriam de adversariis reportavit. Extant adhucdum Disputationes, literae et alia, quae ejus testantur pios labores, instrumenta. Gloriam Reformationis Hungaricae Nobilitatis et Siculorum ipsi Hanerus defert; qui ita tradit: „Solus Petrus Melius, voti sui compos, maximam partem Nobilium, majorem vero Hungarorum atque Siculorum numerum ad doctrinam suam alliciebat, imo tantum non omnes in Calvinianorum castra trahebat"[2]). Fuit id an. 1559, de tempore vero subsequente ita scribit, quod non tantum Hungari qui hactenus cum Lutheranis senserant, verum etiam plurimi ex Saxonibus relicta priori sententia ad Reformatos transierint.

Traditio de Melio in vulgus nota est: ipsum fuisse prius armen-

---

[1]) Sunt ad manus varia ejus carmina.
[2]) Hist Ecclesiast. p. 246, 269

tarium ac rei rusticae deditum; at cum aliquando Debretzinum ingressus studiosorum cohortem conspicatus esset, captus genere vitae, studiis se addixit jam adultus, cumque doceretur ingeminabatur ab Informatoribus melius Petre melius alias, atque ita nomen istud Melius Petro adhaesisset, quod ipse non invitus retinuerit ad status prioris recordationem. Verum, traditio haec incerta est, imo mihi aperte falsa videtur ob rationes sequentes. 1) Quia ipse in suis scriptis ubi vel maxime locus esset de hac sorte non meminit. 2) Nec adversarii ejus illi objecerunt, non relicturi, si vera fuisset. 3) Ipse saepe dicit se nobilem de Horthi. 4) Quia fuit praeter Latinam et Germanicam, Linguarum Graecae, Hebraicae, Arabicae, praecipue vero Turcicae peritus, ad haec Philosophus subtilis, Theologus profundus; gravior aetas, prout supponit Traditio, ad ea omnia perdiscenda est quoque inhabilior. 5) Origo nominis et schema vocis sine dubio ex usu illius aetatis interpretanda est. Moris erat tunc patria et domestica si minus arriderent in Latia aut Attica transmutare. Talia sunt Nomina apud exteros Melanchton, Oecolampadius, Lampius, Xylander, Piscator; apud nostros Hilarius, Hellopoeus, Chrysopoeus, Fabricius, Crispus (Fodor) Ruber veres &c. Melius. Nomen hujus erat Juhasz ovium custos aut curator, quod formavit in Graecum a voce μέλει, qua cura quaecunque exprimitur, in specie vero ovium. Haec vera nominis Melius est origo.

Celebre erat nomen Melii non solum in Hungaria, verum etiam apud exteros. Edidit opera plurima sermone latio ac vernaculo. Scripsit adversus Antitrinitarios, quod opus Genevae curante Beza lucem vidit. Edidit Catechismum, Novum Testamentum Hungarice versum a se prodire in lucem fecit et varios Veteris Testamenti Libros. Epistolam Pauli ad Romanos atque Apocalypsin concionibus complexas publicavit.

Herbarium quoque de usu et viribus Herbarum. Conciones ad Festa anniversaria. Agenda, seu formulas sacramenta administrandi, conjuges copulandi &c. Lingua et calamo aliis inserviendo luminis instar tandem anno 1572 defecit. Cujus morti plurimi vel in exoticis oris indoluerunt et carminibus memoriam gratae commendarunt Posteritati.

Molnar Gregorius. Reversus ex Academiis in Transylvaniam factus est Scholae Reformatae Claudiopolitanae Rector et Lector. Edidit grammaticam Latinam et Graecam, fuit vir profundae eruditionis, acris ingenii ac disertus. In vivis esse desiit an. 1558.

Mutzeius Matthias, Pastor Tholnensis an. 1540 Latine, Graece, Hebraice doctissimus, qui fuit discipulus Jacobi Fabri Stapulensis literarum in Gallia Restauratoris.

Ozorai Emericus, unus ex primis Reformatoribus, quos Dragfius defendebat adversus indignationem Joannis Regis.

Paxi Michael, diversus ab illo est de quo Beza ad Magnif. Nico-

laum Telegdi L. Baronem scribit, recommendatum ab ipso sibi simul cum Matthia Turi an. 1573. Hic enim jam an. 1540 Minister erat.

Pesti Gabriel, fuit hic Archidiaconus Ugotzensis et Canonicus Albensis, quod apparet ex literis Joannis Statilii ad Villicum Mediensem anno 1537 datis. Quatuor Evangelistas Hungarice interpretatos Wiennae anno 1536 edidit. Cui aggratulatus est tanquam discipulo Joann. Alexander Brassicanus, Jure consultus, Udalricus Faber, Wolphangus Lazius A. L. Magister.

Pesti Casparus fuit Professor Patakiensis.

Radan Basilius, Pastor Debretzinensis an. 1556.

Ramaszi Matthias, fuit Plebanus Cibiniensis, qui dum Cibinium reformaretur ipse quoque reformationem amplexus requisierat per literas Lutherum de modo Reformationis quo modo ulterius pergendum esset. Qui sequentibus respondit literis:

Venerabili in Domino viro, Domino Matthiae Ramasi, Pastori Cibiniensi et Decano ejusdem Capituli, Fratri charissimo, Gratiam et Pacem in Domino. Obtulit mihi Tabellarius tuus mi Matthia de Reformatione Coronensis Ecclesiae, ac totius provinciae Barciensis, typis Coronae excusum, quem volui ad te mittere; sed Tabellarius abundare isthic apud vos exemplaria retulit, voluitque penes me retineri, omnia enim quae tu a me petis in isto libro offendes, melius quam ego scribere possem. Placuit enim mihi vehementer, ut qui tam docte pure fideliter scriptus est. Igitur hunc libellum lege et rem cum Ministris Ecclesiae Coronensis communica; illi tibi erunt utilissimi cooperarii pro Ecclesiae Tuae Reformatione, nam nostrae Ecclesiae formam diligenter assecuti sunt in isto libello, ad quem et ad quos Te remissum volo. His in Domino felicissime vale, ac prospere age. Amen. Sabbatho Aegidii 1543. Tuus Martinus Lutherus. D.

Siderius Joannes Pastor Ecclesiae Tartzalinae et Ecclesiarum vicinarum senior. Composuerat aliquam Catechesin, quae ab omnibus recepta docebatur ac discebatur ad nostra usque tempora. Unicam tantum prolem habuit Annam filiolam, quae ubi denata acerbe ferebat. Plurimi epitaphia conscripserunt ex amicis; ipse quoque non inelegans Poeta, quae omnia anno 1586 Wittebergae sunt edita. Moestissimi Parentis carmen tale est:

Flebilis exemplar vitae, sua gaudia Janus
　　Cuncta Siderius, hac mole sepulta tenet
Cujus perpetuis cumulata doloribus aetas
　　Hac una saltem prole beata fuit.
Quae veteres curas quantum relevaverat, auxit
　　Morte sua in tantum fata severa patris.

Sed quia cedendum fatis; mea sola voluptas
Nata vale, laetus jam tua busta sequar
Quae non marmoreis fulgent ornata lapillis
Viva sed hic arbor; pomaque grata nitent.
Pomus enim mortis causam spectantibus adfert
Ac simul e terra surgere membra docet.
Non secus ac gelidis arbor depasta pruinis
Interit, ast iterum vere repente viret.
Sic modo quae gremio terrae conclusa quiescunt
Corpora, voce Dei mox rediviva micant.
Inde pii clangente tuba rapientur ovantes
Regis in accursum, regnaque celsa poli.
Felices animi, quibus hic data portio vitae est.
Fac nos participes, unica Christe salus.

Siklosi Michael, Pastor aulicus Magnifici Petri Pereni, in utraque Hungaria loca plurima reformavit, Siklosum in Barovia, Ujhellyinum cis Tibiscum an. 1531. Fuit severus vitae Aulicorum censor, igitur etiam odia eorum meritus.

Siklosi Nicolaus conclusa Synodi Hertzegszölösiensis transtulit in linguam Hungaricam, quae Papae an. 1577 Gallus Huszar edidit.

Szegedi Stephanus S. T. Doctor genuino familiae suae cognomine dictus Kis, de loco vero nativitatis Szegedinus. Natus enim Szegedini an. 1505. Rudimenta literarum posuit Lippaini et Gyulae in Hungaria, parentibus fato amissis scholas in Patria celebriores lustravit. Craccoviam an. 1540 se contulit, ubi magna sui nominis celebritate scholae docendae praepositus est. Inde Wittebergam adiit ibique Melanchtonis ac Lutheri auditor fuit sedulus. In Patriam reversus an. 1544 Tasnadini in templo populum, in schola juventutem erudiit. At Georgius Martinusius Thesaurarius Regius per Capitaneum Casparem Peresit acerrime tractavit plagis contusum ac calceis ferreis conculcatum seminecem reliquit, supellectili ac libris plusquam 200 barbarice spoliatum. Gyulae an. 1546 scholae gubernationem suscepit, inde in Ecclesiam Tzegledíensem transiit, ubi Locos communes Melanchtonis juventutem docuit an. 1548. Temesvarinum vocatus a comite Petro Petrovitzio Ecclesiae rursum et scholae praefectus est; at mutata regiminis forma Stephanus Losontzi arcis Praefectus simul cum aliis orthodoxis inde proturbavit, mox ipse per Turcas excarnificandus. Szegedinus an. 1551 ad Thur migravit, ubi in Schola et Templo more suo docuit. Captus et vinctus a Ferdinandi militibus per discipulum quendam jam militem libertati restitutus. Tolnam an. 1553 vocatus, inde Laskoviam, ubique pari studio docuit in Templo et Schola, an. 1558 totius Baroniae

superintendens declaratus generalis. Migravit in Ecclesiam Kalmantschiensem ubi cum in Templo inter concionandum ostenderet, indigne nomina brutorum hominibus ratione praeditis tribui, maleque illos liberis consulere, qui filios lupos, filias ursulas denominant, muliercula, cui nomen Ursulae fuit, excandescens ac tota in furorem versa, rediit cum lacrymis ad maritum obtestans et exsecrans, ni dedecus nomini suo inustum majori dedecore vindicaret. Paruit insensatus maritus muliebri furori innocentemque ac nihil tale veritum Szigedinum vicino Turcarum militum Praefecto velut rebellem detulit ac prodidit. Captus ergo Szegedinus varias iterum diu calamitates perpessus est. Redemptus ex Patronorum liberalitate Kevini sedem fixit, ubi an. 1572 aetatis LXVII exspiravit. Tumulo Epitaphium hoc additum:

Eloquio rarus mira gravitate verendus
  Ingenio felix et pietate sacer
Heu jacet eximius parvo sub cespite Doctor
  Hic Stephanus requiem qui Szegedinus habet.
Hunc juvenem vidit schola bis peregrina disertum
  Dogma Luthere tuum, teque Philippe sequi.
Post varios casus et multa pericula vitae
  Dum petit, aut dotes spargit ubique suas,
Sensit ad extremum plebs sacra Kevina docentum
  Admirans senio multa notare gravi.
Unde quidem Christi cultor non fictus honoris
  Hunc sua non aegre per monumenta colet.

Reliquit opera plurima, quae passim in doctiorum visuntur Bibliothecis, quaedam post fata Parentis edidit filius homonymus Stephanus Szegedinus. Vitam vero ejus descripsit Matthaeus Skaritzeus tandem Pastor Kevinus. Quamvis Lutheri fuerit auditor Szegedinus tamen in negotio sacrae coenae sentiebat cum Melanchtone uti et alii Hungari. Qualis Szegedinus fuerit pingit eum vivis coloribus Michael Paxi in literis ad Josiam, Simlerum a. 1573 datis ita: Stephanum illum Szegedinum, senem reverendum ac vere Apostolico seculo dignum, quidni excedentem ex hac vita doleam? Tanta in homine fuerat pietas, gravitas et prudentia administrandae rei Ecclesiasticae, ut qua multum quondam magno illi Luthero, ac sancto Melanchthoni cum illis conviveret in magnis rebus gerendis profuerit. Secundus erat inter illos qui me puero corruptelam de coena Domini in tota nostra Patria felici successu emendarunt ac sustulerunt penitus. Tanta in eo rerum divinarum peritia, tanta literarum humaniorum polities. Ut ex Clarissimo viro Paulo Thurio Praeceptore meo observando, alterum illum Ciceronem appellatum non

raro sed crebro recorder. Ex schola ejus cum adhuc laboribus scholasticis incumberet tanquam ex equo Trojano ii pene omnes prodierunt, qui praecipuam apud nos ob doctrinam sortiti sunt auctoritatem. Qui si in liberioribus Hungariae nostrae partibus vivere potuisset, innotuisset sane pluribus ac doctissimis libris scriptis, quos apud amicos aliquot delitescere scio. Sed ea fuit Turcarum barbaries, ubi ille plus minus triginta quinque Ecclesias rexerat ut periculosum illi esset cum Ministris peregrinarum Gentium communicare, et hanc ob suspicionem biennio amplius durissimam fere ad extremos spiritus sustinuerat captivitatem, ex qua cum magna pecuniae summa ab Ecclesiis fuisset redemptus, ibidem tamen mori apud subditas Turcis Ecclesias, ut gratae mentis ederet significationem, voluit [1]).

Szegedi Laurentius Pastor Ecclesiae Szathmariensis.

Szegedi Ludovicus Pastor Ecclesiae Debretzinensis a. 1557.

Szekely Basilius 1545.

Szeremi Elias Pastor in Baronia 1540.

Szentantali Gregorius Pastor Eszehiensis, qui an 1521 fuit discipulus Philippi Melanchthonis.

Szilvasi Michaël Pastor Ecclesiae Ujselyensis an. 1531.

Szovati Casparus Pastor Ecclesiae Budensis an. 1566.

Szanosközi Alexander. Edidit Analecta Lapidum Transylvanicorum. Fuit politiori literatura egregie instructus: ad manus sunt varia ejus carmina, in Poesi peritiam ejus declarantia.

Sztarai Michael. Unus fuit ex primis in Hungaria Reformatoribus circa annum 1530. Fuit Pastor quoque Debretsiniensis, sed praecipue in Barovia operarium in messe Domini se declaravit solertem: ubi hac via processit. Brevi paraphrasi Psalmos Davidicos versibus comprehensos coram coetu ad numeros Musicos suavissima vocalitate recitavit, mox articulos fidei auditoribus explicuit viamque salutis explanavit. Populus igitur sacerdotes missaticos fecit missos, iisque substituit tales qui verbum Dei praedicarent: adeo ut centum viginti Ecclesiae sub manu Sztaraini reformarentur, prout ipse in literis ad Nicolaum Tuknai datis scribit, ubi ita loquitur:

„Septennium jam est elapsum, postquam ego ex Dei Maximi Optimi voluntate, sub Dominio Turcarum in inferiore Baronia, primus atque solus in Civitate Laskoviana uno milliari Hungarico ab Eszek distante verbum crucis annunciare caepi, et jam cis et ultra Danubium atque Dravum cum reliquis fratribus postea ad messem Domini tam amplam atque jam prae maturitate albam accedentibus, centum viginti Ecclesias doctore

---

[1]) In Miscell Tigurin. Tom. 11 pag. 222. Hist. Ref. p. 99.

spiritu sancto aedificavi, in quibus omnibus verbum Domini unanimiter annunciatur atque suscipitur, idque tanta puritate ut multi negent se vidisse Ecclesias melius instructas etiam apud illos, apud quos verbum Dei jam annos plus minus triginta annunciatur. Nullam hic laudem nobis vindicamus, sed hoc totum potentiae Dei tribuimus. A Domino enim factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, ut lapis Christus non solum ab Hungaris, sed etiam ob omnibus aliis nationibus reprobatus sit caput Hungariae Turcica tyrannide oppressae, atque omni auxilio aliarum nationum destitutae. Deo igitur gratia, qui dedit nobis sub servitute libertatem, sub ignobilitate nobilitatem, sub victoria hostium Christi victoriam mortis et inferni. Dum enim judicamur in hoc mundo, a Domino propterea corripimur, ut ne cum hoc mundo damnemur, quemadmodum etiam David de se canit. Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam mandata tua. Longum esset enarrare, Charissime Domine Nicolore, quos conflictus, cum sacrificulis Papae, hoc septennio in annunciando Dei verbo habuerimus. Hoc tamen satis est scripsisse quod eos ubique vicimus, et tanquam lupos ab ovili Christi procul fugavimus atque alios trans Titium flumen, alios vero trans Saum flumen ire coegimus; ultra Sauromatas videlicet et ultra glacialem Caucasum, ut canit ille. Hoc anno in feriis Pentecostes tempore Synodi circa Valpo et Valcovar duobus preliis eos superavimus atque nonnullos per timorem sub capisterio tribus mulieribus desuper sedentibus latere coegimus, unde jam Sclavis natum est Proverbium: „Popgc pod coritom, pod Troyam senom" [1]).

Ex Psalmis Davidicis mellitissimas formavit Cantiones, quae hodiedum in Ecclesiis nostris suavissime concinuntur. In quarum literis initialibus Nomen suum expressit sunt sequentes. Ex Psalmo

X-mo Meg nyomorodvan ellensègetöl szent Dávid.
XII-mo Szabadits meg és tarts meg Uram Isten.
XV-mo Sokan vagynak mostan ollyaten emberck.
XXII-do Szent Dávid Profeta Encklö Kömprben.
XXVI-to Mihor Dávid vala Keserüségében.
XXVIII-vo Mostan Sozzád fel Kiáltok.
XXIX-no Szent Dávid Proféta az Istennek.
XXXII-do Sok emberck vagynak e széles világon.
XXXIV-to Mindenkoron áldom az én Uramat.
XXXVI-to Sok nyilván való bizonpágokkal.
XXXVII-mo Meg nyomorult Szegény Keresztyen.
LXIII-ro Saulnak Dávidhoz jó sverilme.

[1]) Literae editae sunt in Miscellan. Tigurinis Tom. II pag. 200.

LXIV-to Meg Salgassad az én imádságomat.
LXV-to Sok jó téteményin nagyon tsudálkozván.
LXXIV-to Sok inségünkben Sozzád.
XCII-do Melly igen jö az Ur Istent ditsérni.
XCIV-to Mikor szent Dávid Kegyetleneknek.

Has omnes cum pluribus aliis formavit Sztarinus, ex quibus non tantum doctum sed et pium ac religiosum fuisse eum luculentissime apparet.

Tolnai Valentinus, fuit Tolnae Pastor Ecclesiae et Rector Scholae, Linguae Hebraicae inter alia calentissimus adeo, ut Judaei ipse natum eum asseverarent esse Judaeum.

Tolnai Thomas Pastor Ecclesiae Patakiensis.

Tordai Demetrius Pastor Ecclesiae Ovariensis, qui anno 1545 creatus in superintendentem Ecclesiarum.

Turi Paulus, fuit vir sua aetate doctrina ac pietate excellentissimus, de quo Basilius Fabricius in oratione super funere Joannis Viti Balsaratii recitata ita meminit:

„Nonne quatuor ante mensibus amisimus decus illud et columen Ecclesiarum nostrarum eximium Paulum Thurium Zanthovianae Ecclesiae Pastorem doctissimum, linguarum artiumque nobiliorum cognitione illustri praeter multos alios conspicuum, Poeticaeque facultatis praestantia his in terris clarissimum"? Fuit Poeta insignis adeo ut clarissimis sui aevi Poetis annumeraretur a Lotichio; illius est Distichon de Institutione Religionis Christianae a Joanne Calvino editae, quod jam diu celebratur:

Praeter Apostolicas post Christi tempora chartas
Huic peperere libro secula nulla parem.

Mortuus est Szantoviae in Ministerio an. 1574 cui Joan. Petrus Lotichius tale erexit Epitaphium:

Thurunum genuit, docuit Viteberga Philippo
Doctore, ossa tenet Szantovia, Astra animam.

Turi Georgius, Pauli Filius, qui laureatus, ut consuetudo istius aetatis ferebat, Poëta erat. Carmina ejus Delitiis Poetarum Hungarorum Joh. Philippus Parens inseruit. Petrus vero Lotichius ita de isto scribit:

Thurieremis Thurius plus dulcia carmina donis
Quae vel Arabs vel fert terra Sabaea canit.
Quis rigidos igitur nunc Pannonas dicere ausit
Gens ea tam nitidi cum sit odoris amans.

Melchior vero Adami sequenti eum mactat praeconio.

Cur te Beza suum, cur te vocat ipse Melissus
Id numeri faciles osque trilingue facit.
Cuncta isthaec tibi sunt, decorant quae singula multos.
Pannonius non sis, Ennius ergo mihi. —

Turi Jacobus V. D. Minister Hebraicae praeter alia peritissimus linguae.

Tzegledi Georgius Pastor Ecclesiae Varadiensis an. 1560.

Tzegledi Franciscus Professor Scholae Patakiensis.

Veresmarti Elias, qui erat Canonicus Tsulaiensis prius, tandem factus est V. D. Minister in Baronia circa annum 1540.

CAPUT OCTAVUM.

De numero Ecclesiarum in Hungaria secundum superattendentias et senioratus Reformatarum et earum superattendentibus.

§ I. Gloria Dei postulat et Ecclesiae Christi utilitas requirit, ut numerus Ecclesiarum apud Hungaros Reformatos designetur; unde ad oculum patescat non in angulo aliquo retrusi veritatis Professores, sed in tota, qua late patet, Hungaria florentissimas habuerunt Ecclesias. Quum seculo superiori circa annum 1670 crebrae persecutionum procellae Ecclesias secundum Helveticam Confessionem Reformatas aeque ac confessioni Augustanae addictas obruissent; intercedebant pro ejusdem fidei sociis Legati Regum Angliae, Daniae, Sueciae, Electorum Brandeburgici, Saxonis, Palatini et Foederati Ordinum Belgii Residens. Verum persecutionum fabri persuaserant Augustissimae Aulae, paucos esse Fidei a Romana discrepantis asseclas, eosque glebae adscriptos, in Turcica ditione habitantes. Unde Aula Augusta intimabat intercedentibus Legatis: „Non debere Principales eorum adeo solicitos esse pro Hungaris Augustanis et Helveticis, paucae si quidem istarum sectarum jam in Hungaria superessent Ecclesiae, sub alis et umbone Turcarum in Transylvania, cis item et ultra Tibiscum aliquot latent Ecclesiae Calvinisticae, in Montanis item et liberis Civitatibus, uno item vel altero Comitatu, hinc inde nonnullae Lutheranae[1]). Nemo eorum figmento circumvenire potuisset si Ecclesiarum catalogus in omnium manibus palam fuisset.

---

[1]) Histor. Reform. pag. 562.

§ II. Quis primum Ecclesias Hungaricas ad senioratus et Superattendentias distinxit, non adeo certum est. Ab initio tamen Reformationis distinctas Dioeceses et superintendentias fuisse satis apparet. Transylvanis Johannes secundus rex electus an. 1564 mandabat in literis, ut qui discrepantes sequerentur opiniones, distinctos etiam haberent regentes superattendentes. In Hungaria etiam Regimen superattendentiale vigebat, quod loco suo non tantum relictum, sed et confirmatum, cum anno 1608 in Diaeta Regnicolae ita statuerent: Ad praecavenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet Religio suae Professionis superiores seu superintendentes habeat statutum est[1]). Animus equidem est numerum Ecclesiarum in Hungaria Reformatarum repraesentare, at cum instrumenta digniora iis ad manus non sint, quæ collegit initio seculi hujus Paulus Ember Debretzeni, edidit vero F. A. Lampe sub titulo: Historia Ecclesiae Reformatae, numero tantum secundum Superattendentias et senioratus indicato. Ecclesiarum specificatione chartas non repleturus sum; eos in Historia memorata locis ubique indicandis infra, videre potest, cui volupe est. Neque hic in censum venire jussi Ecclesias Augustanæ Confessioni in Hungaria addictas, quae magnam Regni occupant partem; verum tantum purae Helveticae confessioni addictas. Quinque fuerunt Superintendentiae olim in Hungaria, quas ex ordine lustremus.

§ III. Primum memorabo Superintendentiam cis-Tibiscanam, quae anno 1567 cum Helveticam confessionem in synodo reciperent, jam complectebatur quatuordecim senioratus[2]) hic statim specificandos.

1. Primus senioratus est Bihariensis de oppido Bihar aut Varadiensis de Arce Varad, qui sub se habuit Ecclesias LXIX[3]). Fuerunt et plures, quae per Turcarum incursiones desolatae sunt, et cum tempore loca insederunt Valachi aut Rasciani Graeci ritus. Secundus senioratus Ermellyekiensis ita dictus ab Er fluvio, complectitur in se LXVIII Ecclesias[4]). Tertius senioratus est Sylvaniensis aut Szilágyságiensis, ubi sunt XXXIX Ecclesiae cum oppidis Zilai et Somlyo[5]). Quartus senioratus est Karoliensis aut Közép Szolnokiensis LX in se Ecclesias complectens[6]). Quintus senioratus Nyiriensis aut Sza-

---

[1]) Art. 1 an. 1608.
[2]) Histor. Reform. pag. 603.
[3]) ll. cc. pag. 634.
[4]) Hist. Reform. p. 643.
[5]) ll. cc. pag. 645.
[6]) ll. cc. pag. 622.

boltsiensis de castro Szabolts, habet Ecclesias LXXVI[1]). Sextus Szathmariensis a civitate Szathmár nomen habet, in se vero complectitur Ecclesias XCIX[2]). Septimus Rivulinensis seu Nagy Bamjaiensis, dictus etiam hic senioratus Tractus Arannyas Medgyesiensis ab oppido et arce Arannyas Medjes Reformatae Religionis patronis inhabitata, habuit sub se Ecclesias XXIX cum Arce N. Bánya[3]). Octavus est senioratus Maramarosiensis, ubi sunt Sziget, Husit, Visk, Tetsö, Hopfinmerö oppida privilegiata et duo Pagi Remete ac Urmezö in universim septem Ecclesiae, cum scholis ibidem florentibus[4]). Nonus senioratus Berregiensis, ubi sunt Ecclesiae cum Filialibus XCII[5]). Decimus senioratus Ugotsensis complectitur Ecclesias XXXIII[6]). Undecimus senioratus Debrecinensis, habet Ecclesias in summa LXXV cum Collegio illustri et scholis in oppidis florentibus[7]). Duodecimus senioratus est Zarandiensis, dictus olim Beszermeniensis, et etiam Boros Jenöiensis ab oppido et Arce Boros Jenö, habuit Ecclesias LXVII, quae a Rascianis et Turcis saepius sunt expilatae[8]). Decimus tertius senioratus Makoiensis, a comitatu dictus etiam Bekesiensis, et olim Alföldiensis, complectitur XXVII Ecclesias[9]). Decimus quartus senioratus Turiensis ab oppido Tur, et Cumaniensis aut Kunságiensis, complexus est XXXII Ecclesias: verum cum Tartarorum excursioni ea Terrae plaga est exposita et Sirbiorum immanitati objecta, saepius Ecclesiae desolatae sunt, bonitas autem terrae rursum allicit incolas[10]). Complectitur itaque haec superattendentia cis Tibiscana in universum septingentas septuaginta sex Ecclesias, quarum aliquae inter tot Patriae calamitates sunt desolatae, aliae e solitudine emersae per Dei gratiam pulcherrime florent.

§ IV. Superattendentes in hac superattendentia fuerunt, quorum memoria Posteritati est transmissa:

1. Michaël Hevesi Pastor Ecclesiae Szathmaniensis, ante autem concionator in Aula Meinardi Balassa, anno 1551.
2. Demetrius Tordai Pastor Ovariensis Bathoviorum et Dragfiorum, electus in superintendentem in Synodo an. 1554.

---

1) ll. cc. pag. 624.
2) ll. cc. pag. 612.
3) Histor. Reform. pag. 620.
4) ll. cc. pag. 610.
5) ll. cc. pag. 607.
6) ll. cc. pag. 611.
7) ll. cc. pag. 625.
8) 638.
9) ll. cc. pag. 640.
10) ll. cc. p. 641.

3. Demetrius Bogátzi. Pastor Eccl. Tsengeriensis an. 1559.
4. Petrus Juhász, Melius de Horthi, Pastor Debrecinensis, creatus in superintendentem Varadini an. 1562. De hoc plura superius.
5. Petrus Karoli, Pastor Ecclesiae Varadiensis.
6. Georgius Göntzi primum Varadiensis, tandem Pastor Debricinensis, constitutus in superintendentem 1572.
7. Benedictus Bánfi Humjadi Pastor Debrecia, electus in Superintendentem an. 1595 Karolini in Synodo die 6 Julii, factus tandem Pastor Rivulinus.
8. Johannes Monai Pastor Thasnadiensis, postea Etsediensis, mortuus vero an. 1603 in Martio.
9. Lucas Hodasvi Pastor Etsediensis, dein Debrecinensis, electus in superintendentem Tsengerini an. 1604 die 22 Febr., mortuus autem an. 1613 die 15 Maji, dum ardentissimas in Templo ad Deum funderet preces e cathedra.
10. Stephanus Nyilas Melotai, qui fuit Pastor Eccl. Szathmáriensis, electus in Superintendentem an. 1613, quo officio per quinquennium laudabiliter functus, factus est tandem Concionator Aulicus Serenissimi Gabrielis Bethlen Principis.
11. Josephus Göntzi. Pastor Rivulinus, electus an. 1618 Szathmarini.
12. Petrus Margitai Pastor Husztiensis, dein Sathmariensis, constitutus in superintendentem Thasnadini an. 1629 die 18 Februarii.
13. Stephanus Kerészegi, Pastor Zilahiensis, dein Debrecinensis, superintendens creatus Szathmar Nemethini an. 1629 die 25 Novemb. per suffragia CCIV virorum, mortuus Debrecini an. 1642.
14. Michael Molnar Szántai Pastor Varadinensis, dein Nagy Banyensis, electus an. 1642, mortuus an. 1646.
15. Michael Diofregi Past. Bihariensis, electus an. 1646.
16. Nicolaus Hodasvi Pastor Rivulinensis, electus an. 1649.
17. Nicolaus Lázár Szathmári, Pastor Viskiensis, postea Szathmariensis, electus in superintend. an. 1650.
18. Cáspár Tornai, Pastor Debrecinensis, electus an. 1657.
19. Matthias Nográdi Pastor Debrecin. dein N. Bajomienis an. 1664.
20. Petrus Körmöndi. Pastor Erdödiensis, dein Szathmarien., elect. an. 1686.
21. Stephanus Dormány Debrecini Pastor Madalensis electus in Synodo Karolini.
22. Stephanus Diofregi SS. T. Doctor Pastor Diofregiensis.
23. Martinus Szilagyi per XXX annos in Collegio Debrecinensi Philosophiae, Theologiae S. Linguae &c. Professor, electus in superintendentem in Synodo Karafinensi an. 1699.

24. Johannes Tsergö Kotsi, S. Theologiae et Linguarum in illustri Collegio Debrecinensi Professor, electus Debrecini an. 1700[1]).
25. Thomas Veresegyházi S. T. Doctor, Pastor Debrecinensis, electus in superintend. Szathmarini in Synodo an. 1711. Eo mortuo per aliquot annos superintendentia vacavit. Tandem constitutus
26. Georgius Zoamji Pastor Zilahensis.
27. Georgius Tatai.
28. Samuel Hilágyi. Prof. Debrecz. tandem Pastor Diofeghiensis tandem Hathmaziensis, tandem Pastor &c. superintendens Debrecz. anno hoc 1785 quoque.

§ V. Secundo loco memoranda venit Superattendentia cis-Danubiana, quae diffunditur in comitatibus Heves, Pest, Pilis, Solt unitis, Tholnensi et Alba Regalensi. Quinque autem habet senioratus. Prïmus dicitur Kets-kemetiensis de Civitate Ketskemét, habet sub se Ecclesias XIX[2]). Secundus senioratus est Pestiensis complectens Ecclesias XXXIII. Tertius senioratus est Tholnensis de civitate Tholna, habet Ecclesias XX. Quartus Senioratus est Alba Regalensis, complectitur Ecclesias XXI. Quintus senioratus Erdöhátsági seu Valiensis habet Ecclesias XXII[3]). Atque ita haec superattendentia numerat Ecclesias centum decem et quinque, quae in magna sunt oppressione ab Episcopis Catholicis jam a multo tempore, florent tamen Dei gratia palmae instar sub pondere crescentis. Requisitus illarum Ecclesiarum Antecessor ut certius quid de earum statu edoceret, nihil praeter querelas et continuas oppressiones rescripsit.

§ VI. Superintendentes qui huic superattendentiae praefuerunt, non satis liquet, quorum memoria ab oblivione est vindicata, sunt sequentes:

1. Albertus Bakonius. Pastor Ecclesiae Tzeglediensis, in superintendentem creatus an. 1547, quo usque vixit, et qui illum immediate excepit non constat.
2. Caspar Hertzegszölösi, constitutus in Synodo Ratzkevina an. 1607.
3. Stephanus Molnár.
4. Johannes Monostori.
5. Michael Simandi, Pastor Ratskeviens. et superintendens an. 1630.
6. Johannes Barsi.
7. Georgius Paxi Pastor Ketskemetiensis.
8. Gregorius Unguari Minister Ecclesiae Körösiensis et superintendens ab anno 1664.

---

[1]) Historia Reform. pag. 605.
[2]) Histor. Ref pag. 647.
[3]) l.l. c.c. pag. 650.

9. Johannes Lenti, Minister Ecclesiae Ketskemetiensis et superintendens ab anno 1681.
10. Johannes Pathai Minister Ecclesiae Pathaiensis, creatus in superintendentem an. 1692, denatus est an. 1729, verus hic fuit Macrobius, qui in Ministerio sacro peregit annos LXXV, in Inspectione Ecclesiarum generali XXXVII, in conjugio unius feminae LXXV, quam adhuc superstitem reliquit. Nepotes ex se ortos numeravit CXXX, aetatis autem suae annos CV [1]).
11. Paulus Ketskemeti.
12. Johannes Pathai superius memorati filius, qui in superintendentem electus an. 1731, mortuus an. 1739.
13. Stephanus Helmetzi Pastor Körosiensis, electus in superintendentem an. 1740, in congregatione secularium et Ecclesiasticorum Körösini celebrata.

§ VII. Tertio memoranda est Superintendentia superioris et inferioris Baroviae, quae aliquando conjuncta fuit cum superintend. cis-Danubiana, aliquando sejuncta. Fuerunt aliquando senioratus ibi Posegensis, Mohatsiensis, Petsiensis, Szigetvariensis, hodie autem dicuntur Veresmartiensis, Mohatsiensis, Ormanyságiensis et Valkoniensis aut Posegensis, circa Savum et Dravum fluvios fuerunt olim populosae Ecclesiae ex Croatis collectae; in eorum rationem magna cura olim in illustribus Gymnasiis formabantur Ministri ex propriis eorum filiis Debrecini et in Transylvania [2]). Numerabantur Ecclesiae in superiori Barovia LXXIV, in inferiori Barovia XXVII, in Tractu Valkonensi XIX, in universum centum viginti. At vero sub persecutionibus numerus Ecclesiarum valde est imminutus et per bella cum Turcis quaedam loca manserunt desolata.

§ VIII. Nomina superintendentium Baroviensium sunt:
1. Michael Sztarai Past. Ecclesiae Tholnensis, Reformator earum Regionum, superint. utriusque Baroviae an. 1553.
2. Stephanus Szegedi Past. Ecclesiae Lashoviensis, superintend. an. 1554.
3. Stephanus Eszeki Pastor Ecclesiae Detsensis.
4. Elias Veresmarti Past. Eccl. Hertzegszölösiensis, superint. an. 1566.
5. Laurentius Lashai. Past. Eccl. Hertzegszölösiensis, superint. an. 1608.
6. Johannes Lashovius. Past. Eccl. Veresmart., superint. an. 1613.

---

[1]) Vide Musaeum Bremense pag. 493. Confer Histor. Refor. p. 651.
[2]) Histor. Refor. pag. 661.

7. Georgius Petri, superint. an. 1629.
8. Nalentinus Halasi Past. Eccl. Lashoviensis, superint. an. 1645.
9. Stephanus K. Veresmarti Past. Eccl. Kopatsensis, superint. an. 1665.
10. Johannes Veresmarti Past. Eccl. Veresm., superint. an. 1678. Post fata viri hujus diu superattendentia vacavit ob rigidissimam Episcoporum Quinque-ecclesiensium persecutionem. Electus tandem est
11. Stephanus Gyimoti Past. Veresmartiensis an. 1699: eo extincto successit nemo, verum Ecclesiae subsunt inspectioni superintendentis cis-Danubiani [1]).

§ IX. Quarta superattendentia est Trans Danubiana in Comitatibus Castri ferrei, Soproniensis, Szaladiensis, Simegiensis, Weszprimiensis, Jaurinensis, circa fluvios Raba, Mura, vastum item terrarum cis et ultra lacum Balaton, florentissimae fuerunt Ecclesiae in his oris sub protectione illustrium Familiarum Batyani, Eszterhazi, Nyari de Bedeg, Töröh de Ening, Nadasdi, Zvingi, Sarháry, Banfi de Lindva &c quae ubi avitam cum Romana permutarunt Religionem, Ecclesias Reformatas in calamitatem praecipitarunt. Primus senioratus extenditur in comitatus Sopróniensis et Castri ferrei, ubi sunt Ecclesiae numero LVII. Secundus senioratus in Comitatu Szaladiensi de Castro Szalavar ita dicto, versus lacum Balatonem et circa fluvium Mura, ubi sunt Ecclesiae XXVIII. Tertius Senioratus Simigiensis ubi sunt Ecclesiae XXV. Quartus Senioratus in Comitatu Veszprimiensi complectitur Ecclesias XXXIX. Quintus Senioratus Jaurinensis ad fluvium Raba et in insula Danubii Tsaloköz habet Ecclesias XLV [2]). Tota ergo superattendentia olim complexa fuit centum nonaginta quatuor Ecclesias, quarum numerus in continuis persecutionibus multum est imminutus.

§ X. Superintendentes fuerunt sequentes:
1. Gallus Anaxius Husvar Past. Eccl. Papensis superintendens.
2. Stephanus Boithe, Pastor Eccl. Nemetujvariensis superint.
3. Gregorius Szegedi Past. Sárvárensis superintendens.
4. Emericus Boithe, Concionator Francisci Batyani in Gissing.
5. Stephanus Pathai, Past. Rohontz, Papens. et Vespremiensis superint.
6. Johannes Paulides Kanisaeus, Past. Nemetujvariens. superint.
7. Paulus Tzegledi Past. Ecclesiae Papensis superint.
8. Emericus Gal Past. Eccl. Weszprimiensis.

---

[1]) Ex Literis Steph. Helmetzi Superintendentis cis et ultra Danubiani an. 1748 ad me datis.

[2]) Historia Refor. pag. 654.

9. Stephanus Sellyei Past. Eccl. Papensis, Confessor Ecclesiae Neapolitanas ad Triremes venditus.
10. Jacobus Tseh Tsuzi SS. T. Doctor, Confessor Jesu Christi Pastor Ecclesiae Papensis et superintendens.
11. Johannes Tarhas Losontzi Past. Eccl. Weszprimiensis et superint. Post hunc diu superintendentia vacavit.
12. Samuel Hodosi Past. Westprimiensis, superintendens anno 1702, qui in captivitatem compactus diu a Kolonitsio detentus in carcere minabatur ablegaturum ad Triremes pro discendo Evangelio, tandem ad intercessionem Legatorum Regis Angliae et Belgarum Vienna dimissus est[1]). Concessit ad partes Hungariae liberiores Szikszoviae diu in Ministerio fuit, tandem coecitas et surdities cum summa senectute supervenerunt, adhuc anno 1748 in summa miseria prope centenarius vixit.

§ XI. Quinta Superattendentia est ea quae extendebatur in Comitatibus Mosoniensi, Posoniensi, Komaromiensi, Nitriensi, Barsiensi, Hontensi, Neogradiensi. Sunt hic quinque senioratus. Primus est Samariensis complectens XXVII Ecclesias. Secundus Komaromiensis in se habens Ecclesias XLVI. Tertius est Komjatiensis, qui complectitur XXXI Ecclesias. Quartus est Barsiensis seu Levensis qui habet Ecclesias XXXI. Quintus senioratus est Palankiensis aut Neogradiensis XX terminatus Ecclesiis. Unde superattendentia haec centum quinquaginta quinque habuit olim Ecclesias, ex quibus jam aliquae defecerunt[2]).

§ XII. Nomina supperattendentium sunt sequentia:
1. Gallus Anaxius Husvár Pastor Ovariensis et superint. 1568.
2. Petrus Bornemiszsza Past. Szerediensis superint. 1576.
3. Demetrius Sibolti.
4. Nicolaus Dobronoki, P. E. Komaromiensis superintend. an. 1608.
5. Petrus Tsene Szentzi P. E. Ersehujvariensis superint an. 1615.
6. Johannes Samaraeus Past. E. Halasviensis superint. 1623.
7. Stephanus R. Tolnai. Past. Eccl. Samariens. superint. an. 1632.
8. Lucas Szentzi Past. Eccl. Samariensis superint.
9. Johannes Száki Past. Eccl. Szentziensis, Samariensis &c. superintendens an. 1664. Hic in persecutionibus Komaromini per summos cruciatus est sublatus; post hunc superattendentia vacavit per XLVIII annos. Tandem electus in superintendentem
10. Petrus Magyari Past. Aramujas Medjesiensis an. 1712.

---

[2]) In literis Procerum Europae.
[1]) Hist. Reform. pag. 564.

11. Stephanus Major Kotsi, qui diu officio praefuit.

§ XIII. Praeter quinque superattendentias jam recensitas fuerunt in Hungaria quatuor Dioeceses unitae, quae regimen superattendentiale prorsus non admittebant, partim quia discerpta in partes Hungaria, quosdam Comitatus possidebat Rex Hungariae, alios Turca, in illis sine literis salvi conductus iter facere tutum non erat; eas vero subinde extrahere a Praesidii Praefectis onerosum et sumptuosum erat. Partim quia malebant regimen presbyteriale ad normam Ecclesiarum Belgicarum et Scoticarum. Sunt autem senioratus isti sequentes:

Primus est diffusus in comitatu Kis Hontensi, Gömöriensi, Borsodiensi, Hevesiensi, Abaujvariensi et Zempleniensi suntque in eo CXLVI Ecclesiae Reformatae [1]).

Secundus Senioratus est etiam in Comitatibus Abaujvariensi, Törnensi et Sarosiensi, ubi sunt CLXXXIV Ecclesiae Reformatae [2]). Fuerunt hic scholae florentissimae in omnibus oppidis.

Tertius Senioratus in Comitatu Zempleniensi habet Ecclesias CXLVII Reformatas cum collegio illustri Saros Patakiensi ab initio Reformationis per institutionem clarorum virorum florenti [3]).

Quartus Senioratus est Ungvariensis Comitatus, in quo sunt Ecclesiae CXVII Reformatae. In quatuor igitur Dioecesibus unitis quingentae nonaginta quatuor numerabantur Ecclesiae Reformatae; in tota autem Hungaria per quinque superattendentias olim divisa et quatuor Dioeceses unitas mille nongentae quinquaginta quatuor, exceptis Augustanae confessioni addictis. Ecclesiae hae hoc seculo per lentas Cleri Catholici persecutiones magnam subierunt mutationem.

§ XIV. *Resolutio de Superintendentibus.* — Reformati aeque ac Augustanae Confessioni in Hungaria addicti, varia ratione Religionis gravamina sentientes, praecipue autem quod Clerus in Regimen se earum Ecclesiarum immittens Jurisdictionem sibi in eas usurpabat visitareque occeperat; quod ferre cum non possent medio libelli supplicis sacratissimam requisierunt Regiam Majestatem anno 1733 die 3 Martii exhibiti. Quibus sequenti benigna Resolutione voluit satisfactum Clementissimus Imperator:

Introscriptis supplicantibus ad hancce eorundem Instantiam intimatur sacram suam Caesaream Regiamque Majestatem ipsos adhuc admitti clementer jussisse; ut in Regno Hungariae degentes Augustanae Confessioni addicti numero quatuor, et Helveticam Confessionem profitentes pariter quatuor superiores seu superintendentes e numero Praedicantium

---

1) Histor. Ref. pag. 574.
2) pag. 580.
3) ll. cc. pag. 585.

in Hungaria jam habitorum, et quidem Patriae filiorum suo modo eligere et constituere possint, in finem praecise illum, ut tales invigilent Moribus et Doctrinae Praedicantium iisdem subordinatorum, et in excessivos etiam animadvertant. Ea insuper conditione adjecta, ne Populo novum per hoc de subsistentia nempe ipsorum onus accedat, sed modernis subsistendi mediis etiam ut Superintendentes contenti esse debeant. Facta autem electione seu constitutione dictorum Superiorum seu Superintendentium, necesse erit de casu in casum, in quo loco, pro quali Districtu, seu quibus Comitatibus, Liberisque ac Regiis Civitatibus nomine tenus, quis, ac pro cujus Confessionis Superiore seu Superintendente constitutus fuerit, inclytum Regium Hungaricum Locumtenentiale Consilium, ad statuum notitiam genuine informare. Quoad reliqua hic contenta puncta instantibus ad Regni leges et circa statum eorundem interventas benignas Caesareo Regias Resolutiones remisit. Ubi autem contra tenorem illarum quid hactenus attentatum fuisset, vel deinceps etiam attentaretur, memoratique instantes specifica eatenus gravamina modo in legibus praescripto proposuerint, eatenus quoque prae attactis benignis resolutionibus conforme remedium sortientur. Ex consilio Regio Hungarico Aulico Viennae die xxix Oct. an. MDCCXXXIV.

Elias Vanyetz.

§ XV. Reformati, accepta Regia hac ad Instantiam Resolutione, quatuor superattendentias a Rege ipsis indultas in universa qua late patet Hungaria modo sequenti ordinarunt.

Primo. Ex duabus superattendentiis Austriae vicinioribus in comitatibus Veszprimiensi, Castri ferrei, Mosoniensi, Posoniensi, Komaromiensi &c formarunt unam superattendentiam, quoniam Ecclesiarum numerus in iis valde est imminutus. In hoc circulo confirmatus est superintendens Stephanus Major Kotsi, qui ad annum usque 1744 praefuit, tunc ex his miseriis ad sedes beatas evocatus. Successit illi Jacobus Torkos vir variis scientiis excultissimus, Verbi Divini Minister Papensis, anno 1745 die 2 Maji.

Secundo. Superintendentiae CisDanubianae adjunctae sunt Ecclesiae olim Baroviensi superintendenti subjectae, ita ut CisDanubianus superintendens curaret etiam Ecclesias TransDanubianas. Tunc in officio confirmatus est Johannes Pathai, cui successit Stephanus Helmetzi Pastor Körösiensis anno 1740, vir doctus et aetate gravis.

Tertia superattendentia efformata est ex quatuor senioratibus unitis, qui antea Regimen superattendentiale non admittebant. In hac constitutus in superintendentem Samuel Szent Györgyi Pastor Ecclesiae Rimaszombathiensis, vir doctus et disertus, anno 1734. Cui stationem temporariam

relinquenti ac aeternitati transcripto surrogatus est Martinus Tsáji Pastor Ecclesiae Miskoltziensis, rarae vir doctrinae, pietatis et zeli in Deum ferventis.

Quarta superattendentia est CisTibiscana, quae in antiquo suo mansit statu. Huic praeest vir venerandus Georgius Zoányi Pastor Ecclesiae Zilahiensis.

Hic est status superintendentiarum in Hungaria; at superintendentium potestas valde est imminuta, cum Episcopi Catholici causas matrimoniales ad suam sedem pertrahere et Ecclesias Reformatas visitare ab aliquo tempore occeperint.

CAPUT NONUM.

De numero Ecclesiarum in Transylvania Reformatarum secundum senioratus.

§ 1. Numerum ac seriem Ecclesiarum Transylvanicarum tradituro obstacula varia objici solent. Quoniam alia olim earum facies fuit, alia nunc est, quam subinde variarunt diversae Turcarum, Tartarorum et aliorum Patriae hostium incursationes, caedes, depopulationes, quum oppida, pagos, civitates aut evastarunt aut in solitudines redegerunt, aut in alia loca migrare, in cineres abire, coegerunt. Antiqua tunc interciderunt monumenta, unde illius aevi status pingi posset, rara sunt, quae Patriae calamitatibus superfuerint. Moderni quoque rebus curandis praefecti plerumque praesentia curant, rari Posteritatis solicitudine tanguntur, qui solicite de rerum momentis communicandis interpellati: Cui bono? respondere solent. Eam igitur seriem, quam a venerandis Tractuum Senioribus aut eorum Protocollis accepi, bona fide hic exhibiturus venturae commendo Posteritati.

§ II. *Senioratus Hunyadiensis.* — Reformatis in Transylvania Ecclesiis antiqua lege ac consuetudine unus praeest superintendens ac sedecim seniores, qui in suis dioecesibus velut diversis provinciis curam Ecclesiarum habent et res earum administrant. Senioratus sunt sequentes eo ordine quo recenseri solent.

Primus Senioratus Hunyadiensis, ita dictus ab Arce et Civitate Hunyad, extenditurque in Comitatu Hunyadiensi ac Processu superiore Comitatus Zarand. Olim ulterius extendebatur, nam in Districtu Karansebes et locis vicinis fuerunt Ecclesiae Reformatae, quod patet (1 ex articulo Diaetae Tordensis anno 1563 celebratae, qui ita est: „Cum

in Districtu Káránsebes sacrosanctum Evangelium annunciari inceperit, et in medio illorum inter Romanae Religionis et Evangelii professores dissensio subnata sit, supplicarant Regnicolae sacrae Majestati Regiae, dignaretur discussionis revisionem praestantibus aliquot viris committere. Sed cum non facile queant istic tales reperiri, qui controversiam aut diversitatem illam dirimere aut sopire possint, placuit sacrae Majestati Regiae, non debere recognitionem discussionum partibus litigantibus committere, sed publicis Articulis cautum esse voluit, ut alternis diebus sacra in templo publico ab utraque parte celebrentur, ita ut uno die Romanae Religionis, altero vero die Evangelii professores in eodem templo verbum Dei audire, et officia Divina seu cerimonias peragere debeant. Neque alterutra pars aliam suo die et tempore instantibus sacris officiis in concione aut coena Domini peragenda turbare, injuria afficere, aut quoquo modo impedire audeat, sub poena in prioribus Articulis superinde constituta"[1]).

(2 Ex Catechesi Palatina in compendium missa ac in linguam Valachicam in usum earum Ecclesiarum transfusa editaque a pastore Lugosiensi[2]), cum in illo Districtu lingua esset vernacula Valachica etiam apud Nobiles, qui amabant dici Hungari. Successu temporis ibidem R. Catholici defecerunt: at dominante in Transylvania Gabriele Bethlen Principe, Káránsebes inhabitari coepit a R. Catholicis, qui locum petierunt et obtinuerunt a Principe pro Religione R. Catholica in Káránsebes exercenda; ea tamen conditione, ne ullam praetensionem ad Ecclesiam Reformatam ibidem florentem, ejus Templum ac Proventus unquam formarent R. Catholici. Instrumentum emanavit anno MDCXXIV die VIII Julii cum subscriptione Principis et Kancellarii Stephani Kovátsotzi. Cum tempore furor Barbarorum ex iis oris Nobiles ac Ecclesiam dissipavit, cui plebs successit Valachica Graeci ritus ad orientales respectans Ecclesias.

Series Ecclesiarum in Tractu Hunyadiensi.

1. Hunyad, Civitas et Arx, nomen dedit Joanni Hunyadi Vaivodae Transylvano et Hungariae Gubernatori. Possedit Familia Török de Ening, Bethlen, Tökölyi, Zolyomi, rediit ad Fiscum ferri fodinae ibidem. — Tsólnakos filialis est.
2. Hosdát.
3. Rákosd.
4. Al-Pestes. Fil. Tamastelek Fel Pestes.
5. Lasád. Fil. Piski.
6. Pad. Familiae est Bartsaianae.

---

[1]) In Articulis Diaetae Tordensis An. MDLXIII.

[2]) Extat Liber in Hominum manibus.

7. Bátsi. Fil. Batiz.
8. Kitid. Fil. sz. György, Batzallár.
9. Zeikfalva, possessio Familiae Zeik.
— Rus filialis.
10. Olá Bretje, Fil. M. Bretje, Váralya.
11. Farkadina, Fil. Tustya, Reketjefalva, Demsus.
12. Pestény. Fil. Osztro, Brázova.
13. Bojesd. Fil. Fejéruz, Borbátuz, Felsösvallás Pataka, Pus, Untsuk falva.
14. Hátszeg, Oppidum, celebris olim ibi schola et Ecclesia. Filiales Nalátz, Vád, Boldogfalva, Totesd, Alsoszilvas.
15. Galatz.
16. Klopotiva. Fil. Malomviz.
17. Al Gyógy, ubi Thermae sunt.
18. Babolna, Familiae Nalatzi.
19. Fólt, Familiae Bethlen.
20. Rápolt.
21. Kéménd. Fil. Haro, Arany.
22. Déva Civitas et Arx, celebris olim ibi Ecclesia et schola, duo Ministri, Rector scholae et studiosi. Nomen habet a Diva Faustina.
23. Solymos.
24. Németi, Comitum Gyulai.
25. Illye. Oppid. Non pridem Templum et Parochia sunt occupata a Romano Catholicis. Filiae sunt Lesnek, Gurafiáda.
26. Ribitze. Fil. Brád oppidum Metallicum, et Kristjor.
27. Körös Bánya oppid. Metallicum.

Danda essent nomina Seniorum, quae ad me non pervenerunt.

§ III. *Senioratus Albensis.* — Secundus Senioratus est Albensis, nomen accepit ab Alba olim Julia, nunc ab Arcis reparatore Carolo Sexto, Carolina dicta. Extenditur in Comitatu Albensi complectiturque sequentes Ecclesias:

1. Albam Juliam olim, nunc Carolinam, celebris hic locus, sedes olim principum, superintendentis Reformati et Collegii Reformati. Vastitas loco inducta an. 1661, cum Turcae Vulcano omnia consecrarent. Hoc seculo vero, ubi Arx ibi erigeretur, Templum, Residentia Collegii, Superintendentis, Professorum ac Pastorum venerunt ad manus Romano Catholicorum. Reformati autem Oratorium habent in inferiori civitate ex lignis constructum.
2. Sárd oppidum.
3. Magyar Igen oppidum.
4. Boros Botsárd.
5. Karkó comitum Székelly et Teleki possessio.

6. Benedek oppidum.
7. Diod Várallya.
8. Tövis oppid. Locus olim celebris, jam fere desolatus, nisi quod a Valachis et paucis Hungaris incolatur. Hic loci an. 1729 nocte concubia personae ad facinus patrandum subornatae e turri Reformatorum templo adjacente insignem Campanam clam abstulerunt, et in Residentiam P. Paulinorum deposuerunt, qui Angelos transposuisse commenti sunt. At vero Angelorum alter penulam, alter instrumentum tabaci fumatorium festinus ibi reliquerat. Campana reddita non est, imo vero post aliquot annos etiam altera minoris ponderis surrepta, verum ejus ablatores ignorantur.
9. Vajasd oppidum.
10. Szent-Imre. F. Gáltö et Koslárd.
11. Vingárd.
12. Drasso. F. Kontza.
13. Kis Enyed F. Buzd.
14. Al Vintz oppidum.
15. Borberek oppidum.
16. Tsora.
17. Zalathna oppid. Metalli fodina celebre.
18. Abrud Bánya oppid.

Erant adhuc Ecclesiae in Varadja, ubi Templum, Parochia, Agri et Prata pro Ministro. Locus incolitur nunc a Valachis Graecum ritum sequentibus. Borband ubi Templum Reformatorum Romano Catholici via facti occuparunt, tenentque; in Kis-Falud deficientibus ibidem Hungaris Templum Turrisque eversa, in Orbo pariter erant Hungari; iis deficientibus successerunt Valachi, atque ita Ecclesia quoque ibidem defecit Reformata.

Florentissimae in hoc Tractu fuerunt Ecclesiae ab ipsa Reformatione e Nobilibus Hungaris constantes, Ministris quoque earum subsistendi modus optimus; at vero nostris temporibus sensim deficientibus Hungaris, Ministrorum salarium contrahitur et Ecclesiarum facies in pejus mutatur.

§ IV. *Senioratus Enyedensis.* — Tertius Senioratus est Enyediensis, denominatus ab oppido Enyed, extenditurque in Comitatu Albensi, Tordensi et sede Arannyas. Ecclesiae sunt sequentes:

1. Nagy Enyed est oppidum amplum et bene cultum, incolas habet Hungaros Reformatos estque Ecclesia florentissima; paucos Saxones Augustanae Confessionis. Gymnasium ibi Fundationis Bethlenianae ab anno 1663 resedit, ubi non tantum Humanitatis studia, sed etiam scientiae ampliores diligenter a professoribus traduntur, Phi-

losophia secundum omnes sui partes, Theologia, Historia, Lingua Graeca et Orientales, Jus Naturae et Gentium &c. Formatur hic juventus ad functiones Ecclesiasticas atque Politicas. Decima proventuum agri et vinetorum cedit in rationem collegii. Tempore motuum civilium subiit oppidum cum collegio ingentem calamitatem; anno enim MDCCIV ipsa die Palmarum jussu Caesarei armorum praefecti cives ferro subjecti, locus in cineres redactus, templum cum turri, castello et collegio vulcanus depavit. Ejusdem praefecti protectione paulatim restaurari coepit, et Dei clementia in florentissimum rediit statum. Duo hic sunt Ministri Ecclesiae Reformatae, unus Augustanae Confessionis. Res utriusque Ecclesiae ab uno eodemque Consistorio diriguntur.

2. Fel-Enyed.
3. Torotzkó Szent György oppid. Familiae Torotzkai, ferri fodinis clarum.
4. Miriszló. Fil. Olá Lapád, Gombás.
5. Détse.
6. Mikloslaka. Fil. Magyar Tsesztve.
7. Fel Vintz.
8. Földvár.
9. Sz. Kotsárd.
10. Harasztos.
11. Kertsed.
12. Bágyon Fil. Rákos.
13. Felsö szent Mihályfalva.
14. ô Torda } oppidum amplum, salis fodina notum. Olim erat hic
15. uj Torda } alia quoque Ecclesia, Egyházfalva vocata, ad ripam fluvii Arannyas infra Tordam, quae distinctum a Tordensi Ministrum habebat, cujus templum nunc in manu Paulinorum est, quae cum tempore coaluit cum Ecclesia ô Tordensi, ita ut ne nomen quidem retineret. Ecclesia Tordensis est satis frequens, in schola intertenentur cum Rectore etiam studiosi ad erudiendos civium liberos.
16. Túr. Fil. Koppánd.
17. Polyán.
18. Gyéres.
19. Egerbegy.
20. Gerend Keresztur.
21. Gerend olim Familiae Gerendi, nunc Keményianae.
22. Had rév.
23. Tsuts. Fil. Koppánd.
24. Nagy Lak Fil. Káptalan.
25. Hari.

26. Tseke laka.
27. István háza.
28. Bikkes.
29. Ozd.
30. Aszszony népe Fil. Szilvás.
31. Magyar Lapád.
32. Tsombord Fil. Bagó.
33. Szent Király.
34. Ujfalu Fil. Tompa háza, Lörintz Réve.
35. Kapud Fil. Patzolka.
36. Betze.
37. Buzás Botsárd Fil. Karátsonfalva.
38. Péterfalva.
39. Magyar Bénye.
40. Szantsal.
41. Balásfalva ubi olim Castellum nunc Monasterium pro Calugeris Valachis et sedes Episcopi Graeci ritus uniti. Sumptibus Principis aedificia pulcherrime extruuntur. Campana Reformatorum ibidem occupata; sacra peragunt ad aedes Ministri.
42. Tür.
43. Bakafalva F. Veresegyháza.
44. Hoszszuaszó.
45. Mike szásza F. Kapus.
46. Mihály falva Fil. Hideg viz.
47. Veszszöd.
48. Bolya ubi castellum Familiae Tóldi; inque eo Templum, Turris et Campanae.
49. Ivánfalva.
50. Kövesd.
51. Bürkös.

Placet hic exhibere compositionem inter Hungaros et Saxones ratione Ecclesiae Bürkösiensis a Principe confirmatam, unde apparet Hungaros non via facti, sed juris et aequitatis, loca quaedam Saxonum occupasse. Ita est:

Nos Georgius Rakocy Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod Fideles nostri Generosus Stephanus Gerendi de eadem Gerend, ac Egregii et Nobiles, Michael Szekelly et Joannes Literatus de Bürkös, Albertus Szarka de Kövesd in suis et universorum Dominorum Terrestrium Fundi Nobilis Bürkös in Comitatu Albensi Transylvaniae existentis nominibus et personis ab una; ac Generosus, Prudens et Circum-

spectus Michael Szent Agothai Judex Regius Civitatis et Sedis Saxonicalis Cibiniensis; nec non reverendi ac clarissimi viri, Dominus Georgius Theilesius Superintendens Universitatis Saxonicae Ecclesiasticae et Pastor Birthalbensis, rever. et clarissimus vir Joannes Fabianus, Senior et Paratiensis Pastor, item venerabilis ac clariss. Dominus Petrus Rihelius Cibiniensis, Lazarus Aquilinus Doborcensis Ecclesiarum pastores, ac eorum Capitulorum Decani, pariter suis ac totius Nationis Saxonicae utriusque Status nominibus et in personis coram Nobis personaliter constituti exhibuerunt nobis et praesentarunt quasdam infra scriptas conditiones, quibus mediis controversia inter se exorta de vocandis in possessione Bürkös Hungarico et Saxonico pastoribus composita et complanata sit, ad praecavenda prorsusque tollenda quaevis dissidiorum et discordiarum futuris temporibus praenominato et aliis in locis semina: Supplicantes Nobis humilime, ut Nos easdem conditiones omniaque et singula in iisdem contenta, ratas, gratas et acceptas habentes, praesentibus literis nostris inseri et inscribi facientes, benigne approbare et ratificare dignaremur: quarum quidem conditionum talis tenor est:

1. Duo sint in Fundo Nobili Bürkös pastores, Hungaricus et Saxonicus.
2. Saxonicus per Ecclesiam Saxonicam, more hactenus Ecclesiis Saxonicis usitato, eligatur, vocetur, praesentetur, Parochiam incolat et omnia jura hujus Parochiae obtineat, secundum privilegiorum contenta, census etiam et alia onera solus ferat.
3. Decimae integrae dividantur aequaliter, et cuique pastorum illorum duae Quartae cedant.
4. Patroni Terrestres Hungarico pastori de mansione prospiciant.
5. Templum restauratione indigens communibus Hungarorum et Saxonum sumptibus restauretur et conservetur.
6. Pastor Hungaricus cum familia Hungarico Episcopo subjaceat.
7. Neuter alterum vel in Religione vel aliis rebus turbet, sed quilibet, quae sua sunt, agat.
8. Nemo singulari hoc exemplo motus, simile quid in aliis Ecclesiis Saxonicis tentare praesumat.
9. Decimas non in Manipulis sed tenore Diplomatis Illust. et Celsissimi Domini Principis hujus loci pastoribus signanter concessas in Gelimis fideliter conferant.
10. Violatores harum conditionum mulctentur poena ducentorum florenorum Hungaricorum, Fisco Principali conferendorum. Omnis denique potestas ulterius promovendi negotium denegetur.
11. Aetate grandior alterum honore praecedat.
12. In concionando hic observetur ordo, ut unus per integram septimanam prius, alter per alteram prius officium peragat horis matutinis.

13. Si contingat ob defectum et inopiam vel etiam negligentiam Patronorum Ecclesiam illam Bürkösiensem spatio integri anni concionatore carere Hungarico, salarium ipsius, hoc est, media Decima ejus loci cedat in aedificationem templi communis; ex parte concionatoris Saxonici idem fiat. Si vero Nobiles possessionum ob certas aliquas causas noluerint plane ulterius pro se pastorem Hungaricum, tertia quoque Quarta ad pastorem Saxonicum redeat, et quarta pars, seu Quarta in aedificationem templi cedat. Idem etiam aequabiliter fiat, si Saxones vel nolint, vel non possint amplius habere concionatorem Saxonicum, si vel peste vel aliqua adversitate ad eam paucitatem redigantur, ut prorsus deficiant et concionatore opus non habeant. Si tamen iterum contingat successivis temporibus, hos vel illos melioribus uti fatis, ut possint et velint concionatorem pro se habere, redeat res ad praesentem transactionem, et maneat in eodem, quo nunc est vigore.

Nos itaque praemissa supplicatione Nobis modo, quo supra porrecta, clementer exaudita et admissa, praeinsertas conditiones tollerabiles, aequitati et concordiae tuendae consentaneas, easdem omnibus suis in punctis, clausulis, eatenus quatenus eae rite et legitime sunt emanatae viribusque earum veritas suffragatur, ratas, gratas et acceptas habentes, praesentibus Literis Nostris de verbo ad verbum sine diminutione aut augmento vel variatione aliquali insertas et inscriptas approbavimus, ratificavimus et confirmavimus.

Quocirca vobis fidelibus Nostris universis et singulis, cujuscunque status aut ordinis, honoris, conditionis, dignitatis et praeeminentiae hominibus tam ecclesiasticis, quam secularibus, ubivis in hac ditione Nostra commorantibus, harum serie committimus et mandamus firmiter, quatenus modo et deinceps nemo contra praeinsertas conditiones praedicto in loco Bürkös quicquam moliri ullo sub praetextu et colore praesumat vel audeat. Si vero quis secus fecerit, comperta rei veritate, mulctae florenorum ducentorum, Fisco nostro principali conferendorum, uti praemissum est subjacebit et causae promotione totaliter carebit, prout approbamus, ratificamus, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in civitate nostra Alba Julia d. x. Mensis Julii Anno Domini 1642. — Georgius Rakocy mp L.S.

Johannes Szalárdi Vice Secretarius.
mp.

Fuerunt in hoc Tractu plures etiam Ecclesiae, veluti Inakfalvae, Veresmartini, Maros ujvarini, in quibus deficientibus Hungaris plebs Valachica glebae adscripta successit. Quaedam etiam matres Ecclesiae ob similem causam in filiales transierunt.

§ V. *Sen. Kolos et Kalota Szeg.* Quartus senioratus est Kolos

et Kalota Szegiensis, qui extenditur in comitatu Kolosiensi. Ecclesiae autem sunt in

1. Kolosvár, Claudiopoli. Celebris ibidem est Ecclesia Reformata, ex iisque major urbis ac suburbii pars constat; quod palam est ex connumeratione etiam civium jussu amplissimi Magistratus per suos ex omnibus Religionibus Deputatos anno 1734 facta, ubi patres familias censebantur 1520 in universum; ex quibus Romano Catholici fuerunt 301, Reformati 809, Lutherani 122, Unitarii 276, Graeci ritus uniti 12, adeoque soli Reformati alterius Religionis simul sumptos numero superarunt. Cum in Germania et aliis Regnis ita quoque in Transylvania sacrorum reformatio institueretur, acceptarant eam etiam Kolosvarienses, varie igitur a Fratre Georgio Episcopo Varadiensi et Thesaurario afflicti. Verum ab anno 1566 artibus Blandratae, indefesso Francisci Davidis labore, ejusque ac Sommeri eloquentia ad antitrinitariam abducti sunt Religionem, ita ut omnia templa et scholae ab illis possiderentur.

Mansit tamen cultus Reformatae Religionis apud aedes privatas cujusdam civis Georgii Agaston, donec rursum crescente numero Templum iis assignaretur. Monstrat hunc lapis non pridem e pariete erutus hacque inscriptione notatus:

Hic locus est, Lucas hic Pastor in Urbe Marothi
Eloquio docuit mystica Verba Dei.
Haec fuit ipsa Domus, Domus haec cunabula quando
Prima Reformatae Relligionis erant.
Parvulus hic populus, primum Grex parvus in unum
Convenit: Populi concio parva fuit.
Donec in immensum nascens Ecclesia coetum
Ter sancti crevit Numinis auspicio.

Georgius Agaston Eotves Possessor harum Aedium Haereditarius Monumentum hoc marmoreum memoriae ergo curavit.

Tempore Stephani Botskai Principis anno 1605 statutum est, Reformatos eo jure Claudiopoli debere gaudere, quo utebantur Antitrinitarii. Deinde anno 1609 in Generali Regni Diaeta Albae Juliae celebrata, unanimi statuum et ordinum consensu, templum in Ovár olim Dominicanorum jam plane ruinatum ac collapsum Reformatis confertur, in cujus possessionem tandem anno 1612 introducuntur, ac die XV Maji in ea confirmantur. Restaurationem vero hujus templi regnante principe Gabriele Bathori factam monstrat lapis coelatus hujusmodi exhibens inscriptionem:

In nomine sacro sanctae et individuae Trinitatis MDCXII

pia cura et paterna solicitudine providentiaque singulari ac ad omnem Posteritatis memoriam celebranda liberalitate ex inclyta et vetustissima Bathoreorum Familia oriundi serenissimi Principis, Dei Gratia, Transylvaniae et Valachiae Transalpinae Principis, Partium Regni Hungariae Domini et Siculorum Comitis, Templum hoc tot annorum spatio desolatum, situ squallidum usuique profano applicatum, restauratum est, ac usui suo legitimo, publico etiam Regni statuto accedente, restitutum; Domus enim Domini Domus est orationum.

Crescente adhuc in dies numero Reformatorum regnante Gabriele Bethlen concordibus universorum Regni Statuum calculis anno 1622 in platea Wolfango dicata, aliud templum una cum vicino collegii fundo utrisque tamen desertis ac desolatis assignatur et decretaliter Reformati in possessione statuuntur. Quod anno 1647 a Principe Georgio Rakotzi restauratum, fusis sumptu principali quatuor ingentis molis campanis donatum et domibus Parochialibus auctum, jusque ad Reformatos omnia Civitatis munia obeundi extensum. Pro incolis Hungaricae linguae ignaris Reformatae Religionis Germanis ac Saxonibus anno 1629 alter locus in Ovàr attributus, quo Ministri anno 1630 per Stephanum Erdelyi Comitatus Tordensis et Wolfgangum Tserényi Comitatus interioris Szolnok Comites suppremos introducuntur. Collegium ibidem ortum debet Bethlenio, crevit sub Rakotziis Principibus Apafiis praecipua cura ac patrocinio semper Familiae Bánfi, floret nunc quoque Linguarum, Philosophiae ac Theologiae studiis; Alumni pia Magnatum liberalitate sustentantur.

2. Kolos oppidum salis fodina celebre. Ministrorum salarium per Catholicos valde est imminutum.
4. Györfalva; hic dimidia pars templi et Parochia a Reformatis non pridem vi sunt adempta.
4. Ajton possident Comites Vas.
5. Magyar Léta, Fil. Jára.
6. Sz. László Templum a comite Georgio Haller non pridem ademptum. Fil. Olah Fenes.
7. Szász Lona.
8. Gyalu olim Fortalitium, aliquando etiam sedes Episcopi, nunc possidet Comes Bánfi.
9. Nagy Kapus Fil. Kis Kapus.
10. Gyerö Vásárhely Fil. Inaktelke.
11. Körösfö.
12. Gyerö Monostor Fil. Devén.
13. Valkó.

14. Szent Király et Zentelke.
15. Mogyorokerék.
16. Domos Fil. Jákotelke.
17. Nyarsó Fil. Sárvásár.
18. Bánfi Hunyad oppid. ad Familiam Bánfi pertinet.
19. Ketesd.
20. Magyár Bikal.
21. Tamás.
22. Sobok.
23. Esztana.
24. Kis Petis.
25. Nagy Almás Fil. Bábony.
26. Közeplák Fil. Tamásfalva.
27. Nagy Petis.
28. Egeres.
29. Bogártelke Fil. Darótz.
30. Mako.
31. Türe.
32. Vista Fil. Magyar Nádas.
33. Szutsák.
34. Méra.
35. Buda Fil. Diós.
36. Kájántó.
37. Fejérd.

§ VI. *Senioratus Szekiensis.* — Quintus Senioratus est Szekiensis, nomen habet ab oppido salis fodina satis noto Szék extenditurque in Comitatu Dobocensi. Ecclesiae numerantur sequentes:

1. Bontzhida possessio Familiae Bánfi.
2. Szék oppid.
3. Viz szilvas Fil. Hesdat, K. Iklod, Bontz Nyires.
4. Szomosujvár Nemeti Fil. Szomosujvár, oppid. jam ab Armenis Mercatoribus possessum, olim Hungari incolebant Nobiles, qui ibi varie vexati sedes ut plurimum mutarunt.
5. Szász Nyires.
6. Balványos vár allya.
7. Malom.
8. Détse.
9. Szász Margita.
10. Arpás Tó.
11. Batza.
12. Retteg oppidum.
13. Felör Fil. Ilosva, Tsitso Keresztur.

14. Kudu.
15. Bethlen castellum ad Comites Bethlen pertinet. Filia Szepárma.
16. Magyar Nemegye Fil. Virágosberek, Tóhát.
17. Somkerék.
18. Sajó Udvarhelly Fil. Bréte.
19. Szent András.
20. Sárvár Fil. Sajo Keresztur.
21. Tas.
22. Harina.
23. Füzkút.
24. Apa nagy falu Fil. Fel-lak.
25. Vitze.
26. Borzás Fil. Bööd, Kétel.
27. Nyàrló Kékes Fil. Derlö Apáti.
28. Veres egyháza Fil. Mányik.
29. Sombor.
30. Buza.
31. Meleg Földvár.
32. Katona.
33. Fekete Lak.
34. Légen Fil. Gyeke.
35. Puszta Kamarás Fil. Nohály.
36. Méhes.
37. Fráta.
38. Berkenyes.
39. Botháza Fil. Totháza.
40. Szovát.
41. Mots.
42. Keszü.
43. Palata Fil. Pete.
44. Vajda Kamarás.
45. Visa Fil. Gyula telke.
46. Száva Fil. Omborz.
47. Pulyom Fil. Sz. Gothárd.
48. Szent Egyed. Fil. Szent Ivány.
49. Tzege Fil. Göltz.
50. Nyeszálx.
51. Tsászári.
52. Füzes.
53. Szent Márton F. Vásárhely.
54. Nagy Devessér Fil. Kis Devesser.

§ VII. *Senioratus Desiensis.* — Sextus Senioratus Desiensis denomina-

tus ab oppido Dés, qui extenditur in Comitatu Szolnok interiori et partim Dobocensi. Ecclesiae autem sunt sequentes:

1. Dés oppid. salis fodinis clarum; est ibi Ecclesia e Nobilibus Hungaris ac civibus constans populosa; duo in Ecclesia pastores officia peragunt; in schola Rector cum studiosis ad erudiendos civium liberos intertenentur.
2. Kende Lona.
3. Akna.
4. Szinye. Bogát.
5. Szeletzke.
6. Kozárvár.
7. Néma. Széplak.
8. Péntek.
9. Kérö.
10. Ormány.
11. Ketset.
12. Tötör. Olmotz.
13. Esztény.
14. Doboka.
15. Válaszut.
16. Borsa.
17. Budak.
18. Kide.
19. Tsomafája.
20. Gyula.
21. Magyar Matskás F. Matskás.
22. Hoppu Matskás.
23. Kovátsi.
24. Babutz.
25. Solyomkö.
26. Ördög Keresztur.
27. Uj falu.
28. Fodor háza.
29. Alfö ÜsEülö.
30. Felfö ÜsEülö.
31. Nagy Sombor.
32. Hid Almás.
33. Vajda Háza.
34. Pantzél Tsek.
35. Derse.
36. M. Köblös.
37. Felsö Tök.

38. Alsó Tök.
39. Onok.
40. Rétze Keresztur.
41. Szilvás.
42. Szükerék.
43. Girót.
44. Dengeleg.
45. Kodor.
46. Mánya.
47. Jenö.

§ VIII. *Senioratus Sajóiensis.* — Septimus senioratus est Sajoiensis, qui dicitur etiam capitulum Sajóiense: sunt hic Ecclesiae Reformatae, uti etiam in Capitulo Tekeiensi mixtim cum Augustanae confessioni addictis, dependentiam tamen antiqua consuetudine omnes habent a Superattendente Reformato. Ecclesiae jacent in Comitatu Dobocensi, suntque sequentes:

1. Nagy sajó.
2. Várhelly.
3. Kis Budak.
4. Simon Telke.
5. Sófalva.
6. Felsö Balásfalva.
7. Álso Balásfalva.
8. Mogyoros.
9. Arokallya.
10. Kéntelke.
11. Kerlesd.
12. Szász Tzegö.
13. Szent Jakab.
14. Sz. Ujfalu.
15. Máte.
16. Moritz.
17. Svász ös.
18. Galatz.

§ IX. *Senioratus Tekeiensis.* — Octavus senioratus est Tekeiensis, vocatur ordinarie Capitulum Tekeiense, paucas continet Ecclesias in comitatu Kolosiensi existentes; sunt: 1 Teke, 2 Vajola, 3 Paszmos, 4 Ludvég, 5 Ida, 6 Harina. Olim fuerunt plures, veluti: Erked, Sombor, Oknitza, Baritza, Ujfalu, Pentek, Füsköt, ubi deficientibus Hungaris et Saxonibus successerunt Valachi.

De duobus his Capitulis Reformati Principes egregio privilegio pro-

spectum voluerunt, ubi Articuli etiam Dionysii Alesii Reformatorum Superattendentis primi concinnati in usum horum Capitulorum confirmati cernuntur. Literas ut nactus sum exhibendas censeo; ita illae cum confirmationibus sunt:

Nos Gabriel Bethlen Dei Gratia Princeps Transylvaniae Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis: Quod pro partibus Fidelium Nostrorum Honorabilium Mathiae Rufin, Decani, Ecclesiae Vajolensis Pastoris, item Georgii Lips Senioris Capitulorum Teke et Sajo, ac Pastoris ejusdem Ecclesiae Teke, nec non Casparis Verneri similiter Pastoris Ecclesiae Nagy Sajo, caeterorumque universorum Pastorum Ecclesiarum Saxonicarum in praedictis Capitulis Teke et Sajo existentium in personis exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam literae Illustrissimi quondam Sigismundi Bathori de Somlyo pro tunc Vajvodae Transylvaniae et Siculorum Comitis, felicis reminiscentiae, Praedecessoris videlicet Nostri, super certis quibusdam praelibatorum Capitulorum et Pastorum Privilegiis et statutis articulatim comprehensis in Pergameno patenter confectae et emanatae confirmationales, sigilloque ejusdem Domini Vajvodae pendenti authentico manusque suae subscriptione roboratae et communitae (quae quidem literae ab Illustrissimo etiam olim Domino Christophoro Bathori Vajvodae similiter praefati Regni Nostri Transylvaniae et Siculorum Comite, Genitore videlicet praescripti Domini Vajvodae confirmatae dignoscebantur) tenoris infra scripti, supplicantes nobis humilime, ut easdem literas et omnia et singula in iisdem contenta, ratas, gratas et acceptas haberemus, praesentibus literis nostris verbotenus inseri et inscribi faceremus ac pro praefatis Pastoribus Ecclesiarum, dictorum Capitulorum ipsorumque successoribus perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur: quarum tenor talis sequitur in hunc modum:

Dionysius Alesius Kolosváriensis Superintendens Ecclesiarum Hungaricarum et iis conjunctarum recte sonantium veram et incorruptam vocem Evangelii de Filio Dei Domino nostro Jesu Christo, vero Deo et vero homine &c. clarissimis conditione, virtute et pietate praestantibus viris Ecclesiarum Pastoribus in Capitulis Teke et Sajo existentibus; prudentibus item et circumspectis Grebionibus caeterisque juratis Senatoribus, denique Comitibus Saxonicorum oppidorum, pagorum sub jurisdictione nostra existentium, gratiam et fidei constantiam, cum commendatione officiorum nostrorum precatur.

Constat vobis peroptime Nos in hoc munus sacrosanctum divina vocatione esse electum et constitutum, ut collocati ad gubernacula Ecclesiarum simus inspectores tam Doctrinae quam etiam Morum et pro Nostra Vocatione curemus, non solum ut vera doctrina Evangelii ubique in Ec-

clesiis Domini sincere absque quibuslibet corruptelis proponatur a docentibus, quo sic luceat vera et salutaris unius veri Dei cognitio in Ecclesiis; verum etiam ut mores et vita Ministrorum ac quorumlibet auditorum, ac inter alios eorum, qui gubernant et gubernare volunt juventutem in scholis, ita nostra cura et diligenti inspectione instituantur reganturque, ut digni habeantur Evangelio Christi neque ullum uspiam dent scandalum, quo deformetur Ecclesia Domini, et male audiat apud exteros Ministerium nostrum. Neque enim tantum veteres Historiae testantur, sed plane ipsi nos quotidie videmus oculis nostris, multa levia ingenia sub praetextu Evangelii nihil nisi quandam libertatem carnalem quaerere, ut tandem laxatis cupiditatum fraenis impune ruant, ad quaevis enormia scelera patranda. Cum igitur in hanc speculam adeo nos Deus constituerit, ut inde circumspicere Ecclesias Domini et eisdem nostra vigilantia prospicere, denique eisdem contra impendentia mala auxiliante Deo, cura, studio, labore ac fideli inspectione prosimus, neque ulla in parte committamus, ne nostra negligentia Ecclesiae Christi laedantur, aut falsa doctrina aut pravo exemplo aliquo offensae deformentur, et nostrum Ministerium male audiat apud alios. Idcirco maturo consilio ac sana deliberatione statuimus, quo honesta disciplina, et quo decenti ordine regantur, tam quod attinet ad Clericorum, quam Auditorum vitam, mores et functionem etiam firmandam, veluti harum Regionum Ecclesiae quondam sunt administratae administranturque alibi. Neque enim Ecclesia potest carere decenti ordine; est enim teste Paulo Deus non confusionis sed ordinis, et certum est ibi non esse Ecclesiam, ubi nullus est decens ordo, et cyclopicam quandam confusionem et anarchiam non ferendam.

Hinc

1. Volumus, ut in Capitulis Nostrae Jurisdictioni subjectis singuli Decani per suffragia cum invocatione et timore Dei eligantur, qui caeteris Pastoribus et ipsis Ecclesiis doctrina, morum integritate et authoritate praesint, certaque et honesta disciplina subditos regant et subditi vicissim eos reverentia et obedientia colant.

2. Quod si quis Minister vel scholasticus contumax contempserit Decani authoritatem ex aliqua insolentia, is admonitus per Fratres ejusdem Capituli, in cujus Regimine vitam ducit, si non resipuerit neque poenitentia ductus se humiliando deprecetur culpam Decano et Capitulo; tum vero Decanus et Fratres Capitulares pro merito mulctent talem inobedientem, aut catenis vinctum cogant poenitere, aut alioquin durum et intractabilem istum officio privare et loco pellere per communitatem discant, ut horum exemplo territi alii aut sese emendent aut sciant, similem poenam se recepturos esse.

3. Decanus frequenter coetum in clero cogens adhortetur Ministros

Ecclesiarum, ut contineant se in officio nec exiliant aut transgrediantur terminos suae vocationis, nec sint polypragmatici ingerentes se in alienae vocationis officia: quod si tales reperti et moniti cedere nolint pro delicti ratione mulctentur: multo vero magis ebriosos, rixatores et scandalorum publicorum authores severiore disciplina puniant Decani et Fratres Capitulares.

4. Statuimus ne quis Ministrorum aut scholasticorum vocatus aut ad Plebaniam aliquam aut ad functionem scholasticam, sine Decani aut totius Capituli cognitione munus oblatum suscipiat, nec prius admittatur a Decano, nisi honesto accedente testimonio Decanatus ejus regionis, unde vocatus est. Maxime vero Rectores scholarum, ne se ingerant favore vulgi sibi acquisito, aut alia aliqua mala arte citra voluntatem et assensum sui Pastoris. Et postquam accesserunt ad regimen scholae, sedulitatem in laboribus suae vocationis probent, ut Juventus discat bonas literas et timorem Dei; si qui contrarium agentes inventi fuerint mulctentur per Decanum, aut officio priventur donec egerint poenitentiam scelerum, aut omnino loco pellantur authoritate Capituli tanquam καθαρματα Ecclesiae.

5. Electionem et vocationem scholasticorum nequaquam ignarae communitatis, sed Pastoris et Capituli judicio fieri permittimus.

6. Cum annualium stipendiorum causa inter Ministros Ecclesiarum non raro lites oriantur, communi decreto statutum est, ut post decessum alicujus Pastoris, sive id vita sive morte comite fiat, Decanus accedat et adsumpto uno atque altero fratre, discedenti vel haeredibus ejus circa Festum Mathiae vel Georgii quartam stipendii partem, circa Festum vero corporis Christi vel Joannis Baptistae dimidiam, circa Festum vero Bartholomaei aut circiter tres partes, omnium sanctorum autem vel Martini tempore integram Quartam adjudicabit.

7. Decani advigilent diligenter, ne Nobilibus aut eorum officialibus Laicisque permittant pios Ministros loco pellere, sine legitima cognitione seniorum aut Fratrum Capitulorum.

8. Ne quis vocatus in aliquam Parochiam audeat subire eam, nisi prius satisfactum cognoverit praedecessori.

9. Nemo de stipendiis Ecclesiasticis et haereditariis bonis vel remittere vel commutare vel dilapidare aliquid audeat sub poena ejectionis. Bona enim, quae semel Deo dedicata sunt, non debent transferri in prophanos usus.

10. Ne confusiones et scandala in Ecclesiis oriantur volumus, ut Rectores prius historiam canendam in schola cum collegis suis et pueris revideant. Concionibus sacris non dormientes aut aliud quid agentes, sed attente intersint.

11. Nemo Pastorum vel scholasticorum alius alium dolo vel fraude supplantet, remittens aliquid de annuali stipendio. Nam si tales reperti

fuerint, sine ulla excusatione mulctabuntur et ad extremum officio privabuntur Capituloque explodentur.

12. Si quando alicui scholasticorum iter faciendum est, quocunque tandem illud sit, cum scitu et venia Pastoris id fieri volumus. Honestum enim est, ut Pastor causam absentiae Rectoris sui cognitam habeat.

13. Si aliqua controversia inciderit inter Pastorem et scholae Rectorem, de qua non possit aliter inter eos convenire nisi jure decernatur, quod si judicio Fratrum Capitularium vel Rector scholae vel Pastor non contentus voluerit provocare in conspectum Superintendentis totam actionem Juris inscriptam sub sigillo Decanatus transferre liceat.

14. Vocati ad Ministerium non accedant ad sacros ordines et manuum impositionem nisi publico testimonio Capituli, unde cognoscere liceat, eos legitime vocatos esse, vitamque honeste instituisse.

15. De Casibus Matrimonialibus, qui non raro graves sese offerunt, non judicet aut pronunciet Decanus nisi in sententia Capituli.

16. Conjugia non admittantur inter consanguineos collaterales intra quartum gradum inclusive, neque in recta linea, neque obliqua, nec cuiquam concedatur, ex eadem prosapia, defuncta uxore vel marito aliam ducere aut nubere alteri. Vult enim Deus coli sanguinis reverentiam, ut sacrae literae testantur.

17. Ministri Ecclesiarum personas matrimonium contrahentes non copulent, absque fide conjugali seu juramento.

18. Decanus ex officio teneatur assumptis secum duobus aut tribus Fratribus circumire et visitare Ecclesias Jurisdictioni suae subjectas bis intra anni spatium.

19. In ferenda sententia de rebus praepositis modestiam et decentem ordinem adesse mandamus, ita ut non tumultuarie interturbet alius alium, ne dicentis oratio interrumpatur intempestiva alterius interpellatione. Recitent igitur ordine ipsi juniores modeste sententias, postea Decanus ipse ultimo colophonem addens finiat. Cujus autem sententia sanior judicabitur, ea pronuncietur litigantibus in foro. Hic ordo ostenditur a Paulo 1 Cor. XIV: Duo aut tres loquantur, caeteri dijudicent. Turpe enim est in tali coetu, ubi judicium Dei peragitur, clamoribus certare cyclopicis et *ȣ̓δεις ακȣει ȣ̓δεν.*

20. Peccantibus contumaciter contra has constitutiones, quae consentaneae sunt et Juri naturae et verbo Dei, denique Canonibus ipsis et disciplinae veteris et purioris Ecclesiae, nullo modo inflicta mulcta aut alia debita poena est relaxanda aut ullo modo saltem mitiganda; summa poena est ducentorum florenorum. Et subscriptum erat, a sinistra quidem Sigismundus Bathori de Somlyo mp. a dextra vero, manibus Wolfgangus Kovachiochi Cancellarius mp.

Nos itaque praemissa supplicatione nobis modo, quo supra porrecta,

clementer exaudita et faventer admissa, praescriptas literas dicti Domini Sigismundi, pro tum Vajvodae Transylvaniae, confirmationales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earum continentias, clausulas, puncta et articulos, eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, et quatenus in usu continuo praedictorum articulorum et statutorum et antea fuerunt et nunc sunt, ratas, gratas et acceptas habentes, acceptamus, approbamus, ratificamus ac pro praenominatis universis Pastoribus Capitulorum Teke et Sajo ipsorumque successoribus universis perpetuo valituras, gratiose confirmamus, imo acceptamus, approbamus, ratificamus harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas, eisdem universis Pastoribus Ecclesiarum praedictorum Capitulorum ipsorumque successoribus universis clementer dandas duximus et concedendas. Datum in Civitate Nostra Bistriciensi die tertia Mensis Aprilis Anno Domini MDCXV. Et subscriptum erat, a sinistra Gabriel Bethlen mp., a dextra vero Caspar Bölöni secretarius mp.

Privilegio isto hodiedum duo ista Capitula utuntur.

§ X. *Senior. Görgeniensis.* — Nonus Senioratus est Görgenyiensis, denominatus ab oppido Görgeny, ubi celebre olim fuit Fortalitium, extenditurque in comitatu Tordaiensi. Sunt autem sequentes Ecclesiae:

1. Véts ubi Castellum ad Familiam Kemény pertinet.
2. Mogyorós, Fil. Holt-Maros.
3. Tsinad Fil. Illye.
4. Gernyefreg ibi Comitum Teleki Castellum.
5. Ida.
6. Öllyves.
7. Tants.
8. M. Bölkény.
9. M. Fülpös.
10. Beresztelke.
11. Széplak.
12. Magyar Régen.
13. Szász Fülpös.
14. Szent Péter.
15. Körtvely fája.
16. Abafája. Hic Templum Reformatorum An. 1752 occupatum a Romano Catholicis potentia mediante.

17. M. Jára.
18. Sáromberk.
19. Fel-Falu.
20. Péntek Fil. M. Teke.
21. P. Keresztur Fil. Toldalag.
22. M. Péterlaka.
23. Oroszfája Fil. Komlód.
24. Pöka.
25. Disznájo.
26. Sár-Patak.
27. Görgény.
28. Köbölkut.
29. Radnatfaja.
30. Ujlak.
31. Vajda Szent Ivány.
32. Ludvég.

§ XI. *Senior. Marossediensis.* — Decimus Senioratus est Marosszekiensis, qui nomen habet a sede Siculicali Maros, ubi etiam Ecclesiae suam habent situationem. Sunt autem sequentes:

1. Maros Vásárhelly oppidum amplum, purioris Religionis inde a Reformationis tempore tenax, ab an. 1716 sedem praebet etiam Musis Alba Carolina abactis ex annuentia Imp. Caroli Sexti. Nunc Franciscani Monachi atque etiam Jesuitae sua ibi fixerunt domicilia.
2. Szent Király. Fil. Naznánfalva et Kis Falud.
3. M. Panit.
4. Tsit. Szentivàny Fil. Malomfalva.
5. Bergenye.
6. Mezö Bánd Fil. Szál Telek.
7. Mezö Madaras.
8. Sámsond.
9. Kölpény.
10. Kövesd.
11. Hartzó.
12. Fele Fil. Mënes.
13. Tsávás.
14. Galambod.
15. Udvarfalva Fil. Szent-Anna. Várhegy.
16. Jed. Fil. Szent György.
17. Kebele Fil. Sz. Ivány, Agárd, Bos.
18. Tsejd.
19. Ernye.
20. Ikland Fil. Kal.

21. Széhás.
22. Böö Fil. Moson.
23. Tompa Fil. Sárd, Gálfalva.
24. Szereda.
25. Sz. Anna Fil. Andrásfalva, Süketfalva.
26. Szent Imre. Fil. Torboszló, Sepröd.
27. Berekereszt Ur Fil. Bere, Magyoros, Mája, Marhod, Kendö.
28. Várad.
29. Kibéd.
30. Mäkfalva Fil. Abod.
31. Sz. István Fil. Atosfalva, Tsökfalva.
32. Erdö Szent György. Filia Havad tö.
33. Vadasd. Fil. Bede.
34. Geges.
35. Havad Fil. Kis Adorjan, Nagy Adorján.
36. Szent Simon Fil. Ritmány.
37. Gyalakuta Fil. Bordos.
38. Kelementelke.
39. Szövérd.
40. Vaja. Fil. Göts, Görgeny.
41. Szent Gelitze Fil. Szent Rontás.
42. Haraszt Kerék.
43. Batzka Madaras Fil. Felsö Nyomád, Szent László.
44. Szent Benedek Fil. Ahosfalva, Tserefalva.
45. Karátsonfalva Fil. Folyfalva.
46. Somosd Fil. Tsoka.
47. Szent Miklos Fil. Tsiba.
48. Fintaháza.
49. Lukafalva. Fil. Hentzfalva.
50. Lörintzfalva.
51. M. Keresztur Fil. Nyárád tö.
52. Kakasd. Fil. Megyesfalva.
53. Bodon.
54. Koronha.
55. Sellye.

§ XII. *Seniorat. Kükullovariensis.* — Undecimus Senioratus est Küküllöváriensis, qui nomen habet ab oppido Küküllövár, extenditurque in Comitatu Küküllövariensi, ubi sunt Ecclesiae

1. Küküllövár oppidum, Arce munitum, quod fuit olim Familiae Bebek, post Bethlen, nunc Fiscus habet Regius.
2. Sövenyfalva Fil. Adamus.
3. Szökefalva Fil. Szent Márton.

4. Galfalva Fil. Potsfalva.
5. Haranglàb Fil. Désfalva.
6. Dányán. Fil. Várallya.
7. Almás.
8. Ebesfalva. Apafiana olim possessio. Templum Parochiaque ante aliquot annos sunt occupata. Filia Domád, Hondorf.
9. Tsávás.
10. Bonyha. Fil. Berdád.
11. Kend. Fil. Kis Kend.
12. Bala vására. Fil. Kis Kend.
13. K. Szent Márton.
14. Széplak.
15. Hederfája.
16. Mihefalva.
17. Teremi. Fil. Ujfalu.
18. Besenyö.
19. Délö. Fil. Szent Pál, ubi Templum a Domino Terrestri Romano Cath. occupatum. Ugra.
20. Tsapo.
21. Radnot ubi olim Castellum Principale.
22. Kutjfalva v. Kutyfalva.
23. Bogath.
24. Mezö Bodon.
25. Herepe.
26. Süllye.
27. Medvés.
28. Szent Benedek.
29. Boldogfalva.
30. Királyfalva.
31. Bethlen Sz. Miklos.

§ XIII. Duodecimus Senioratus Udvarhellyensis, nomen accepit ab Udvarhelly, Latine, Loco Curiae, scilicet comitis Siculorum. Extenditur in sede Siculicali Udvarhelly, partim etiam in Comitatu Albensi. Sunt Ecclesiae:

1. Udvarhelly. Oppidum, ubi munitissimum erectum erat Castellum a Joanne Sigismundo Principe, quod tamen in tumultu Rakotziano eversum est. In monte de sancto Nicolao vocato, ubi nunc Residentia P. Jesuitarum est, Templum obtinebant olim Reformati, qui Romano Catholicis ea conditione cesserunt, ut communi pro orthodoxis Reformatis sumptu erigerent aliud, quod et factum est. Templum enim quod Reformati in Foro actu possident communi Reformatorum et Catholicorum sumptu est erectum in Rationem Reformatorum pro

templo S. Nicolai Catholicis concesso, secundum determinationem Commissariorum in hunc finem delegatorum. Subinde tamen exoriebantur controversiae inter utramque Religionem publica finiendae auctoritate. Utraque Religio, nimirum, orthodoxa Reformata et Romano Catholica contractum inierunt coram Georgio Apafi Comite Küküllövariensi et Consiliario, Davide Literati Judice Köhalmensi, Georgio Andrea Judice Coronensi, Francisco Farhas Capitaneo Udvarhellyensi, Commissariis a Principe delegatis, die XXVII Junii anno 1633 in has conditiones: 1) Deinceps quoniam tam Reformati quam Catholici seorsim habebunt Templum, pro utraque Religione communi sumptu aedificatum; igitur neutra ad alterius Religionis Templum praetensiones nunc vel imposterum habebit ullas; ita quoque ad Parochias Pastoris et Rectoris scholae. Si aliquis violentus Princeps aut Dominus terrestris in possessionem civitatis succederet, neutra pars ad violationem contractus solicitabit, sed in quantum facere potest obstare conabitur. Si contingat alterutram partem in paucas redire personas, eadem tamen libertas vigore contractus semper manebit. 2) Agri, quocunque titulo ad Parochiam possessi in duas partes dividantur, et pars Reformatis, pars cedat Catholicis. 3) Quod restabat ad perfectionem Templi Reformatorum, suas partes praestituros obligarunt se Catholici. 4) Sedilia e Templo Catholicorum a Reformatis ibidem erecta auferre licebit. 5) Ordo ac modus in pulsu campanarum observabitur ille: Festivis Diebus primi pulsabunt Reformati, postea Catholici; cum vero Reformati Festum non habebunt, Catholicis pulsandi potestas cum voluerint erit. Tempore Funerationis, qui primum signum dare inceperit, ille continuet, alter finem expectet. Similiter, quoniam coemeterium habebunt unum idemque, unus alterum non turbet, sed qui primus funus intulit sepelliat, ita alter succedat. 6) Salarium Ministri Reformati a suis, Catholici vicissim a suis postulent accipiantque auditoribus, praetensiones vero ad alterius Religionis auditores non forment ullas. 7) Si privata aliqua persona, per ignorantiam aut data opera sciens volensque his conditionibus contrairet, utraque Religio communi consensu talem secundum delicti rationem puniat. 8) Nemo in alterius Religionis templum jactu damnum inferat aut clamoribus ibidem interstrepat sub poena duodecim florenorum irremissibiliter exequenda. Utriusque Religionis professores Reformati aeque ac Catholici stipulata manu sub poena quingentorum Ducatorum, id est, bis mille et quingentorum florenorum Hungaricalium ad conditiones praescriptas sese observandas obstrinxerunt, in quibus a praevaricante exequendis, Inhibitio, Contradictio, Novum, Repulsio, Gratia Principis, nullumque Juris remedium locum habere possit.

Inciderat controversia inter Reformatos et Romano Catholicos de via ad coemeterium deducente, quam aut denegabant aut vario modo molestam Reformatis efficiebant Catholici. Igitur delegati e Regni Diaeta Johannes

Bethlen Cancellarius, Paulus Haller de Hallerstein, Andreas Pálfi, Thomas Tsizmadia, Martinus Literati, Commissarii ad loci revisionem et controversiae compositionem, viam Reformatis reddiderunt et controversiam sustulerunt anno 1666 die XI Martii.

Aliae rursum atque aliae difficultates sunt ibidem enatae, quibus Romano Catholici orthodoxos Reformatos premebant. Rursum ergo in Regni Diaeta anno 1687 die 8 Augusti Radnothini delegati sunt Commissarii ex quatuor receptis Religionibus ad eas tollendas Joannes Haller de Hallerstein Consiliarius, Alexius Bethlen Comes Szolnokiensis interioris, Georgius Banfi de Losontz Comes Dobocensis, Valentinus Franck Comes Saxonum Judex Cibiniensis, Ladislaus Gyulafi de Rátoth Generalis Militiae Transylvanicae, Nicolaus Bethlen de Kis Bun, Georgius Gyeröfi de Gyerö Vásárhely Comes Kolosiensis, Petrus Alvintzi de Borberek Protonotarius, Joannes Sárosi de Kis Sáros Protonotarius, Stephanus Apor de Also Torja, Wolfgangus Kálnoki de Këröspatak, Sigismundus Balintit de Körtvelyfájá, qui audita utriusque partis allegatione Contractum anni 1633 et Compositionem anni 1666 cum vinculo loco suo reliquerunt, imo confirmarunt. Insuper unanimi consensu constituerunt: 1) Ut Romano Catholici ex Reformatis ullum in Processionibus suis ad geniculationem aut cultum sacramento suo, quovis modo exhibendum, et ad ipsorum ceremonias altitandas, cogere nullo modo ausint. 2) Ut si Parochi aliquid sibi invicem committerent in rebus ad Parochiam aut propriam personam pertinentibus, abstineant a propria vindicta, sed Parochi Reformati a Vicario Catholicorum, Catholici a Superintendente Reformatorum quaerant ac etiam accipiant satisfactionem. Scholastici vero a suis Magistris in disciplina contineantur. 3) Catholici Processiones in Festo Corporis Christi circa Templum Reformatorum non instituant. Tempore deductionis Funerum si Reformati in cultu tunc sint, omnis cantillatio circa Templum intermittatur, nec ullae insolentiae ibidem exhibeantur. 4) Abstineant se a calumniis, proscissionibus, nec ulla Religio aliam diffamare praesumat. Haec et his similia literis suis compositionalibus inseruerunt. Non desunt tamen saepe malo et non pio acti zelo, qui turbas ac molestias facescere aliis pro delectatione habent. Floret hodiedum ibi Gymnasium Reformatorum a Joanne Bethlen Cancellario annuente Principe magna cura ac propriis erectum sumptibus.

2. Patakfalva Fil. Telekfalva.
3. Sándorfalva.
4. Bágy.
5. Ege.
6. Dallya.
7. Szent Pál.
8. Also Rákos.

9. Heviz. Hic ex Religione Unitaria ab anno 1724, ex quibus totus constabat pagus, incolae majore ex parte facti sunt Reformati. Pro iis Illust. Comitissa, Catharina de Bethlen S. R. I. Comitis Josephi Teleki de Szék vidua, erexit Templum Turrim cum campanis proprio aere, Domumque Parochialem pro Ministro, et Fundum pro ejus sustentatione; omnia autem sine detrimento successorum, cum pro sessionibus in hunc finem occupatis alias proprio sumptu acquisivit sessiones et prata duplicis aut etiam quadruplicis valoris.
10. Voldorf, ubi rivulus non pridem ingentis molis et admirandae magnitudinis ossa humani corporis detexit.
11. Moha.
12. Boldag Apponyfalva Fil. Arvádfalva, Bikafalva.
13. Szent-Lászlo. Fil. Szent Márton.
14. Kányád Fil. Jástfalva.
15. Petek.
16. Musna Fil. Ders.
17. Bögöz Fil. Ozdfalva.
18. Agyagfalva Fil. Matisfalva, Desfalva, Magyaros.
19. Nagy Galambfalva.
20. Kis Galambfalva.
21. Rugonfalva.
22. Bethfalva.
23. Sz. Keresztur Fil. Tsekefalva.
24. Ujszékely Filia. Fiadfalva Also Boldagfalva.
25. Szederjes Fil. Telek. Praedium est.
26. Jartzád.
27. Felsö Hodja. Alsó Hódja.
28. Sükö.
29. Dobofalvo.
30. Ketset Fil. Szent Mihály et Kis Falud.
31. Sófalva.
32. Parajd.
33. Siklod.
34. Szolokma.
35. Kis Möd.
36. Etéd.
37. Köröspatak.
38. Bözöd. Bözöd Ujfalu.
39. Nagy Solymos Fil. Hideghút.
40. Kis Solymos Fil. Sz. Abrahám, Gagy, Andrásfalva.
41. Szent Ersébet.
42. Bun, Fil. Kis Bun.

43. Hejjasfalva.
44. Tejéregy háza.
45. Sárpatak.

Szombatfalva
Vágás
Szent Lélek
Oroszhegyi
Szent Jamás
Zetelaka. — Sub Joannis Galgotzi Senioratu ad Romano Catholicos redierunt ob severam senioris disciplinam.

§ XIV. Decimus tertius Senioratus est Erdövidekeiensis a sylvis ubi jacent Pagi ita vocatus, qui extenditur in sede Udvarhely atque filiali Miklosvár, suntque sequentes:

1. Nagy Batzon.
2. Kis Batzon. Erat olim Filia ad Ecclesiam N. Batzoniensem, gravibus tandem ex causis fecit divortium; jam vero seorsim intertenet Ministrum.
3. Hérmán.
4. Jüle.
5. Bardotz.
6. Száldobos.
7. Orosz telek.
8. Bibartzfalva.
9. Bodos.
10. Száraz Ajta.
11. Közép Ajta.
12. Nagy Ajta
13. Bölön. — In his duobus Pagis incolae erant Unitarii, qui tandem Reformatam amplexi Religionem; illi nuncium miserunt. Supersunt aliqui etiam hodie Unitarii.
14. Köpetz. Filia Ürmös.
15. Miklosvár, hinc per Comites Kalnoki postquam Catholicam amplexi sunt Religionem dissipata est Ecclesia Reformata.

§ XV. *Seniorat. Kezdiensis.* — Senioratus decimus quartus est Kezdiensis, qui jacet in sede Siculicali Kézdi. Sunt Ecclesiae

1. Kezdi Vásárhely oppidum, ob mercatus celebritatem Forum Siculorum dictum, incolitur a populo frequenti sacris Reformatorum addicto. Est hic schola quoque satis frequens pro erudiendis Siculorum liberis. Filia ejus est Oroszfalva.
2. Martonfalva.
3. Matisfalva.
4. Markosfalva.
5. Létzfalva.
6. Bita.

7. Maxa.
8. Dalnok.
9. Albis.
10. Also Tsernáton.
11. Felsö Tsernáton.
12. Ikafalva.
13. Felsö Torja.
14. Karatna. Erat Filialis ad Felsó Torjam, nunc jam facta est Mater.

§ XVI. *Seniorat. Orbaiensis.* — Senioratus decimus quintus est Orbaiensis, extenditurque in sede Siculicali Orbaiensi, Ecclesiis constat sequentibus:

1. Zágon.
2. Papoltz.
3. Kovászna.
4. Körös.
5. Páva.
6. Zabola.
7. Páké.
8. Barátos.
9. Szörsse Filia Tamásfalva.
10. Telek Filia Tzófalva.

§ XVII. *Seniorat. Sepsiensis.* — Decimus sextus Senioratus est Sepsiensis, qui extenditur in sede Siculicali Sepsi, et in parte quadam Comitatus Albensis circa fluvium Alutam. Ecclesiae sunt

1. Al Doboly.
2. Illyefalva oppid. ubi Templum habent Monachi Paulini.
3. Szotyor.
4. Killyen.
5. Szent Király.
6. Szemerja.
7. Szent György oppidum, ubi etiam celebris olim schola cum studiosis, at vero Ali Bassa an. 1661 in captivitatem abduxit populum; nunc non ita frequens.
8. Arkos.
9. Kálnok Fil. Körispatak.
10. Zalán.
11. Oltsveme.
12. Málnás.
13. Bodok.
14. Etfalva Fil. Zoltán.
15. Gidofalva.
16. Martonos Fil. Fotos.

17. Angyalos.
18. Besenyö.
19. Eresztevény.
20. Komolló.
21. Réty.
22. Fel-Doboly.
23. Kis Borosnyó.
24. Nagy Borosnyó.
25. Eger Patak.
26. Magyaros Fil. Szatsva.
27. Lisznyó.
28. Bihfalva.
29. Kökös.
30. Uzon.
31. Szent Ivány.
32. Hidvége.
33. Arapataka Fil. Erösd.
34. Bodola Fil. Nyen, Bolonnya.

§ XVIII. Senioratus Sepsiensis olim complectebatur etiam Erdövidékiensem; imo post Reformationem diu sub uno seniore fuerunt omnes Trisedenses Ecclesiae, qui dicebatur László Esperest, senior Ladislaus, post ejus fata tandem in varias Dioeceses sunt distinctae, sed quo factum est anno, annotatum non invenio. Nunc omnes Ecclesiae in tribus sedibus Siculicalibus existentes per quatuor seniores, Sepsiensem, Kezdiensem, Orbaiensem et Erdövidékiensem, diriguntur. His adjunctus est ratione Privilegii senior Ecclesiarum Unitariarum. Singuli hi seniores ex antiqua consuetudine et continentiam * Privilegii ipsorum in sua Dioecesi habent authoritatem Forum contradictorium singulis quindenis diebus ad causas ventillandas celebrandi cum suis adsessoribus; unde provocatio datur ad Partialem Synodum; inde ad Communitatem Trisedensem, id est, ad Synodum, quae constat ex quatuor Senioratibus Reformatis et uno senioratu Unitario, sub uno Praeside collecta; inde rursum ad Generalem Synodum solet appellari causa. Singulari plane privilegio harum Dioecesium Pastores ornavit Princeps Gabriel Bethlen, quod a successoribus confirmatum ad hunc diem est in usu, quod videri potest infra [1]) exhibitum.

§ XVIIII. Praeter Ecclesias jam specificatas sunt etiam aliae sub istis Senioratibus minime comprehensae. Talis est Ecclesia Fagarasiensis in Civitate Fagaras, ubi olim duo erant Pastores et celebris schola

---

[1]) Lib. III. Cap. VII, § XII.
* continentia (ed.)

una Hungarica, altera Valachica Reformata. Proventus Fori cedebat in rationem Pastoris atque scholarium mediante donatione a Principibus elargita. Jus illud vellicare aggressus est Comes Paulus Teleki, supremus ejus Districtus Capitaneus Romanae addictus religioni. Ecclesia constat e Nobilibus ac civibus liberis, estque satis populosa. Dependebant etiam de facto a Pastore Fagarasiensi Primario (dependent) * Ecclesiae Lutheranae Fagarasiensis, Sárkanyiensis et Bethleniensis, qui in Consistorio habet auctoritatem causas ventillandi et decidendi; unde provocatio datur ad Generalem Synodum, aut ad Consistorium supremum.

§ XIX. Ecclesia Koboriensis in sede Saxonicali Rupensi pertinet ad Capitulum Kordense dependetque ab ejusdem Capituli Decano ac Superattendente Lutheranorum. Non fuit haec sola Reformata, verum in Capitulis Kozd et Kizd Ecclesiae, quoad Fidei Articulos accedebant Reformatis, quoad ritus externos Lutheranis, ab anno tandem 1616 arctius sese caeteris unierunt Saxonibus, de quo alibi.

§ XX. In oppido Vizakna salis fodina celebri populosam habent Reformati Ecclesiam a Decano Capituli Cibiniensis et Superattendente Lutheranorum in moralibus dependentem. Locus est sine controversia Saxonicus: quo anno sedem ibi Hungari fixerunt, non est certum. Evenit haud dubie in gravissimis Patriae revolutionibus, quando aut in captivitatem incolae abducti Turcarum ac Tartarorum, aut vero metu eorundem in vicinam urbem Cibinium immigrarunt ibique tandem perstiterunt. Commoditas vero loci, amplitudo et fertilitas agrorum ultro alios admisit et adscivit incolas. Immixti hic sunt Hungaris pauci Saxones, qui idem Templum et eundem cultum cum Reformatis frequentant, horis matutinis sacra peragente Ministro Reformato, pomeridianis vero Lutherano; scholae Rector cum studiosis est pariter Reformatus. Regimen in oppido tam civile quam ecclesiasticum est penes Reformatos, vivuntque utriusque Religionis notabili inter se concordia.

§ XXI. *Ecclesia Szaszvárosiensis.* — Ecclesia Szaszvárosiensis dependet etiam a superintendente Lutherano, prout etiam civitas ab universitate Saxonum. Sedes est Saxonica, quae a Turcis anno 1479 cum civitate Saxopoli et aliis Pagis tota in cineres redacta. Fuit civitas in desolatione usque ad annum 1509, quo Hungari ex Jenö, Lippa, Tömösvár aliisque locis Turcarum incursioni patentibus sub rege Uladislao Transylvaniam ingressi, civitatem cum Regis annuentia incolere coeperunt. Crescente dietim eorum numero, pro templo et schola restaurarunt Claustrum ibidem desolatum. Templum vero Reformatorum, quod in arce est, aedificatum est sub Principibus Reformatis, maxime autem a Georgio

* delendum censent ed.

Rákotzi, qui pro schola etiam proprio aere coemptis fundis eam erexit, et XXIV studiosos ibidem liberaliter aluit.

Post sacrorum in Transylvania reformationem Pastores in illa Ecclesia fuerunt, qui resciri potuerunt 1) Magister Sebastianus Károli, qui synodo Ovariensi anno 1554 interfuit, et deinceps in variis conventibus, colloquiis ac disputationibus adfuit. Quando est mortuus non liquet; successit vero illi 2) Thomas Kis anno 1570; hujus tempore missus est Ludovicus Szegedi in Plebaniam Szaszvarosiensem a Johanne Secundo, cui Regia donatione Decimas loci obtulerat, qui mansit ibidem vita durante et Decimas accepit. Illo decedente 3) Georgius Vizaknai occupavit Parochiam cum Decimis anno 1583. Brevi illi successit 4) Matthias Fabricius Pistoti an. 1592. Huic 5) Johannes Szilvasi anno 1594 XXVII Decembris qui an. 1595 XXX Aprilis in gratiam Principis Sigismundi Bathori religionem mutavit factusque est Romano Catholicus, ob hancque rationem e Parochia discedere debuit, Decimam tamen ejus anni cum adsistentia Principis percepit. Ab anno 1595 ad annum usque 1601 Ecclesia Plebanum non vocavit, sed officia peragebant duo Diaconi ut tunc vocabant Altaristae. At e generali Synodo Ecclesiae injunctum est, ut sine mora Plebanum adsciscat, qui et Decimas percipiat et onera sufferat Capituli. Vocatus igitur est 6) Joannes Rettegi anno 1601, qui non diu ibidem substitit, sed vocatus in Principum Aulas factus est concionator Aulicus. Cui surrogatus est ex Ecclesia Alvintziensi eodem anno 1601 7) Basilius Buzas Ketskemeti jam tunc Superintendens Reformatorum, qui Civitati dimidiam ejus decimam pro centum florenis Hungaricalibus vendidit, mortuus tandem in Plebania Saxopolitana anno 1603. Successit illi 8) Stephanus Dési vir magnae authoritatis et Principibus Gabrieli et Stephano Bethlen charissimus, anno 1629 Küküllövarinum jussu Stephani Bethlen translatus. Anno 1629 in ejus locum 9) Gregorius Nadudvari surrogatus, apud Principem Rakotzium adeo acceptus, ut sua instantia a Principe impetraret, ne tempore Expeditionis bellicae pastores Saxonici currus et aurigas cogerentur intertenere, prout antecedentibus temporibus semper factum erat. Impetravit autem anno 1636. Huic adjunctus est collega 10) Andreas Nadudvari frater ejus accitus e professoratu Debrecinensi; hunc autem in Functione morem observabant, ut primus mane, secundus semper vesperi peragebat Pastoris officia. 11) Joannes Füleki factus est pastor anno 1651, qui quoniam sua studia hauserat tantum intra limites Patriae, desiderabat adire exoticas Academias; igitur clam Ecclesia et sua Familia discessit, peregrina visitaturus Regna, ivit Posonium usque ubi mutavit Religionem; at homo levis et inconstantis ingenii literas ad uxorem liberosque exaravit, quibus hortabatur ad constantiam in orthodoxa fide, ipse facti poenitens deplorabat suam inconstantiam. 12) Stephanus Lengyel-

falvi Rector hactenus scholae occupavit cathedram. Collega hujus factus est 13) Gregorius Nadudvári alter, qui a Principe in rationem scholae impetravit decimam Sebeshellyiensem. Successit 14) Paulus Kaposi, 15) Daniel Várallyai, qui primum in Aula Principis Apafi fuit Concionator Aulicus, inde Pastor Devaiensis, inde Saxopolitanus. 16) Stephanus Szombathi. 17) Stephanus Komáromi ante Professor et Pastor Albensis. 18) Petrus Nadudvari vocatus M. Vásárhellyino an. 1705, qui vir fuit eruditus, summe eloquens, suavis, ideoque omnibus charus etiam adversariis. Reliquit opus posthumum LXXXIV conciones secundum articulos Fidei, quod suis sumptibus in lucem prodire jussit Illust. D. Comitissa Catharina de Bethlen. D. S. R. I. Comitis Josephi Teleki de Szék vidua an. 1741.

19. Danieli Várallyai an. 1706 fatis cedenti Michael Kezdi Vasarhellyi ex Pastore Aulico Sorostelyiensi successit, qui ad coelestia Regna hinc evocatus an. 1725. Illi surrogatus est
20. Johannes Patay ex Bethlen Sz. Miklos, eodem anno.
21. Paulus Kamarasi Petro Nadudvari an. 1726 decedenti successit non minor in eloquio Dei, imo potentior Apollos.
22. Petrus K. Vásárhellyi Patajio an. 1729 decedenti successit.
23. Andreas Vásárhellyi ex Pastore Sardiensi et Notario Tractus Albensis an. 1735 Paulo Kamarasi suffectus est.
24. Petrus Vásárhellyi collidens cum Ecclesia et Collega Udvarhellyinum transpositus, cui Matthaeus Fagarasi surrogatus est an. 1742. Ea occasione Andreas Vásárhellyi dimidiam civitatis Decimam a Civitate, olim a Praedecessore Basilio Buzas Ketskemeti pro centum florenis divenditam, recuperavit.
25. Matthaeo Pap Fagarasi repente ex hac vita migrante, introductus est Paulus Bardotz die XXVI Oct. an. 1745 ex Professore Szathmariensi.

§ XXII. Ecclesia Tordasiensis, est quoque in sede Szászvárosiensi, ac dependet a Superintendente Lutherano. Accipit ibidem integram Decimam Reformatus Pastor.

§ XXIII. Sunt igitur Matres Ecclesiae in Transylvania Reformatae quadringentae nonaginta octo, praeter Filiales, quae numerantur centum octuoginta. Evenit saepe, ut Filiales mutentur in Matres et vice versa, quum aut peste aut aliis vicissitudinibus numerus auditorum imminuitur in Matribus, crescit vero in Filialibus. Pastores seu Ministri incolunt Parochias apud Matrem existentes, quibus adjuncti sunt scholarum Magistri pro liberis auditorum instituendis. Salarium Pastorum pro subsistentia eorum est tenue, indeque dest quona u Ecclesia unum tantum habeat Verbi Divini Ministrum perpetuis laboribus poene obrutum, Diaconos laborantes in verbo nullos, in civitatibus majo-

ribus duos, raro plures, nisi Claudiopoli ubi sunt quatuor Pastores. Inde etiam est ut continuis macerati curis et concatenatis fracti laboribus plurimi ante diem e statione terrestri discedant ad coelestem.

§ XXIV. Praeter Ecclesias Helveticae confessioni addictas, sunt in Transylvania etiam Ecclesiae Augustanae confessionis in natione Saxonica, paucae quaedam in Hungarica, quae dirriguntur ab uno Superintendente Lutheranorum et per Decanos Capitulorum. Sunt autem Capitula seu Senioratus in universum quatuordecim, quae a Senioribus totidem reguntur. Habet

1. Capitulum Mediense Ecclesias XIII.
2. Capitul. Cibiniense Eccl. XXIV.
3. Capitul. Coronense Eccl. XIV.
4. Capitul. Bistriciense Eccl. XXIV.
5. Antesylvanum Eccl. XV.
6. Capit. Kizdense Eccl. XVIII.
7. Capit. Kozdense Eccl. XXVII.
8. Capit. Schelkense Eccl. XIII.
9. Capit. Schinkense Eccl. XV.
10. Löschkirkense Eccl. V.
11. Capit. Bolkátsiense Eccl. XIV.
12. Cap. Bogatiense Eccl. XXIV.
13. Cap. Regenense Eccl. VI.
14. Capitul. Laslense Eccl. VIII.

Ad Capitulum Coronense pertinent septem pagi Hungarici in terra Coronensium; ad Bistriciense tres filiales, ad Antesylvanum duae surrogatiae Tsekesiensis cum VIII Ecclesiis et Szaszvárosiensis cum duabus, ad Schelkense duae surrogatiae Transfrigidana cum quinque Ecclesiis et Quatuorvillana cum quatuor Ecclesiis. Sunt praeterea Ecclesiae cum Ministris Tordae, Claudiopoli, Enyedini, in Bethlen, Fagaras et Sázhány. Atque ita in universum habent Ecclesias ducentas triginta quinque, praeter eas ubi deficientibus Saxonibus Hungari cum Religione Reformata, aut Valachi cum ritu suo Graeco successerunt [1]).

§ XXV. Antitrinitarii sive Unitarii majorem olim occupaverant Provinciae Partem, nunc habent Senioratus octo cum Ecclesiis non usque adeo populosis. Senioratus sunt sequentes, habentes Ecclesias

1. Kolosiensis XI.
2. Trium sedium XI.
3. Albensis VII.
4. Udvarhellyensis XXVIII.

---

[1]) Confer. Smeizel de statu Ecclesiae Luther. in Transylv. Cap. IV.

5. Kereszturiensis XLII.
6. Marosiensis XXIII.
7. Küköllöiensis XI.
8. Tordensis XVIII.

Atque ita in universum centum quinquaginta et unam.

CAPUT DECIMUM.

De Superintendentibus in Transylvania Reformatis inde a temporibus Reformationis ad nostra tempora.

§ I. Nomen Superintendentis in Regimine Ecclesiastico usurpabatur in Transylvania ab Ecclesiis quae a Romanis discesserant sacris. Apparet ex monumentis ea aetate editis: in Synodo Kolosváriensi anno 1556 celebrata M. Sebastianus Boldius Pastor Beltekiensis vocatur Superintendens Ecclesiarum Christi in inferiori Pannonia, Matthias Heblerus Pastor Ecclesiae Cibiniensis ac Superintendens Ecclesiarum Dei Nationis Saxonicae in Transylvania, Franciscus Davidis Pastor Ecclesiae Claudiopolitanae ac Superintendens Ecclesiarum Christi Nationis Hungaricae in Transylvania. Disceptabant autem earum Ministri inter se de praesentia corporis Christi in Coena Domini corporali vel sacramentali, ita ut unionem tamen sperarent futuram, cum in aliis Fidei articulis Christianum haberent consensum. Cum tandem post recurrentes saepius disceptationes convenire de sensu verborum Christi non possent, jussu Johannis Secundi tunc in Transylvania regnantis in literis ad Synodum Enyedensem anno 1564 datis, distinctos diversum sentientes habere coeperunt Superiores. Verba Mandati sunt sequentia: „Sin autem id, quod postulamus sequi non poterit, saltem fiant ordinationes piae in tranquillitatem Ecclesiarum, ut Ecclesiae Saxonicae, et quicunque praesentiam corporis in coena asserunt, habere possint unum certum Superintendentem, virum gravem, pium et eruditum, gregi Domini sedulo invigilantem, qui in unitate Doctrinae et Ceremoniarum conformitate ac Disciplina Evangelica Ecclesias gubernet et in sontes ac inobedientes digna poena animadvertat. Rursus, qui diversam assertionem absentis videlicet corporis Christi contendunt, suum habeant Superintendentem, cujus cura et vigiliis, solitis ritibus et cerimoniis, Ecclesiae eorum, in Disciplina Evangelica gubernentur, atque ita distinctis limi-

tibus et functionibus quibuscunque suis omnibus prospiciant, et controversiae ac contentiones passim inter utramque partem grassantes vel hoc modo sedentur"[1]). Ex hoc tempore cautius inter se distinguebantur Ecclesiae; antea enim quae Romanis nuncium miserant sacris, omnes fere dicebantur Lutheranae, nunc equidem ceperat audiri et invisum e Germania advectum Sacramentariorum nomen.

§ II. *Primus Refor. Superintend. D. Alesius.* — Qui fuerint Reformatorum ab eo tempore Superintendentes, in quantum investigari potuit Catalogum contexam eorum, ne Posteritatis venturae notitiam effugiant. Primus ab omnibus notatur in Transylvania Reform. Superintendens

I. M. Dionysius Alesius Kolosváriensis, Pastor Fenesiensis, (qui locus per varios belli insultus multum ab antiquo splendore amisit) Archidiaconus Gyaluiensis, vir pius, doctus ac disertus, Johanni quoque Secundo Principi a concionibus sacris; unde artibus Blandratae et Francisci Davidis promotus, ne occulto eorum molimini obstaculo foret[2]). Ipsemet se vocat Superintendentem Ecclesiarum Hungaricarum et iis conjunctarum recte sonantium veram et incorruptam vocem Evangelii de Filio Dei Domino nostro Jesu Christo vero Deo et vero homine. Quo anno constitutus in Superintendentem latet in obscuro, annus autem beatae ejus dissolutionis fuit 1577. Non desunt, qui affirment Alesium Lutheranae fuisse addictum Religioni, quod hinc patere putant, quia sententiam de reali corporis Christi praesentia in coena Domini subscripsit an. 1556 et iterum anno 1561, quam edito libro refutavit Petrus Melius an. 1564[3]). Difficultas haec tanta non est, quae tolli facile non possit. Subscripserat eosdem articulos etiam Casparus Heltai, Franciscus Davidis, Emericus Tsanádi Erdödiensis Pastor, Michael Horvat Pastor Hadadiensis Archidiaconus Szilagyiensis, Johannes Hunyadi Teremiensis Pastor; hos tamen postea cum Reformatis sensisse negari non potest. Imo Petrus ipse Melius, acerrimus Reformatorum sententiae adsertor, hanc primum verbo et scriptis tuitus est sententiam[4]), cui meliorem edoctus nuncium remisit. Idem Alesio evenisse non est cur negetur; praecipue cum constet, tunc quoque articulum Augustanae Confessionis de Coena Domini alios sumpsisse strictius, alios cum Melanchtone latius. Ex crebra cum Petro Melio conversatione facile in ejus sententiam deduci potuit; admodum enim potenter Melius suam propagabat sententiam; de quo ita queritur Hanerus: „Solus Petrus Melius voti sui compos, maximam partem Nobilium, majorem vero Hungarorum atque Siculorum numerum

---

[1]) Historia Reform. pag. 123.
[2]) Geleji in Praefatione operis Titkok Titka.
[3]) Extat Refutatio edita Debrecini 1564 in 8vo.
[4]) Histor. Refor. pag. 99.

ad doctrinam suam alliciebat, imo tantum non omnes in Calvinianorum castra trahebat". Item: „Miserrimus tunc (an. 1563) status, nec solum Politia sed et Religio clades haud exiguas accipiebat, quod crebritate et magnitudine Tributorum gravaretur Respublica, in Calvinianorum castra vero, et qui hucusque in Lutherana Religione permanserant Siculi et Hungari transirent, nec paucis ex Saxonibus eorum dogmata arridere inciperent" [1]). Non habemus igitur adhuc cur a recepta communiter sententia recedamus, Dionysium Alesium primum fuisse Reformatorum Superattendentem in Transylvania. Libenter tamen amplexuri si quis certa illius aevi adferet documenta rem extra controversiam collocantia.

Silentio involvendum hic non puto, Franciscum Davidis vocari a Senioribus Ecclesiarum Reformatarum in Dedicatione Catecheseos ad Regem Johannem Secundum editae Claudiopoli anno 1566 Superintendentem nostrum. Erat is Superintendens Ecclesiarum Hungaricarum cum adhuc esset Lutheranus, quod patet ex subscriptione in Synodo an. 1556. Accedens sententiae Reformatorum eundem retinuit titulum et honorem; mox eos relinquens itidem in Religione antitrinitaria mansit Superintendens. At vero homo inconstantissimus et quovis volubilior vertumno, non est dignus, qui Reformatis annumeretur Superintendentibus.

§ III. *Andreas Sandor secundus Superintendens.* — Alesio in coelestem Patriam evocato successit in Superintendentis munus Andreas Sándor Minister Ecclesiae Devensis, vir doctissimus, qui dum Albae Juliae an. 1568 decem dierum Disputatio de s.s. Trinitatis dogmate coram Rege institueretur, secundas a Melio occupabat partes et dexterrime adversus Antitrinitariorum insultus tuebatur [2]). Electus in Superintendentem an. 1577, quod munus, Principatum apud Transylvanos tenente Christophoro Bathori verum Christum in pectore gerente Christianissimo Principe, magno cum Populi applausu et Ecclesiae emolumento, gessit. Patria fuisse Tordensem colligo ex Concluso Diaetae an. 1577 die XXV octob. Tordae celebratae, ubi ita Regnicolae concludunt: „Andreas Tordai authoritatem habeat loca omnia in hoc Regno adeundi, visitandi, et suae Religionis Ministros gubernandi, instituendi, docendi, reprehendendi, Synodos congregandi: imo alterius etiam Religionis Ministros hortando, monendo, docendo, quos possit ad suam sententiam, a violentia tamen abstinendo, pertrahendi. Alterius autem Religionis Francisco Davidis prout antea, nunc quoque tantum Claudiopoli et Tordae liceat Synodum convocare; et in alterius Religionis personas Ecclesiasticas nullam habeat jurisdic-

---

[1]) In Historia Eccl. Lib. IV pag. 246, 269.

[2]) Disputatio edita est Albae Juliae apud Viduam Raph. Hoffhalter an. 1568.

tionem; sed tantum, in suae Religionis"[1]). Hic Andreas Sándor Tordensis gravem de Deo Disputationem habuit cum Stephano Tsászmai Antitrinitariorum tunc celeberrimo, a quo talem de Christo, nomine publico in scriptis extorsit Confessionem: Sacra scriptura Jesum Christum Deum et vitam aeternam nominat, ob hanc rationem: quia Deus Pater cum plenitudine Deitatis suae in ipso habitat, omnipotens, excelsus, salvator et Patri suo coelesti aequalis. Quem ego adeo veneror atque adeo magnum Deum confiteor esse et praedico secundum Scripturas, ut omnem salutem meam et felicitatem in ipso inveniam: et ille est Dominus meus et Deus meus[2]). Ab hac confessione multum absunt hodierni Unitarii.

Epitaphium ea, qua hic exhibetur forma literis majusculis marmori incisum, nunc quoque in Templo Reformatorum Devensi visitur.

---

[1]) Ex Actis Diaetae Tordensis an. 1577 MSS.

[2]) Ex Capitulo Albensi.


Epitaphium Clarissimi viri Domini Andreae

Sándor Pastoris Ecclesiae Devensis et Superint. Eccles. Hun-

garicarum in Transilvania Catholicam

Fidem profitentium obiit Anno aetat. L.—MDLXXIX





Si quis ades, qui nostra cupis monumenta videre,
Cujus et hoc tumulo membra sepulta jacent.
Andreas Sandor Tordensis nomine dicor.
Namque mihi hoc tantum mors superesse sinit.
Ornarat Dominus dum vixi munere magno,
Et clarum nomen fecerat ille mihi.
Nam Superintendens Ego Nostrae Gentis habebar.
Huic voluit Christus me invigilare meus.
In cujus vero sacra nunc aede quiesco,
Devensis Populi Presbyter ipse fui.
Quae durum potuit mihi mortis adimere fatum
Illa sub hoc tantum marmore clausa jacent.
Tu tamen esto memor, qui spectas nostra sepulchra,
Esto memor quidnam post breve tempus eris.
Es quod eram, sed eris quod sum non tempore multo.
Nam mors est cunctis persolvenda. Vale.

§ IV. 3 *Superin. M. Götsi.* — Rebus humanis exempto Andreae Sándor Tordai successit Matthias Götzi (vocatur a nonnullis Matthias Göntzi) Minister Ecclesiae Maros Vásárhellyensis; hujus aetate condemnatus est Franciscus Davidis ob innovationes adversus Regni leges factas, artibus Blandratae irretitus et ad praecipitia ductus [1].

§ V. 4 *Superint. M. Toronyai.* — Matthaeus Toronyai Minister

---

[1]) Matthiam Götzi exhibet matricula Acad. Viteberg., ubi studiis incubuerat.

Ecclesiae Gyaluiensis ac tandem Enyediensis in locum decedentis, est electus Superint. an. 1585, cum Johannes Gétzi, Gubernator Transylvaniae, justi et aequi amantissimus pacem undique Transylvanis conciliasset. Dives tunc erat Regio opibus, Politia et Ecclesia viris doctissimis, in exteris oris ac Academiis excultissimis. Mortuus est Rettegini an. 1599 in maximis Patriae turbis, cum sub infelicis Sigismundi Bathori regimine Politia et Ecclesia viris excultis esset orbata, regio vero a variis hostibus expilata [2]).

§ VI. 5 *Superint. J. Ungvári.* — Ad aeternitatem ubi evocatus est, in locum ejus electus Joannes Ungvári Pastor Alba Juliensis anno 1599. Misserrimis istis temporibus Magnates et Nobilitas Transylvanica bello se adversus Bastam et Michaelem Transalpinae Vajvodam defendebant, cui Magnatum jussu etiam Superintendens Reformatus interesse debebat, qui victi ad Göroszlonem an. 1601 decem Transylvanorum millia perierunt. Cladi huic involutus est etiam Ungvari Reformatus Superintendens cum aliis Patriae utilibus viris.

§ VII. 6 *Superint. B. Ketskemeti.* — Hausto clade communi Superintendente, in locum ejus electus est Basilius Buzás Ketskemeti an. 1601 pastor Alvintziensis. Miserrima tunc erant tempora, ubi divitem ingressus Transylvaniam Basta pauperem a se reliquerat, cujus nomini saevitia sua attractam ignominiam nulla vel apud posteritatem delebit temporis longinquitas. Alvintzino Ketskemetius Szászvarosinum vocatus praefuit Ecclesiae et simul Superattendentiae ad an. 1603, tunc ex concatenatis Patriae miseriis ad aeternam quietem vocatus. Vendiderat hic dimidiam Civitatis Saxopolitanae decimam, pastori primario debitam, centum florenis annuatim a pastore in rationem Civitatis redimendam. Quam sibi restitui jure petivit, et non sine magno labore obtinuit pastor ejus loci primarius Andreas Vásárhellyi, an. 1742.

§ VIII. 7. *Superintend. M. Tasnadi.* — Regendis praepositus est tandem Ecclesiis Michael Ruber Tasnadi, pastor Ecclesiae N. Enyediensis, qui electus in Superintendentem die VII Martii an. 1605 in Synodo M. Vásarhellyensi. Eodem anno cum comitia celebrarentur Medie a Stephano Botskai Principe pro Ministrorum viduis et pupillis privilegium obtinuit, confirmatum deinde anno 1618 a Gabriele Bethlen Principe. Mortuus est tandem in oppido M. Igen die XXIV Septembris anni 1618, sepultus Albae Juliae jussu Principis in Templo majori. Juvenis operam studiis Vittebergae in Coetu Hungarico navaverat, qui adhuc tunc florebat, biennio post ab omnibus fere Hungaris ob dogma ubiquetisticum relinquendus. In arte poëtica fuit cultus et suavis, quod testatur Poëma

---

[2]) Haner in Hist. MSS. ad h. annum.

inter alia, quo Johannem Tsanadi Vitteberga in Patriam redeuntem comitatur an. 1589, quod ita sonat:

Jane tuos linquens, doctas exculte per artes
Jam repetis Patriae splendida tecta, domus?
Quid properasse juvat? nondum tua provida virtus
Est oneri nobis: quid properasse juvat?
Cur magis hac artes te non remorantur in Urbe
Ingenuae, et sanctae Bellerophontis opes?
Hic potius maneas, praeclaros percipe fructus
Quos tibi cultori magnus Apollo dabit.
Sed bene Musarum donis ditatus abibis;
Et repetis Patrii dulcia rura soli.
Tutus eas, redeasque domum, salvosque propinquos
Repperias, nullo te remorante malo.
Omine felici Superi comitentur euntem;
Sit comes et Christus, quo duce tutus eris.
Duxit ut ad patrias redeuntem fortiter oras
Isaciden custos Angelus ipse Dei.
Sic quoque Pannonicas idem te ducat ad oras,
Felix, ut tanto praeside salvus eas.
Aeolus includat furiosos turbine ventos
Ut placide longum perficiatur iter.
Tu quoque fusor aquae pluvias compesce madentes,
Ne ruat effusa turbidus imber aqua.
Vade, vale, salvosque tuos invise propinquos
Et nostri maneat semper imago tibi.
Tasnadi ut possit tot claros inter amicos
Postremum saltem sustinuisse locum.
Et si qui quid agam forsan sermone requirent;
Hos salvos omnes esse jubeto: Vale.

Michaël R. Tasnadius.

§ IX. 8 *Superint. J. D. Keserüi.* — Mortalitatem exuenti Tasnadio suffectus est Johannes Dajka Keserüi, Aulicus Gabrielis Bethlen Principis concionator, quem Varadino evocaverat in Transylvaniam, celebris ac facundus. Duplici praecipue opere profuit Ecclesiis, (1° Quod Ecclesias apud Siculos a Ministris Unitariis clam et subdole occupatas ubi advertit, magna cura visitavit, Ministros in censuram revocavit, heterodoxos removit, ac in eorum locum orthodoxos instituit Ecclesiaeque Christi nitorem restituit[1]). (2do Quod cantiones ecclesiasticas modumque

[1]) Geleji in Praef. operis Titkok Titka et in Libro de origine Unitariorum.

in Ecclesiis ad Dei cultum canendi, meliorem in ordinem redigere magno labore annisus est. Edidit tandem opus ab ipso profligatum Stephanus K. Geleji sub titulo Gradualis[1]). Electus fuit in Episcopum an. 1618 die XVIII Octobr., rediit vero in coelestem Patriam anno 1633 die XVIII Maji; atque ita praefuit Ecclesiis Dei quindecim per annos.

§ X. 9. *Superint. S. K. Geleji.* — Stephanus Katona Geleji Principum Bethlenii et Rakotzii pastor Aulicus ac tandem Albensis Primarius electus in Superintendentem in Synodo Enyedensi absens et invitus an. 1633. Vir profundae doctrinae, acris judicii, memoriae tenacis, extemporaneus, eloquens, promptus, ideoque Principibus et Magnatibus charus, doctissimis operibus editis apud Posteritatem notissimus. Ipsemet vitam suam descripsit, quam hic exhibere inde placet, cum multa divinae Providentiae argumenta singularia in se contineat. Qui ita loquitur: „Maximas quantas animo concipere possum Domino Deo meo gratias agere debeo, quod me humilibus quidem, honestis tamen parentibus, patre nimirum Johanne Katona, qui militem significat equitem, viro pio et prudenti, ut ex aliis accepi (an unquam militarit, me latet, nisi forsan in juventute), matre vero Catharina Varja, femina pientissima, ac in sincero Dei cultu devotissima, uti ipse certo coram Deo in conscientia mea, multis experimentis edoctus, testari cum iis omnibus qui eam norunt possum, in pago ignobili Gelej nuncupato, incolis plane omnibus in hodiernum usque diem ex desolatione illa abominabili destituto, proxime oppidum Keresztes, in cujus patenti campo non procul ab Agria memorabile illud Christianorum prelium cum copiis Turcici Imperatoris Mehemetis III anno 1596 26 Oct. inauspicato commissum est, anno 1598 prognatum et patre infantem vix semestrem adhuc orbatum, sub alas providentiae suae receperit, ac singulariter ab omnibus malis et periculis protexerit; puerum septennem a Tartaris cum innumera hominum multitudine in captivitatem e Patria abductum, Turcaeque Szolnokiensi sub auctione venditum, menstruo exacto spatio certo lytro redemptum, in sinum Ecclesiae, ne in Muhametismo enutrirer ac adolescerem clementer reduxerit, reductum studio literario, cui me charissima Genitrix, simul atque conceptus sum, si masculus nascerer, sancte devoverat, imbuendum destinarit, cujus quidem primis elementis ac rudimentis in Paedagaeo triviali Monakini opera Jonae fratris germani, et simul Paedotribae, initiatum, in scholis tandem paulo celebrioribus, Szantoviana, Göntziana, Ujhellyina et omnium demum celeberrima Patakina, quas gradatim, quasi ascendendo, successive et post certa temporum intervalla, colui et incolui, mediocri artium cognitione liberalium, fideli cura et industria Praeceptorum aeterna memoria colendorum, Johannis quidem Budai in

[1]) Idem in Praef. Gradualis.

Szantoviensi, Georgii Korotz Szepsini in Göntziensi, Petri Beszerményi in Ujhellyensi, Michaelis vero Lanii Szepsini, Stephani Siderii Szikszovii, et praememorati Georgii Korotz Szepsini in Patakiensi donavit. De victu et amictu in continuo nec interrupto studiorum meorum cursu, beneficio dulcissimae matris et fratrum Jonae et Casparis Katona de Gelej, fraterno et tantum non paterno amore me prosequentium abunde prospexerit. Coetui scholastico haud infrequenti in praetacto Gymnasio Patakiensi, juvenem adhuc imberbem, seniorem directis in me omnium suffragiis praefecerit; moderatione mox scholae Beregszasziensis non incelebris mihi concredita, ex discipulo praeceptorem fecerit; cui provinciae Ludi literariae adornandae quantam mihi sufficientiam dederit, satis clare vel ex eo liquet, quod in spem, nescio quam, ex illa mea functione pii aliquot et docti viri, fideles Ecclesiarum antistites (ex quibus honoris et gratitudinis ergo, Casparem Tiszabetsium virum aetate et judicio gravem, Ecclesiasten Kaszoniensem nomino) de me excitati, Illustrissimo tunc Transylvaniae Principi, gratae ac nunquam intermoriturae recordationis Domino Gabrieli Bethlen aliquem bonae indolis et singularis eruditionis juvenem in exoticas Academias, pro ampliore et uberiore scientiae thesauro cumulando a se promovendum a sancta Ungariensi CisTibiscana universitate, petenti, ex Generali eorum Synodo Tsengerini celebrata, me indignum ac iis requisitis imparem, per Reverendum virum Dominum Johannem Dajka Keserüinum Aulicum ejus Celsitudinis concionatorem jam designatum Fautorem et Praedecessorem meum tum in Aulico ministerio, tum vero in Episcopatu, suspiciendum, a meliori nota nominanter commendarint. A qua Principali sua Celsitudine viatico et nervo studiorum liberaliter instructus peregrinasque in oras profectus, ubivis locorum et gentium Deo duce et auspice tutum mihi ac pacificum iter contigit, Hejdelbergamque doctas Germaniae Athenas anno 1615, 14 Novembr. salvus appuli, atque illic cum optato studiorum meorum tam Theologiorum, quam Philosophicorum emolumento, sub fideli undiquaque doctissimorum et celeberrimorum Theologorum, p. m. D. Davidis Parei, D. Bartholomaei Coppenii, D. Johannis Henrici Altingii et aliorum institutione non publica solummodo et ordinaria, verum etiam privata et extraordinaria biennium et aliquanto amplius exegi. Tertio jam vertente anno, prout jussus eram, reditum in Patriam meditor, eumque itinere tum terrestri, tum navali secundo Danubio, maturo. Redux factus oblatum illustris hujus scholae nostrae Albensis Rectoratum capesso, quem etiam pro virili, haud sine juventutis ac pubis scholasticae in bonis literis ac artibus liberalibus incremento, meique honoris et existimationis augmento, annuo et amplius spatio adorno, disputationibus non privatis modo intra parietes scholae habitis, sed et publicis in Templo minori, me meosque

discipulos exerceo, quarum nonnullis Illustrissima quoque sua Celsitudo humiliter a me invitata interesse cum splendido suo comitatu, Generosis, Magnificis, Nobilibus, Baronibus, cujuscunque Confessionis, haud est dedignata. Accidit etiam nonnunquam, ut non cum larvis duntaxat et personis adversariorum indutis, verum cum ipsismet etiam professis orthodoxae veritatis hostibus iisque famosioribus provocatis pugnaremus, et tali quidem eventu, ut celebritati Antagonistarum nonnihil decesserit, de me vero (absit arrogantia) honestam quandam opinionem conceperint. Sua vero Celsitudo ita persuasa sit, ut nepotem suum ex fratre, Illustrissimo Comite, Domino Stephano Bethlen de Iktar, magno Ecclesiae nutritio ac Fautore, Patri cognominem, in exteras Regiones, cultioris tum literaturae, tum experientiae majoris comparandae causa expediendum, nullius quam meae curae ac institutionibus committendum duxerit, ejusque Ephoratum per Reverendos suos concionatores gratiose obtulerit. Cui etsi oblationi haud parum imprimis reluctatus, variis excusationibus usus, victus tamen postea petitionibus et benignis suae Celsitudinis pollicitationibus, invitus quasi cessi, ac Heidelbergam cum comite ejusque pedissequis et collega mihi adjuncto anno 1619, 20 April iterato redii. Cujus quidem reditus, utut molestus ac taediosus mihi is ab initio sit visus, nunquam tamen me poenituit, cum interruptum ante sesquiannum studiorum meorum cursum, haud minori quam ceperam alacritate continuarim, et in linguis potissimum, mathematicis item ac historiis profectum non contemnendum fecerim. At proh dolor cum maximo Musarum nostrarum detrimento et avocamento, Hispanis Duce Spinola Palatinatum hostiliter invadentibus Heidelbergaeque nostrae imminentibus, sollicitus non tam de mea, quam Comitis meae fidei commissi vita ac fortuna, temporis injuriae Martisque ferociae cedendum duxi, et Norimbergam imprimis, mox Pragam, inde demum quinto ante funestum et infaustum illum, quo Bohemi rem amiserunt, conflictum, excedens Posonium inferioris Hungariae, salvo mecum reducto Comite retrocessi. Secundo jam divina clementia, inter varia rerum discrimina, me Patriae redditum, serenissimo Principi et Regi jam tum Ungariae electo ac designato a sacris sibi adsciscere placuit, ad quae etiam in generali Episcopatus CisTibiscani congregatione Szathmár Nemethini an. 1621, 23 Novembr. solenniter per manum venerabilis senis Josephi Göntzi Episcopi impositionem inauguratus, ordinatus ac consecratus sum. Quae sane provincia ardua nimis tyroni adhuc et in facultate concionandi minus exercitato videri poterat; in quot enim quantorumque Heroum eorumque diversae confessionis, et totidem fere, quot numero erant, censorum praeter Principem, summo judicio praeditum, prodeundum mihi dicturo et docturo fuerit, Aulae illius familiares norunt.

At Deus meum tyrocinium virtute sui spiritus ex ore Prophetarum

et Apostolorum loquentis benigne perfecit, gratiamque et authoritatem amplius quam sperare aut etiam optare poteram, apud omnes mihi conciliavit. Tertio sacri mei Ministerii anno videlicet 1624, 5 Novembr. sacro connubii foedere, piae ac honestae matronae Catharinae Bátsi de Szeged, viduae venerandi ac celeberrimi viri p. m. Domini Stephani Milotani, jungor, et sine ulla honoris ac existimationis meae labe conscientiaeque laesione integrum circiter decennium in Aulico Ministerio molestissimo utique ac laboriosissimo sub tribus Principibus Dei beneficio consumo, donec tandem pie ex hac mortali vita reverendissimo Domino Johanne Dajka Keserüino Ecclesiarum orthodoxarum in Transylvania Episcopo decedente, anno salut. 1633, 6 Junii in Synodo Generali Enyedinum convocata, concordantibus totius coronae votis ac suffragiis, ad dignitatem hanc Episcopalem absens electus, invitus evectus, eique suffectus sum. Cui etiam meae Praelaturae seu Episcopatui singulariter Deus hactenus ex alto benedixit, adeo ut numerus Ecclesiarum, non solum non diminutus, verum etiam non paucis ex Samosatenianismo et Semi-Judaismo Papismoque conversis auctus sit. Quod tamen non meae vigilantiae, verum divinae gratiae imprimis; secundario vero piae Illustrissimi Principis D. Georgii Rakoci, Patroni nostri pientissimi, industriae adscriptum velim. Pro tot, inquam, tantisque mecum praestitis beneficiis, immortales misericordissimo Deo ac Patri meo referre gratias debeo, qui nihil mihi eorum, quae ad vitae quoque hujus mundanae felicitatem necessaria videntur, denegavit, exceptis liberis, quorum etiam loco libris forsan me beabit, quorum hic unus est, quem nunc in lucem edo; reliquos vero jam conceptos editurio." [1])

Reliquit plurima ingenii industriaeque monumenta, quae apud Posteros quoque ejus doctrimam loquentur. Qualia sunt:

I. Preconium Evangelicum, seu conciones ad Evangelia Domicalia, duobus in folio spissis voluminibus, ubi aggratulantur ipsi Alstedius, Piscator, Bisterfeldius, Professores Alba Juliacenses, Niclassius Pastor Dantiscanus et omnes Tractuum Seniores. Opus est variae doctrinae thesauro refertum, Homiletis apprime necessarium, editum an. 1638 Albae Juliae.

II. Mysterium mysteriorum sermone vernaculo: Titkok Titka de Deo uno in essentia et trino in Personis ex Prophetarum ac Apostolorum scriptis demonstrato. Albae Juliae anno 1645. In dedicatione doctissime de Haereticis, in specie de ortu et progressu Antitrinitariorum in Transylvania, tractat.

III. Mysterium Redemptionis, sermone vernaculo, Váltság Titka, quod agit de officiis Christi, nempe Nativitate, Passione,

---

[1]) In Dedicat. Preconii Evangelici, Tom. II.

Morte, Resurrectione, Ascensione ad coelos, Sessione ad dextram, Missione Spiritus Sancti. Varadini an. 1645 in 4to tribus voluminibus.

IV. Observationes, de Grammatica Hungarica An. 1645.

V. Gradual, seu Cantiones Ecclesiasticae, quas in ordinem quidem digesserat Joh. Dajha Keserüi; edidit vero Geleji anno 1636, sumptus subministrante Georgio Rakotzi Principe.

Tandem variis pro Ecclesiae utilitate exantlatis laboribus fractus, luminis instar aliis inserviendo defecit an. 1649 die XII Decembris, aetatis an. LX, sepultus Albae Juliae in Templo Majori.

§ XI. Successit tandem Georgius Tsulai, Concionator Aulicus Transylvaniae Principum Georgii Rakotzi Senioris et Junioris. Electus die 20 Junii an. 1650, concordantibus Principis, orthodoxorum Patronorum et Consiliariorum atque etiam Ecclesiae Ministrorum votis. Desiit inter vivos esse an. 1661.

§ XII. Caspar Veresmarti Pastor Ecclesiae tunc Claudiopolitanae, antea Udvarhellyensis Tractusque Senior, electus est in Superintendentem an. 1661 die 3 Aprilis in congregatione Maros Vásárhellyensi generali; accedente etiam calculo Principis Joannis Kemény et Patronorum orthodoxorum. Mortalis esse desiit anno 1668.

§ XIII. Petrus Kovásznai Minister, post occupatum a Turcis Varadinum, cujus loci Concionator erat, Claudiopolitanus; electus in Synodo Enyediensi anno 1668, praesentibus Joanne Bethlen Cancellario et Sigismundo Banfi Consiliario. Caelitibus annumeratus est anno 1673.

§ XIV. Successit in officium Superintendentis Caspar Tiszabetsi Minister Ecclesiae Szekiensis Tractusque ejusdem Senior, qui electus est in Synodo Küküllövárini an. 1673.

§ XV. Michael Tofaeus de Tófö creatus est Superintendens anno 1678 in Synode Alvintziensi, praesentibus Wolfango Bethlen Cancellario et Johanne Nemes Consiliario. Fuit hic an. 1658 pastor Szathmariensis, inde anno 1663 vocatus in Aulam Principis Apafii factus Concionator Aulicus, fuit vir profundae eruditionis et liberrimi oris Chrisostomus, de vitiis Aulicos, Magnates, Consiliarios et Principem, sine omni personarum respectu redarguit; ettamen omnibus charus vixti et mortuus est. Peculiarem sibi secutus est methodum in concionando. Dum ex Psalmis concionaretur, duo Principis secretarii, Stephanus Tiszaujhellyi et Johannes Keszei, dicta ejus in chartam conjicientes ediderunt jussu Principissae Annae Bornemiszszae anno 1683 sub titulo Resolutionis Psalmorum. In caelestem Patriam rediit an. 1684.

§ XVI. Successorem habuit Stephanum Horti Antistitem Ecclesiae Fagarasiensis, qui communi Fratrum voto in frequenti Synodo celebrata Albae Juliae creatus Superintendens anno 1684 die VI Junii.

Suo consensu Princeps Michael Apafi et Proceres Reformati electionem ratihabuerunt.

§ XVII. Postquam in coelestem rediit patriam Hortius electus in Superintendentem Stephanus Veszprémi anno 1691 in Synodo M. Vasarhellyensi. Qui fuit primum scholae Szathmariensis Professor, inde Pastor et senior Udvarhellyensis, tandem Albensis. Mortuus est Albae Juliae fractus curis ac senio an. 1713 et sepultus ibidem.

§ XVIII. Duodecima Novembris Veszpremius cum solenni celebritate in coemeterio sepultus, die XIV Ministri Ecclesiarum et Proceres Reformatae addicti Religioni M. Igenini generalem celebrant conventum, ubi post varias disceptationes Stephanus Kolosvári electus est in Superintendentem die XVII Novembris an. 1713. Fuit hic vir experientiis clarus et aetate venerandus, qui anno 1678 in Collegio N. Enyediensi constitutus Professor Philosophiae, variarum facultatum et linguarum Orientalium ab eo tempore Doctor extitit. Dum Transylvani clientelam Domus Austriacae ambirent circa annum 1685 missus est a Reformatis ad Electorem Brandeburgicum, Fridericum Magnum et ad Praepotentes Hollandiae Ordines, ut eorum mediatione certum et firmum de Religione constitueretur. Hujus tempore, anno scilicet 1716, Albae Juliae templum majus, Residentia Superintendentis, Pastorum et Professorum Parochiae, et Collegium a Gabriele Bethlen fundatum a Reformatis sunt adempta [1]), unde Collegium Maros Vasarhellyinum, Superintendens discesserat Enyedinum, ubi etiam fragiles deposuit corporis exuvias an. 1717 die XXIX Augusti.

§ XIX. Franciscus Soos pastor Kolosvariensis, electus in Superintendentem an. 1717, cum saeva epidemica grassaretur lues et plurima e viventium numero tolleret millia, edidit quoddam opusculum de peste sermone Latio et Hungarico, ac tandem anno 1720 evocatus etiam ipse ex his miseriis ad aeternam quietem.

§ XX. Stephanus Vásárhelyi, antea pastor Küküllövariensis, tandem Enyedensis et Fratrum Senior, ac jam diu Generalis Notarius, electus in Superintendentem anno 1720, mortuus autem anno 1728 die VIII Maji, tumulatus ibidem.

§ XXI. Georgius Simon Bonyhai pastor Ecclesiae Küküllövariensis vir profundae doctrinae, at natura mitis et blandus, in Superintendentem est electus anno 1728 in Synodo M. Vásárhellyensi, factusque ejusdem loci pastor, peracto cursu ibidem Redemptori spiritum suum reddidit anno 1737.

§ XXII. Stephanus Gyula Szigeti qui ex Pastore Felsö Banyaiensi factus est Theologiae Professor in Collegio Enyedensi an. 1713,

---

[1]) Timon in Epitome Chronologica ad an. 1716.

in Superintendentem electus est anno 1737, at vero sequenti anno 1738 miserandam subiit captivitatem pridie Dominicae Palmarum, vir sceleris purus ac vitae probatissimae. Repente et inopinate Residentia circumdata est a militibus, Bibliotheca et arcae excussae omnes, scripta et literae omnes convasatae, ipse Albam Carolinam deductus ibidem arctissime est custoditus. Sors haec communis erat ipsi cum Magnatibus aliquot Reformatis, nempe cum Illustrissimo Comite Samuele de Bethlen, Tabulae Judiciariae Adsessore, Joanne Lázar Lib. Barone de Gyalakuta, Michaele Toldalagi de Ertse septuagenario prorsus coeco et surdo, qui ne camelum quidem prae oculis existentem videret; Sigismundo Torotzkai, qui apoplecticus ne domesticis quidem tangebatur curis, nedum ad Rempublicam pertinentibus; Francisco Rhedei, quem jam senem podagra lecti effecerat custodem; Ladislao Rhedei, juvene miti et blando, qui audita criminis atrocitate, cujus accusabatur, in deliquium incidit animi; Sigismundo N. Borosnyai Professore Enyedensi. Qui in diversis arcibus sub arcta detenti custodia accusabantur collusionis cum hostibus suae Majestatis et aliis ab accusatore fictis criminibus, quibus etiam per totam Europam in Novellis diffamabantur. Ex mandato Imperatoris Caroli Sexti in Delegata Commissione sub severum revocati sunt examen, ubi ne umbra quidem suspicionis apparuit de accusatis criminibus. Igitur die XV Januarii an. 1739 libertati et honoribus restituti sunt. Acceperuntque innocentiae suae testimonium quod ita volente Clementissimo Imperatore non solum in Provincia per Patentes, sed etiam in exteris Regionibus per Novellas, publicatum est. Restitutus pristinae dignitati, non diu supervixit, anno enim 1740 coelestis gloriae particeps effectus est, aetatis in terra peractae LXII.

§ XXIII. Josephus Filep Deáki, electus in Superintendentem an. 1740 cum jam antea Generalis esset Notarius. Fuit Minister Ecclesiae primum Desiensis an. 1711, inde Claudiopolim translatus, ibidem etiam mortales deposuit exuvias an. 1748, tertia Idus octobris, anno aetatis suae LXVII.

§ XXIV. Joannes Pelsötzi, vix duorum mensium Superintendens, creatus erat an. 1748 Enyedini, mortuus vero an. 1749 die XVIII Januarii, in Parochia sua M. Igeniensi, in qua quadraginta quinque S. Ministerio fungens peregerat annos.

§ XXV. Successit Joannes Lucae Borosnyai, ex Pastore Enyedensi Professor Udvarhellyensis, ex Professore creatus Superintendens an. 1749.

De reliquis vide Josephum Benkö Tomo 11° p. 177, 178, 179 qui editus est Vindobonae anno 1778.

Praeterea separatim etiam editum est hoc caput sub nomine S. Polycarpus ab ipso Auctore.

CAPUT UNDECIMUM.

De origine Regiminis Ecclesiastici in genere; in specie vero de synodis in Hungaria ac Transylvania Ecclesiasticis.

§ I. *Concilia necessaria.* — Nulla hominum est societas, quae absque bono ordine atque regimine diu perdurare valeat. Nullus enim in terris tam perfectus fuit coetus, cui non etiam mali et insensati sese insinuaverint. Aderat in familia Adami Cainus homicida, Noachi maledictus Cham, in coetu Apostolorum Judas. Hodie quoque melioribus adjungunt se morum et studiorum corruptores, quos evitare necesse habent, qui salvi permanere optant. Crassa est ignorantia etiam apud meliores, quae plurimorum causa existit errorum, qui facile progenerant disceptationes. Quibus sedandis Doctiorum consilia, labores ac consultationes requiruntur; quae habebantur in Conciliis.

§ II. *Christus terrenum Regimen non erexit.* — Christus Rex Princepsque terrenus non erat; neque regimen terrenum in Ecclesia erexit. Discipulos suos Principes Mundi, Rectores Provinciarum, Judices Comitatuum minime constituit[1]). Verum prout ipse erat Doctor, ita illos emisit ad docendum, non vero ad regnandum, uti ipse indicavit Mat. XX. 25. 26. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos major fieri sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus. Non ergo Christus constituit in Ecclesia cum potestate Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, et alias Personas Ecclesiasticas variis titulis insignes, prouti demum ea nomina cum officiis in Ecclesiam sunt invecta. Alibi ergo Regiminis et Jurisdictionis origo quaerenda est.

§ III. *Origo Regiminis Ecclesiast.* — Controversiae nimirum oriebantur inter Christianos de rebus ad fidem et mores pertinentibus, ad quas commode decidendas necesse erat Ecclesiae membris convenire in unum. At cum tota in hunc finem Ecclesia convenire non posset, controversiae committebantur Ecclesiae Doctoribus veluti doctioribus decidendae, qui juxta cum aliis in unum coeuntes dirimebant controversias, non vi sed consilio usi. E. gr. Antiochiae inter discipulos controversia orta erat: An circumcisio sit necessaria ad salutem? Quam ubi decidere non

---

[1]) Confer Puffendorf. de Habitu Religionis C. § XV. et sq.

valerent, placuit Paullum et Barnabam Hierosolymam mittendos, ubi praesentes adhuc quidam erant ex Apostolis et aderat Ecclesia a Christo ac Apostolis collecta. Congregati Seniores ac Apostoli de materia controversa in mediumque prolata consultabant, ac ex communi tandem voto sententiam quam optimam censebant proposuerunt, non imponentes vi ac mandato, sed suadentes hoc stilo: si haec sequamini benefeceritis Act. XV:1—32.

§ IV. *Synodorum forma ex Judaeorum consuetudine orta est.* — Synodum suam Christiani conformabant Hebraeorum Synedriis, ex quibus etiam ipsi majori de parte constabant. Quemadmodum igitur inter Hebraeos erat Praeses Synedrii, ita etiam Christiani voto communi unum ex senioribus praeficiebant qui successu temporis dictus est Episcopus[1]). Alias tam Presbyter, quam Episcopus seculis prioribus unius erant ordinis Doctores, sed cum tempore Praeses Synodi dicebatur Episcopus. Cui facile caeteri Presbyteri ac Ministri potestatem quandam concedebant, ut tanto alacrius adversus haereses et haereticos invigilaret. Cujus veluti peritioris consilio utebantur in difficultatibus suis enodandis. Talem primarium Presbyterum ex Hebraeorum consuetudine, apud quos in Synedrio Praeses erat summus sacerdos, dicebant stilo tralatitio Summum Sacerdotem[2]), seriore tandem tempore stilo Romano Pontificem. Praecipuus autem ille habebatur, qui aetate grandior, doctrina illustrior et cujus Ecclesia ratione Civitatis erat celebrior. Civitates tales erant Hierosolyma, Antiochia, Roma, Alexandria, Constantinopolis, quarum Presbyteri cum tempore et nominatiores evaserunt et Patriarchae dicebantur. Officium eorum erat, Populum erudire ac attendere Ecclesiis ne haereses oriantur ac serpant, dirrigant ea, quae in Ecclesiis occurrunt, ut ordine omnia fluant. Constantinus Imp. factus Christianus aliquam concessit Jurisdictionem Episcopis ad res Ecclesiae moderandas ac dirigendas[3]). Qui illum excipiebant Imperatores plusculum[4]) confirmati tandem in statu ipsi sibi tribuebant potestatem, dirrigendi non solum res Ecclesiasticas, sed etiam Politicas.

§ V. *Synodos convocabant Imperatores. — Nomina Episcopi et Superintendentis.* — Arii in Alexandria exoriente haeresi, Constantinus convocavit Episcopos sive Praesides Ecclesiarum, ut materiam bene ruminantes secundum verbum Dei ferrent judicium. Interfuit etiam ipse Imperator ac moderabatur Concilium Nicaeae anno 325. Rursum cum Macedonius

---

[1]) Boehmer Dissert. III de Jure Ecclesiast. p. 218.

[2]) Boehmer ll. cc. ss. LXV p. 204. Diss. VII. § VIII, p. 398. De origine Synodorum cap IV ad Schilterum.

[3]) Boehmer in Jure Eccl. Protest Tom. I. Lib. I. Tit. XXXI § XXXII. Hormus ad Schilteri Institutiones, Lib. I. Tit. V. p. 34.

[4]) Boehmer ll. cc. § XXXII.

Pneumatomachus haeresin in Ecclesiam inducere vellet, Theodosius Imp. anno 381 Constantinopolim convocavit Episcopos, Chalcedonem Marcianus cum Pulcheria anno 451, Franckfurtum Carolus Magnus an. 794, in quo adversus cultum imaginum concludebatur. In Hungaria an. 1092 Rex Ladislaus praesidebat Episcoporum ac Clericorum Synodo [1]).

Seculo XVIto cum sacris mutatis nomina quaedam et ritus sunt immutata; nomen Episcopi transformatum in Superattendentis, quibusdam vero in locis conservatum. In Regionibus nonnullis utroque relicto Presbyterium est constitutum, cujus nutu res Ecclesiae regerentur; ita in Helvetia, Belgio et ex parte in Anglia. Nomen Episcopi retentum in Dania, Suecia, in potioribus Britanniae partibus; verum Potestas Politica, quae per accidens adhaeserat, dempta est ac restricta ad jurisdictionem Ecclesiasticam ac Ecclesiarum inspectionem. Usurparunt in Germania Superintendentis potius quam Episcopi titulum, quod ipsum faciebant etiam Reformati in Hungaria ac Transylvania; officium vero ejus restringebatur ad verbum Dei praedicandum, Ecclesiarum curam ac inspectionem.

§ VI. *Erdödiensis Synodus.* — Qui, ubi et quando ad hoc officium designati? ubi primum Synodi ab initio Reformationis celebratae ad res Ecclesiarum bono ordine gubernandas? Pauca ad nos antiquitatis monumenta devenerunt, multa tempus edax abolevit, plura furor belli abstulit, plurima Praedecessorum tumulavit negligentia. Synodos tamen, quarum memoria superavit oblivionem et vestigia aliqua apparent a primo Reformationis tempore in negotio Religionis habitas, secundum seriem annorum, breviter sum daturus.

In Ecclesia ut omnia ordine et decenter fluerent necesse erat Typum Confessionis publicare, ex quo et infirmiores adverterent quid sequendum, quid fugiendum esset, cernerent etiam adversarii, in quo eorum consisteret Religio. Convocata est Synodus Erdödinum in Possessionem Magnifici Casparis Drágfi anno 1545, 20 Septembris, ubi praeter Politicos cujusvis ordinis et Magnates praesentes erant Evangelii Ministri viginti novem sequentes: Stephanus Kopátsi, Basilius Szekely, Johannes Kalotsai, Demetrius Thordai, Andreas Batizi, Bernhardus Börvei, Jacobus Thuri, Georgius Vátzi, Stephanus Babotsai, Nicolaus Gyulai, Johannes Bathmozei, Basilius Ilosvai, Johannes Etsedi, Ambrosius Tzeglédi, Dominicus Batizi, Mathaeus Felnémeti, Michael Tsehi, Clemens Berkeszi, Nicolaus Devai, Thomas Huszti, Petrus Egri, Martinus Dési, Johannes Szakazi, Franciscus Mohi, Michael Debretzeni, Johannes Miskoltzi, Johannes Katzoni, Dominicus Szádai, Laurentius Batizi. Qui ediderunt in Synodo sequentes articulos [2]):

---

[1]) In initio Decret. S. Ladisl.

[2]) Ex Hist. Ecc. Mss. Georg Haneri Superattendentis quondam Luth. in Transylvania, et Protocolo Georgii Pöldner Decani Capit. Kordensis Mssto.

„Deus optimus Maximus voluit congressus hominum fieri, ut in eorum coetu ipse cum Filio suo unigenito et Spiritu S. celebretur. Ideo cum nos quoque Dei beneficio convenerimus, cupimus quantum in nobis est coram Mundo gloriam ejus promovere.

Art. I. *Deus trinus in unitate.* Imprimis itaque confitemur unum Deum in Trinitate et trinum in unitate juxta sententiam orthodoxorum Patrum. At damnamus omnes aliter sentientes, et praesertim eos qui dicunt, nos ex uno Deo fingere tres Deos. Ac tales quidem cupimus prohibere, ut gloria sanctae Trinitatis maneat.

II. *Jesus Deus, homo, unus Mediator.* — Item confitemur Dominum Jesum verum Deum et verum hominem esse, verum Sacerdotem et unicum Mediatorem nostrum inter Deum Patrem et nos homines peccatores, Eumque naturae esse duplicis. Damnamus itaque eos, qui sanctos carne exutos constituunt Mediatores et gloriam Mediatoris Christi transferunt in Sanctos.

III. *Justificatio gratuita.* — Justificationem, h. e. remissionem peccatorum conjunctam cum donatione Spiritus Sancti, et acceptionem ad vitam aeternam confitemur gratis contingere hominibus fide apprehendentibus misericordiam Dei propter meritum Christi. Damnamus vero homines justitiarios, qui operibus, jejuniis, peregrinationibus, fraternitatibus Religiosorum tribuunt justificationem.

IV. *Fides justificat.* — Fidem intelligimus esse donum Dei et cum dicimus fide justificari hominem, intelligimus Fidem, non tantum Historiae notitiam, verum et Fiduciam, qua apprehendimus misericordiam Dei et acquiescimus in Filio Dei. Damnamus eos, qui fidem dicunt humanis viribus acquiri et eam intelligunt esse tantum Historiae notitiam.

V. *Bona opera necessaria.* — Etsi autem bonis operibus non tribuimus justificationem quae solius fidei est, tamen ea dicimus esse neces saria et requiri a renatis; arbor enim bona fructus bonos facit. Requiruntur enim bona opera propter tres causas. 1°. Propter mandatum et gloriam Dei. 2°. Propter aedificationem proximi. 3°. Ut fidem nostram bonis operibus testemur, exerceamus et vocationem nostram recte faciamus. Damnamus eos, qui bonis operibus tribuunt Justificationem et Hypocritas, qui nec vitam emendare nec fidem bonis operibus declarare volunt, qui tantum titulo tenus professores Christi se profitentur.

VI. *Baptismus, Coena Domini tollunt peccata.* — In administratione sacramentorum Baptismi et Coenae Dominicae sequimur institutionem Christi et Primitivae Ecclesiae, et confitemur, per Baptismum tolli omnia peccata et gloriam Dei offerri, et in Coena Domini sub pane et vino vere exhiberi corpus et sanguinem Christi. Volumus autem ut Christi institutio in utroque Sacramento nativo sermone, ea qua licet reverentia, in omnibus Ecclesiis uno ritu eademque forma peragatur et admini-

stretur. Damnamus qui extenuant originale peccatum, et eos qui asserunt infantes non esse baptizandos. Damnamus item violatores institutionis Christi et profanatores coenae Dominicae in horrendas nundinationes et abominationes Missarum verterunt. Item damnamus omnes blasphemos, qui hanc institutionem Christi, quae est in nostris Ecclesiis, vocant Missam Diabolicam. Ideo Petrus hanc blasphemiam tolli et tales blasphemos coerceri jubet.

VII. Sanctos carne exutos colimus honore imitationis, h. e. fiduciam cordis non ponimus in illis nec eorum auxilium imploramus; imitamur autem eorum fidem, ac bona opera vocationis et charitatis. Laudamus Deum in sanctis et agimus gratias ei, quod ostenderit exempla misericordiae et fidei. Laudamus enim ipsos sanctos, quod donis Dei pie usi sint ad aedificationem Ecclesiae et bonis operibus praeluxerint. Damnamus eos qui fiduciam Christo debitam transferunt in sanctos et eos invocant.

VIII. Fatemur quatuor gradus Christianae libertatis.

Primo. Quod simus liberi propter Christum ab ira Dei, a damnatione legis, peccati et aeterna morte. Secundo. In mundi periculis nos donari Sp. Sancto et sustentari in omnibus aerumnis, ne victi afflictionis magnitudine deficiamus ab Evangelio. Tertio. Quod attinet ad justificationem, ab omnibus legis operibus nos esse liberatos; quod vero attinet ad obedientiam, a moralibus non esse liberatos. Quarto. Ab omnibus Mundi traditionibus, ritibus et constitutionibus Episcoporum quae ut laqueos conscientiarum requirunt ac si esset necessarius cultus, nos esse liberos. Caeterum boni ordinis causa eorum ritus in pietate Christiana observari posse, qui immediate requiruntur ut cultus necessarius. Hos in Christiana libertate censemus esse servandos.

IX. Asserimus triplicem Confessionem, Divinam, Fraternam et Auricularem. Caeterum divinam et fraternam dicimus esse juris divini, auricularem non item. Etsi autem non requirimus in auriculari confessione enumerationem peccatorum, partim propter impossibilitatem, partim propter laqueum conscientiarum, tamen in Ecclesia retinendam esse propter triplicem censemus utilitatem: Doctrinam, Consolationem et Absolutionem, nec secus aliquem ad Communionem admittimus [1]).

X. Adversarii nostri nos calumniantur, nos esse sine capite, Principe et ordine. Verum nos fatemur, Christum esse caput vere Ecclesiae, cujus nos membra esse credimus. Principes item et Politicos Magistratus honoramus et eorum officium amamus Verbo Dei et obedientia in rebus quae non laedunt gloriam Dei. Nec sine ordine sumus. Est enim certus ordo Pastorum, Ministrorum et Auditorum juxta illud: Alios dedit Apostolos,

---

[1]) Post aliquot annos melius edocti sustulerunt velut institutionis humanae ritum.

Pastores et Doctores, ne circumferantur quovis vento doctrinae. Et si autem in Hymnis et Cantionibus Ecclesiasticis non ubique eundem ordinem observamus, tamen in Doctrina, Absolutione et Sacramentorum administratione, unum ordinem eundemque ritum observamus. Nec in Feriis in hac Provincia celebrandis multum discrepamus, ideo sine causa ab adversariis damnamur et calumniamur.

XI. Adversarii nostri calumniantur nos ab ordinaria successione Episcoporum abscedere. Nos id non sine mandato Dei fecimus. Quoties enim lux Evangelii in successione ordinaria extinguitur, necesse est aliam doctrinam quaeri, sicut dicitur: si quis aliud Evangelium docet, Anathema sit. Igitur testamur Deum nos libenter audire velle Episcopos et illis obedientiam praestare, si modo non discederent ab Evangelio. Sed cum et puram doctrinam depravaverint et legitimam Sacramentorum administrationem profanaverint, oportet nos magis Deo, quam hominibus obedire. Itaque damnamus eos, qui Ecclesiam alligant ad ordinariam successionem Episcoporum, quasi ipsi jure divino antecellant caeteris Ministris Evangelii et quasi Ecclesia sit humana Politia. Item damnamus et eos, qui dicunt nullam esse ordinationem, nullum Ministerium, nullam Rempublicam apud eos, qui non habent Episcopos ordinaria successione regentes, cum Ecclesia non sit ordinata ad certum locum, aut certam personarum successionem, sicuti Christus clare inquit, cum dicit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Item: Regnum Dei non venit cum observatione sed Ecclesia Dei tantum ad verbum Dei est alligata.

XII. In reliquis articulis consentimus cum Ecclesia vera, sicut patet in Confessione Fidei Augustae exhibita invictissimo Caesari Carolo Vto semper Augusto." Hactenus conclusa Synodi. Cum in Articulo ultimo allegent Augustanam Confessionem Ministri Reformati, palam est, eam quae Augustae in Comitiis recitata est anno 1530 receperant Hungari: et merito prout Melanchthon edidit pro symbolico haberi potuit[1]). Quod vero tandem remissius habita sit, factum est propter materiam de Coena Domini, de qua perpetuo litigabant.

§ VII. *Synodus Temesvarensis.* — Synodus anno 1549 celebrata Temesvarini Ministrorum Reformatorum ubi Morum Regulas proponebant, ut doctrina per Dei gratiam in melius mutata conformarentur etiam mores, ut Fidei consonarent acta. Quapropter tredecim ediderunt articulos de vita Ministrorum, officiis ac vestitu decenti. Rursum sequenti anno 1550 ibidem loci Synodo coacta decem et novem conscripserunt articulos, quibus se conformaret Episcopus in Ecclesiis visitandis ac earum

---

[1]) Conferri ptt. Diss. S. Borosnyai de Libris Ref. Ecclesiae Symbolicis ed. 1745.

regimine [2]). Unde liquet tempestive initio adhuc Reformationis Ecclesiae Hungaricae sunt in certas series dioeceses seniorium ac superintendentium dispositae, sed quo anno id contigit incertum manet. Temesvarini florebat Reformatio sub cura Comitis ejus loci Petri Petrovitzii, qui Stephanum Kis Szegedinum SS. Th. Doctorem Ecclesiae et Scholae tunc florentis Rectorem constituerat. Tandem sub tumultu Turcico Hungari inde penetrarunt in penitiores Hungariae partes.

§ VIII. *Synodus Beregszaszini.* — Anno 1552 Beregszászinum Synodo indicta convenerunt ad difficultates enodandas ex V. D. Ministris praecipui, ex quibus memoria conservata est: Martini Kalmantschi, Basilii Radan, Basilii Tolnai, Michaelis Batizi, Clementis Bátsi, Laurentii Tsutsi, Lucae Kallai, Francisci Tutátsi, Petri Szölösi, Basilii Széki, Pauli Szemere, Thomae Dési, Johannis Türei, Valentini Dési, Caspari Pesti, Pelbardi Rectoris Beregszásziensis. Hic 1) Confessio vera de sacra coena in superioribus exhibita roborata est; 2) Auricularis Confessio rejecta et publica peccatorum confessio sancita est; 3) Disputatum de Altaribus et deliberatum: In quibus locis invalescente dietim Reformatione Altaria jam destructa et e Templis ejecta sunt, non debere amplius ea restaurari, ubi vero adhuc in Templis visuntur posse Ministros loco mensae (ad tempus) iis uti occasione administrationis sacrae coenae. Doctrina caeteroquin puriori de Sacra Coena Missae Pontificiae adversa, sarta, salva manente. 4) Praeterea de stipendio Ministrorum praecipue ubi Patroni desunt et alias pauciores Auditores iique pauperculi Ministro alendo non sufficiunt, deliberatum, unde istud petendum et Ministro laboranti subveniendum sit [3]).

§ IX. *Synodus Ovarini.* — Ovarini in Possessione Dragfiana anno 1554 rursus Synodus coivit, in quam convenerunt magno numero tam Ecclesiastici quam Politici. Tractabant vero de sacra coena ac praecipue quaestiones ad ritus et ceremonias pertinentes deliberabantque: 1 Panem in Eucharistia retinendum esse azymum. 2 Absolutionem privatam observari posse, ut conscientiis terrefactis consulatur et scandala tollantur. 3 Tabularum pictarum et Altarium e Templo amolitionem officium esse Magistratus, non Ministrorum, nisi illis a Magistratu committatur. 4 Susceptores in Baptismo infantum sunt necessarii et propter orationem, sed praecipue ut consulatur conscientiis baptizatorum jam adultorum. 5 Introductio Mulierum post partum servanda est, ut de pietate recte admoneantur. 6 Matrimonialis copula juramento est firmanda, ut certior sit eorum conjunctio. 7 Dies festi jam recepti sunt observandi ut Populus voluntatem Dei rectius edoceatur. 8 Superintendentes et Praelatos esse

---

[2]) Papai in RR. ad an. 1549. Hist. Ref. pag. 97—99.
[3]) Hist. Refor. pag. 104. Papai in R. R. ad an. 1552.

constituendos, propter consensum in doctrina et cerimoniis retinendis et propter honestam disciplinam &c. Synodo interfuerunt praeter alios Demetrius Tordaí, qui ibidem in Superintendentem electus est, Sebastianus Karoli Minister Szászvárosiensis, Christophorus Lippai, Emericus Gyulai, Matthias Tovissi, Johannes Mediomontanus, Michael Horvath, Ladislaus Milletzianus [1]).

§ X. *Synodus Erdödini* 1555. — Erdödini sub tutela illustris viri Georgii Bathori Synodus anno 1555 die 24 Febr. celebrata: in qua praeteritarum synodorum conclusa, articulis copiose comprehensa et confirmata sunt, ne errantes turbare Ecclesiae unitatem possint. Articulis sequentia praemittunt:

„Praecipua reverentia post Deum O. M. et verbum Dei debetur Ecclesiae, quam Deus Pater coelestis ita dilexit, ut filium suum unigenitum pro ea victimam esse voluerit quamque donat et exornat Sp. S. et in qua celebrari vult a nunc et usque in vitam aeternam. Haec ante secula multis donis ornata est. Habet enim Filium Dei Salvatorem, Mediatorem et Justificatorem, habet Evangelium Sp. S. Gubernatorem; habet Ministerium per Patres, Prophetas et per Christum et Apostolos propagatum. Habet Pastores et jus eligendi, vocandi et ordinandi Ministros ad propagationem et conservationem Evangelii. Habet dona excellentia, intellectum et interpraetationem Doctrinae divinitus traditae quae est arcana sapientia, aliena a judicio rationis, instruens de Dei voluntate erga genus humanum, et omnes suos, sicut dicitur: Dedit alios Apostolos, alios Prophetas &c. Habet et administrationem Sacramentorum et suam quandam Jurisdictionem et sua judicia sed secundum authoritatem verbi divini ex scriptis Prophetarum et Apostolorum nobis propositis. Quare tenenda semper haec est Regula: Major est authoritas verbi Dei, quam ullius hominis, ullorum Episcoporum, ullarum Synodorum, aut totius etiam Ecclesiae. Haec est summa sententiae Patrum in Ecclesia. Quisquis vero ab Ecclesia se separaverit, hoc solo scelere, quod a Christi unitate sejunctus sit, non habet vitam aeternam, sed ira Dei manet super eum.

Art. I. De officio Pastorum.

Ut autem officium Pastorum in Ecclesia planius conspiciatur, idonei ad ministeria publica adsumantur, qui bene praeesse sciant, habentes legitimam vocationem: qui enim bene praesunt, duplici honore digni habentur. A converso, qui male praesunt, duplici confusione digni judicantur. Habeantque aliquod scriptum testimonium a Superintendente

[1]) Haner Eccl. Hist. pag. 224. Item ex Msst.

et Symmystis datum; ne citra illud inter homines de non legitima electione, vocatione, ordinatione et emissione videatur oriri dubium. Volumen autem Bibliorum manibus tractent diu noctuque sicut Paulus monet, et Textum illius quantum fieri potest faciant sibi familiarem; sintque in discendo et docendo diligentissimi et utramque totius Scripturae partem videlicet Legem et Evangelium recte sciant. Verbum Dei ut Paulus monet Populo tradant juxta praeceptum Christi, ita ut sanam habeant formam verborum: cujus finis sit ea, quae verae fidei et charitatis sint, rejectis inutilibus fabulis et quaestionibus curiosis, sedulo inculcare, quemadmodum Apostolus docet, quod finis praecepti sit charitas ex corde puro, conscientia bona ex fide non ficta.

Art. II. De Sacramentis.

Sacramenta in Evangelio recens a Christo instituta rite ubique administrent Ecclesiarum Rectores.

III. Art. De Coena Domini.

Christus Dominus noster inquit: Accipite, manducate. Hoc est corpus meum. Et dicit: Bibite, hic est Sanguis meus N. T. Ideo fatemur in Coena Domini vere et realiter Corpus et Sanguinem Jesu Christi adesse et cum pane et vino exhiberi sumentibus[1]) docemusque, sancta et religiosa simplicitate, repudiatis omnibus fanaticorum perversorum opinionibus, in Sacramento duo esse consideranda: unum elementum terrenum, Panem scilicet et Vinum; alterum coeleste, scilicet verum corpus et sanguinem Christi Domini, quae pro nobis in cruce oblata amicitiam Dei recuperarunt, ut nos membra et cohaeredes Christi, participesque vitae aeternae et omnium bonorum Christi interveniente fide et intus Sp. sancto operante efficiamur. Quare verba Irenaei inter articulos anni superioris in Ovár posita sunt: nec docemus fieri transubstantiationem (ut scholastici vocant) seu abjicere substantiam panis, quasi ibi essent accidentia sine subjecto panis, sed sequimur multorum sanctorum Patrum firma et perspicua testimonia de reali praesentia corporis et sanguinis Domini et efficacia ejusmodi in cordibus credentium.

IV. Art. De Absolutione in Confessione.

Nemo admittatur ad sacram Synaxim nisi prius exploratus et absolutus sit a Pastore vel Diacono publice vel privatim. Ubi multi petunt consilia et de certis casibus plures erudiuntur, si qui vero sint male morati arceantur a communione. Hic autem Pastor admoneat Magistra-

---

[1]) Clarius sq. annis mentem aperuerunt; hic plures Discipuli Melanchthonis erant.

tum sui officii. Si quis profanus nolit omnino accedere ad communionem, admoneatur primum, cum non obtemperat, tandem vituperetur in publica concione et habeatur tanquam excommunicatus. Verum id fraterno fiat animo, non odio privato, ut caeteri timorem habeant.

V. Art. De privata Absolutione.

Constat privatam Absolutionem in nostris Ecclesiis defendi propter Confessionem Ecclesiasticam Pastorum. Ideo singuli penitentes et confessuri peccata sua accedant ad Pastores seu Diaconos, a quibus non gravatim debent exaudiri et ab eisdem explorari, institui increparique (si necessarium videbitur) de commissis flagitiis; interim tamen ne injiciantur laquei piis et perterrefactis conscientiis. Item ne confirmentur errores ex scrupulosa et impossibili enumeratione peccatorum orti. Nolumus enim onerare conscientias Lege Pontificiali aut Monachali postulante enumerationem seu omnium seu paucorum delictorum, tanquam necessariam.

VI. Art. De Disciplina Ecclesiastica.

Nemo sanus non videt, quam haec sit necessaria in Ecclesia, consistit enim unitas Ecclesiae in hac consociatione sub uno capite Christo, per idem Evangelium et idem Ministerium eandemque solidam veritatem, cui debetur obedientia juxta illud: Qui vos audit me audit. Ut retineatur unitas fidei et similis usus sacramentorum et disciplina mandata in Evangelio, sola enim Disciplina est, ut docet Cyprianus, qua communiter vel privatim in Ecclesia vinciuntur et ligantur et coërcentur sontes ad proximorum utilitatem; quam sectari salubre, negligere vero lethale sciamus. Haec est quam Paulus Apostolus Timotheo et Tito scribit, Episcopis, ut norint, quomodo eos oporteat in Domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum Veritatis. Eos qui peccant coram omnibus argue, ut caeteri timorem habeant. Nam et ego inquit Hymenaeum et Alexandrum, qui contra fidem naufragium fecerunt tradidi Satanae, i. e. excommunicavi ut ipsi una cum Ecclesia discant non blasphemare. Itaque Pastoribus animarum sedulo est invigilandum ut vita ac mores eorum sua professione digni sint, juxta Praeceptum Christi et Apostolorum, ut non tantum doctrina sed et vita populum instituant, ne quos sermone aedificant destruant exemplo. Quam autem id non fiat passim perspicuum est, cum nonnulli non invigilent, neque curis macerentur Ecclesiasticis, sed passim securi et quieti in quotidianis fabulis et hominum consessibus sint. Hinc Pastoris disciplina neglecta Ecclesiae ruina esse dignoscitur.

VII. Art. De Pastorum Vita.

Ministri Ecclesiae cum gaudeant appellari, videant ut celebre sanctumque hoc nomen mansuetudine, tollerantia, cura, sollicitudine, animi tranquilitate, sustinentia, sobrietate, hospitalitate ac tota cyclopaedia omnium virtutum meliorum illustrare studeant. Et cum omnibus hominibus quantum fieri poterit in pace vivant, nec se implicent aut immergant curis hujus seculi, nec negotiationibus, compotationibus, aut aliis indignis quaestibus. Est enim per se quaestus magnus ipsa Pietas, si quis mediocribus sit contentus. Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec efferre quicquam possumus. Sed habentes vestes et alimenta, quibus utamur, his contenti simus. Contineant igitur sese Ecclesiarum Pastores cum suis ministris intra metas legitimae vocationis suae, ut quaerant potius illud, quomodo Regnum Dei et justitia ejus possit amplificari juxta consilium et praeceptum Christi et non affligant animos cura diei. Nam sufficit diei venturo sua afflictio et juxta illud Apostoli: Nemo militans Deo, implicet sese curis secularibus.

VIII. Art. Ejusdem tenoris.

Praecones verbi Dei omnino caveant tabernas, nec ipsi habeant. Si enim tabernas ingredi prohibentur, ut in Decreto Gratiani patet, quanto magis his, qui aliis ministrant in eis. Imo caveant ne nuptias quidem ob compotationes et alias scurilitates cavendas frequentent a muliercularum symposio, ubi vel visus aut auditus eorum turpium spectaculorum et verborum contagione pollui possunt, quo ipso poenam depositionis incurrant Dist. 34, 35, 44.

IX. Art. De Conjugio Sacerdotum.

Quid de conjugio sacrae Literae tradant satis perspicuum est. Qui se continere nequeunt, contrahant in nomine et timore Domini Matrimonium. Nam satius est Matrimonium contrahere quam in corde uri, et oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris Maritum. Itidem Ecclesiae Ministros decet esse compositos, una cum uxoribus eorum. Diaconi quoque sint unius uxoris Mariti, qui liberis recte praesint et propriis familiis. Si quis propriae domui praeesse non novit, quomodo Ecclesiam Dei curabit. Unum caveant sacerdotes, qui celibes vivere nequeunt diligenter, ne infamem aliquam Personam, sed aut virginem castam aut viduam honestam ducant in uxorem. Nimios autem luxus tam in proprio, quam in uxorum aut liberorum suorum vestitu vitent, habeantque et ipsi et conjuges ipsorum vestes honestas, nec incurvatas mitras more Moabitarum aut Mahometistarum, quemadmodum nostro aevo quosdam hanc spurcitiem indecore ethnicas Aulas imitantes

gestare videmus. Ne propter haec Nomen Dei in talibus vituperetur. Item videant diligenter ne eorum conjuges sint curiosae, procaces, garrulae, mendaces, spermologae aut sumptuosae, sed potius ut decet mulieres profitentes pietatem per bona opera, discantque in silentio praestare obedientiam suis Maritis, uti Dominis suis cum omni subjectione. Nam divus Paulus non permittit mulieribus ex authoritate Dei, authoritatem usurpare in viros.

X. Art. De Officio Pastorum.

Item ut verbum Dei sine ullius contumelia et absque contentione spargant, scelera accusent et corripiant moderate juxta Pauli sententiam. Odium privatum caveant et pro Personarum ratione et delictorum gravitate utantur severitate prophetica et apostolica. Ab omni prorsus errore caveant, falsam doctrinam arguant, sanae vero doctrinae tenaces adhaerescant. Caveat item quilibet, ne falcem in alienam messem immittat secundum veterum Canonum instituta, alias in articulis his Ecclesiasticis signata.

XI. Art. De Casibus Matrimonialibus.

In casu Matrimoniali inter Plebeos homines observent Pastores sedulo consensum et aetatem, et pervestigare studeant statum de gradu sanguinitatis. Imo nec ulli ducant virginem infra annos 14 et hoc antequam celebrent bis aut ter in concionibus promulgando. Confirmatio autem nuptiarum fiat praesente Ecclesia decenter, non clandestine. Caveant etiam, ne dissimiles personae conjungantur, nec prius ulla vota fiant sponsalia, quam a bonis et honestis civibus juxta Legem et authoritatem ipsorum transigantur. Item in Casibus Matrimonialibus nemo temere quid pronuntiare audeat posthac, sed omnes causas divortii proroget ad judicium futurae Synodi.

XII. Art. De obedientia Magistratui debita.

Cum obedientia sit praestantior victima, Magistratui superiori praestent omnes Ministri obedientiam in omnibus ad gloriam Dei et proximi aedificationem spectantibus; correctionem, promissionem increpationemque pro crimine notabili a Superintendente benigne fieri admittant et non adversentur, ne vitare volentes Scyllam incidant in Charybdim.

Art. XIII. De Mutatione Loci Pastorum.

Placuit fratribus ne posthac liceat Ministris sine consensu seniorum vel ingredi in Parochiam quamcunque, quam ex Legitima vocatione et Providentia Dei assumpsit.

XIV. De Pastorum Proventibus.

Et quoniam dignus est operarius mercede sua et ipsis Ministris Ecclesiarum sua stipendia seu salaria sunt legitimo jure reddenda, ne egentes in suo munere tepescant. Quare nisi Praedecessori integre reddatur in aliqua Parochia merces sui habiti laboris, alius Ministrorum non succedat. Aliter transgressor incurret in sententiam Synodi gravem.

XV. De Cerimoniis Ecclesiae.

Providendum est etiam, ut in Ecclesia nil, neque in precibus neque in Hymnis neque Lectionibus neque prosis, quam in Sacris canonicis et receptis authoribus depositum est recipiatur. Item ut soliti ritus externi, qui ad pietatem, honestatem, ordinem et tranquilitatem Ecclesiae faciunt, observentur. Neque domesticas res aut profanas tractent aut domi tractari permittant Ministri cum cerimoniae Ecclesiasticae tractantur in Templis ut una Psallentes, jugibus laudibus Deus glorificetur; tempus enim est laborandi, edendi, bibendi, tempus tractandi sacra.

XVI. Art. De Fraterna Charitate.

Charitas non quaerit quae sua sunt, sed quae alterius: videant itaque omnes Ecclesiae Ministri, ne per invidiam derideant, detrahant, aut derogent rudioribus doctiores, item ne se superciliose efferant, aut quovismodo extenuent et conculcent, spernendo rudiores. Nam si juxta dictum Apostoli invicem mordebunt, ab invicem consumentur.

XVII. Art. Convenit cum superioribus.

Edictum est Principis Nostri, quod ab Ecclesiae authoritate manare videtur, ne quisquam posthac audeat quicquam in suae Magnificentissimae Dominationis Ecclesia quacunque in consuetis et legitimis ritibus innovare, mutare, figere et refigere non interrogatis a consentientibus desuper Majoribus aut non relata quaestione ad Synodum. Quod autem mutatio facta fuerit ovarii * in administratione Coenae Domini destructo Altari et posita Mensa non interrogato desuper Principe, in cujus authoritate id faciendum fuerat, Ecclesia nostra id vehementer improbat, et magnam culpam tribuit authori novationis ejusmodi, tametsi M. D. Princeps noster modum ultionis mitigaverit Heroica quadam *Επιεικεια,* tamen hanc temeritatem novationis nullibi locorum in sua ditione posthac fieri permittet [1]). Ea sententia est seniorum: ut a Capite ordinentur omnia, quae rite fieri debeant, et ut detur opera, ne in doctrina et

---

[1]) Princeps hic fuit Gabriel de Peren Fil. P. qui eo titulo tum utebatur.
* Oviarii (? Ed.)

essentialibus fidei sint dissensiones, quae ubi fiunt maxime sunt periculosae; de Cerimoniis vero minus est contendendum, quae non possunt quidem ubique esse similes. Cumque nostra Ecclesia jam pridem in certum ordinem redacta sit, non facile concesserimus, hunc deinceps ordinem nobis ullo modo turbari, cum majori scandalo, quam si retineatur. Tenebimus contra Regulam: Inordinata cedant ordinatis: non ordinata ordinatis.

XVIII. De Visitationibus.

Postremo ut haec in perpetuo usu retineantur habendae sunt singulis annis suis etiam aptis et convenientibus temporibus visitationes et congregationes, in quibus de istis omnibus diligens investigatio fiat. Item et gradatim et secundum veteres Canones de causis Ecclesiasticis, ordine et rite cognoscatur. Qui autem contumaces esse perrexerint juxta priscam Canonum Auctoritatem ad proximam usque congregationem a charitate fraterna et Ecclesia arceantur, nisi prius sequenti fuerint absoluti congregatione.

XIX. De Scandalosis in Doctrina et Vita.

Statuit communitas et* omnes quotquot in hac Ditione Ecclesiastica vel de falso Dogmate vel de turpi vita fuerint accusati, vocentur et sistantur ad reddendam rationem suae doctrinae et vitae. Quod si secus facere praesumpserint, officio priventur Ecclesiastico.

XX. De Ordinatione Ministrorum.

Summa cura adhibenda est Pastoribus ne juxta doctrinam Pauli cuiquam cito manus imponant. Sed viros constituant boni testimonii, plenos S. sancto et sapientia, non ad otium sed ad opus Ministerii. Quare maxime probanda est veteris Ecclesiae consuetudo, ut ordinandi prius explorentur ad suscipiendum Ministerium verbi et distributionem Sacramentorum. Hanc difficilem curam Ecclesiae valde necessariam optandum est suscipere aliquos ut tali ministerio caeterae Ecclesiae conserventur. Item volumus ut in Ecclesiis nostris Catechismus exerceatur per Diaconos seu Ministros Ecclesiae, ita tamen, ut Pastor advigilet quomodo doceantur rudiores et post examen et professionem explorandorum ibidem per praesentes et precationem pro pueris catechizandis et erudiendis [1]).

§ XI. *Tsengerini Synodus.* — Tsengerini anno 1557 celebrata est Synodus V. D. Ministrorum, ubi confessio celebris saepius tandem in Patria et Genevae recusa, edita est. Articuli cum uberiori declaratione exstant

---

[1]) Ex Mss. Communicatis a Venerando Georg Pöldner Decano Kozdensi.
* Ut (Ed.)

sub his titulis. 1. De uno solo Deo qui est Pater et Filius & S. Sanctus. 2. De Unigenito Dei Filio ab aeterno. 3. De Spiritu Sancto vero et solo Deo Domino subsistente et in se vitam habente. 4. De vocabulis et phrasibus quibus utitur Sp. Sanctus de Deo per Prophetas et Apostolos. 5. De Regulis explicantibus phrases loquendi de Deo. 6. De Lege et Evangelio in Ecclesia. 7. De Ritibus et Sacramentis Ecclesiae, de Baptismo infantum et de coena Domini. 8. De libertate Christiana et de locis conventus Ecclesiae. 9. De Aprosopolepsia in Deo, dum hos salvat, alios indurat. 10. De causa peccati, de Mediatore filio Dei. 11. De tollendis falsis Haereticis et Antichristis [1]). Simul cum aliis Confessionibus anno 1612 Genevae publicata est.

§ XII. *Synodus Claudiopoli.* — Claudiopoli eodem anno fuit Synodus Ministrorum, in qua de Coena Domini tractabant et confessionem suam de isto articulo Philippo Melanchthoni Vittebergam transmiserunt in haec verba:

Sentimus et fatemur secundum institutionem Christi Coenam Domini esse actionem certi generis sanctissimam et gravissimam quam ipse Filius Dei omnis sapientiae Largitor et Auctor ex inenarrabili amore erga genus humanum, valedicens nobis instituit et ordinavit. In qua actione manducatione Panis et sumptione Vini simul nobis exhibet atque impertit, juxta formam Testamenti corpus illud quod pro salute generis humani acerbissimos cruciatus sustinuit, et sanguinem, quem pro nobis effudit in cruce. Haec autem dictio instituta est ab ipso Christo, ut utentibus in memoriam revocet magnifica et salutaria beneficia, quae ipse humano generi praestitit, et exsuscitet in nobis fidem, invocationem, confessionem, spem justificationis ex morte, piam reverentiam et gratitudinem erga Deum, qui propter hanc victimam vere nos exaudit, recipit et salvat. Hanc definitionem judicamus esse perspicuam, non ex unica parte verborum institutionis, sed ex toto corpore desumptam, in qua manifeste omnes errores cum veritate pugnantes refutantur, uti sunt:

1. Pompa Persica in qua Panis argento et auro inclusus extra institutam actionem circumfertur et adoratur, cum extra usum rationem minime obtineat sacramenti.

2. Prohibitio alterius speciei, quae cum verbis institutionis et primitivae Ecclesiae testimoniis manifeste pugnat.

3. Transubstantiatio; neque enim haec Propositio Hoc est Corpus meum significat talem conversionem et transubstantiationem Corporis et sanguinis Christi cum Pane et Vino sacramentali convenientem; quamobrem eadem de causa D. Paulus vocabula Panis et Vini retinet et usurpat peracta etiam consecratione.

---

[1]) Histor. Ref. p. 110.

Actum Claudiopoli 1557 in Festo SS. Trinitatis. Subscripserunt:

M. Sebastianus Boldius Pastor Ecclesiae Béltekiensis et Superintendens Ecclesiarum Christi in inferiori Pannonia.

Matthias Heblerus Pastor Ecclesiae Cibin. et Superintendens Nationis Saxonicæ in Transylvania.

Franciscus Davidis Pastor Ecclesiae Claudiopolitanae Superintendens Nationis Hung. in Transylvania.

Caspar Heltus Senior Ecclesiae Claudiopolitanae.

Michael Deretskei Ecclesiastes Claudiopolitanus.

Nicolaus Fabricius Pastor in Insula Christiana et Decanus Cap. Cibin.

Franciscus Salicaeus Past. Eccl. Birthalbensis.

Matthias Glatzius Past. Eccl. Kisekemezöiensis nomine Decani Generalis et Fratrum Capituli Mediensis.

Matthias, Pastor Ecclesiae D. Latinae Super. et Decan. Capit. Bistriciensis.

Albertus Draconitus Pastor Ecclesiae Bistriciensis.

Laurentius Klein Pastor Ecclesiae in Solna.

Stephanus Pastor Ecclesiae in Alvintz.

Michael Horvath Pastor Ecclesiae in Hadad Archidiaconus Szilagjiensis.

Emericus Csánádi Pastor Ecclesiae Dei in Erdöd.

Dionysius Alesius Past. in Fenes Decanus Capituli Gyaluiensis.

Johannes Hunyadi Pastor in Teremi Archidiacon. Ciculiensis.

Johannes Bozzás ejusdem loci Pastor et Archidia. Szolnokiensis.

Albertus Mocus Past. in Bossa Archidiaconus Cottus Doboha.

Ambrosius Macerius P. Enyed. et Archidiaconus Kükülöiensis.

Michael Nagyfalvi Past. Hunyad. et Archidiaconus in Kalota districtu.

Johannes Jeggenei Pastor Tordaensis et Archidiacon. Cottus Tordensis [1]).

Notanda hic merito veniunt 1⁰. Cum confessio haec ab utriusque nationis ministris ederetur, nondum odiis certabatur inter partes, imo mediam ita sequebantur viam, ut unio inter utramque duratura videretur.

2⁰. Non tantum de S. Coena, sed etiam de aliis materiis in hac egerunt Synodo, quod apparet ex responso Philippi Melanchthonis.

3⁰. Quod exstat alius tractatus prolixus satis sub horum Ministrorum nominibus cum titulo: Consensus Doctrinae de Sacramentis Pastorum et Ministrorum Ecclesiarum in inferiori Pannonia et Nationis utriusque in Transylvania conscriptus et publicatus in S. Synodo Claudiopolitana Transylvaniae ipsa die S. individuae Trinitatis Anno Domini 1556. Integro itaque anno praecesserat hanc synodum, nisi pro una eademque habenda sit.

---

[1]) Ex Mss. Pöldneri et aliorum ut Capit. Chinádiensis.

§ XIII. *Phil. Melancthonis Literae.* — Convenerunt ad primum Maji anno 1558 Ministri Nationis Hungaricae Tordam, tam ad judicium Melancthonis exaudiendum, quam ad alias difficultates enodandas. Literae Philippi sequentis tenoris erant:

Salutem. Quilibet homo debet corpus doctrinae Christianae integrum discernere et statuere se velle civem esse verae Ecclesiae Dei, et debet considerare, quae et ubi sit vera Ecclesia juxta dictum: Credo Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem. Debet etiam considerare quid invocet et ad verae Ecclesiae invocationem adjungere suam invocationem et fugere manifesta idola Ethnica, Mahomedica, Papistica. Multi autem passim vagantur qui non curent praecipuam Doctrinae Christianae partem, excerpunt quaedam minus necessaria, de quibus tumultuantur sine fine, ut fit ab iis qui de statuis et de Abrenunciatione seu Exorcismo (ut vocant) qui fit alicubi ante Baptismum, litigant.

Omnino necessarium est discernere in doctrina et cultibus divinis res necessarias a non necessariis, sicut Syracides Cap. 3 dicit: Quae mandavit tibi Deus ea cogites sancte. Ac in non necessariis, aliqua etiam infirmis condonanda sunt: ne Ecclesiae sauciae et moestae magis saucientur.

De statuis necessaria est doctrina ne adorentur, nec ad eas fiat concursus, sed removere omnes statuas et picturas ex privatis et publicis aedibus non necesse est. Optarim igitur non movere tumultus de iis e Templis auferendis. Sed si quis removet etiam non volo eum damnari, praesertim si removet sine seditione. Et in neutra parte moveri certamina velim.

Professio et Abrenunciatio in Baptismo adultorum prorsus est necessaria. Sed infantuli recipiuntur et vere fiunt membra Ecclesiae per Baptismum etiamsi professionem et abrenunciationem nec faciunt nec facere possint. Volo tamen publicam precationem pro infantibus Ecclesiae ante Baptismum fieri; volo legi Testimonium Evangelii: sinite puerulos venire ad me Matt. XIX 13. 14. Haec retinemus in Ecclesiis nostris Precationem et Lectionem ante Baptismum Infantum. Si quae verba sunt in Exorcismo et in Professione, de quibus litigant nonnulli, ego quidem de iis nullas rixas moveo; sed condono quædam consuetudini. Alicubi in Ecclesiis recte docentibus Exorcismi et illae Professiones, quae fiunt per susceptores abolitae sunt; dedi consilium ne restituant, ne novae rixae oriantur. Dicar sane timidus et frigidus iis, nolo de talibus rixari. Ostendo me civem esse hujus Ecclesiae verae, quae complectitur confessionem nostram, quae exstat. Et quaedam infirmis Piis condonanda esse sentio. Sed scio motis controversiis etiam levibus, postea certari odio et ira. Haec mala deploro et precor Filium Dei, ut et servet Ecclesiam et nos in ea ac gubernet.

De coena Domini difficilius est certamen, sed Papistici errores manifesti sunt, qui extra institutum usum circumgestant Panem, reponunt, offerunt et ibi adorant. Contra hos tetros errores tenemus Regulam: Nihil habet rationem Sacramenti extra institutum usum, quae creatura non potest instituere sacramentum. Hac Regula positae multae falsae adorationes ruunt. Nec Eccius poterat hanc Regulam refutare in Conventu Ratisbonensi. Postea de instituto usu in vera Ecclesia, de mundacatione affirmo prorsus Filium Dei vere et substantialiter adesse in Mysterio instituto praesentem. Quia persona est ab aeterno Patre missa, ut proferat Evangelium ex sinu Patris aeterni, et sit efficax ut colligat Ecclesiam. Haec Persona in hoc Mysterio sic adest vere et substantialiter et est efficax et communicatione corporis et sanguinis facit nos sibi membro et sese et beneficia sua nobis applicat, sicut et Hilarius dixit: Haec sumpta et hausta faciunt, ut Christus sit in nobis et nos in ipso. De hac communicatione et sumptione loquitur Dominus. Accipite, manducate. Et de praesentia Filii Dei in Mysterio homines docendi sunt, et de applicatione, qua se ipsum nobis applicat, et nos sibi membra facit vere et substantialiter praesens. Nec fingatur coena Domini mere spectaculum; existimo autem consuli posse communi concordiae, si intra formas loquendi utrique maneant, quas in in professione posuimus (quam mitto). Non defendimus nostra ea, quae contra institutum usum Papistae addiderunt. Quibus remotis existimo posse concordiam in Ecclesiis vestris constitui et oro ipsum Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut semper Ecclesiam suam inter nos colligat et nos gubernet. Ad confessionem publicam nostram publice editam me refero. Haec scripsi ut concordiae Ecclesiarum consulam, non ut atrociora certamina excitem. Et peto pie consideretur. D. XVI. Januarii Anno 1558.

PHILIPPUS MELANCHTHON [1]).

Concludebant insuper in conventu Tordensi 1. Assertionem Stancari asserentis Christum esse Mediatorem intuitu solius humanae naturae prorsus esse rejiciendam. 2. Ritus, qui invaluerunt in Ecclesia adiaphoros, qui nec mandantur, nec prohibentur, retineri posse. 3. Ecclesiae visitentur et Ministri officiorum negligentes poenis subjiciendi [2]).

§ XIV. *Controversia de coena Domini.* — Controversia sacramentaria de Coena Domini dietim non sedabatur inter partes verum inurescebat. Jussu Regis Joannis Disputatio de ea instituta, quae tamen fructu caruit.

---

[1]) Scripta Melanchthonis omnia in maximo apud Transylvanos tunc erant pretio ad an. 1616, cum Brentii sententiae adsurgere ex Saxonibus quidam inciperent. Literae depromptae sunt ex Mss. Pöldneri.

[2]) Siglerus in Chronologia. pag. 81.

Conventus erat Medie anno 1561 ad sextum diem Februarii. Partes Reformatorum acerrime tuebantur Martinus Kalmántsehi Pastor Debrecinensis, Ludovicus Szegedi, Laurentius Peréh, Franciscus Davidis, Caspar Heltus, Ministri Claudiopolitani, Valentinus Crispus, Minister Tordaiensis et Hungari fere omnes, qui sententiam suam scripto complexi ediderunt Claudiopoli. Qui vero negabant transubstantiationem et tamen realem et materialem praesentiam corporis Christi affirmabant erant Saxones, qui sententiam suam ex voluntate Regis mittere ad exteras Academias debebant. Expedierunt ergo ad Academias Lipsiensem, Rostockiensem et Frankfurtensem, ubi quoque suam hauserant sententiam, facile assensum sperantes et impetrantes [1]). Verum finem controversiae sacramentariae haec quoque legatio imponere non potuit.

§ XV. *Synodus Tartzaliensis Tordensis.* — Tartzalini in Hungaria anno 1562, Tordae vero in Transylvania Synodus celebrata est anno 1563, in quibus Hungaricarum Ecclesiarum Ministri Compendium quoddam Doctrinae Christianae variis articulis comprehensum et uberrime explicatum ediderunt, saepius in Hungaria recusum Lingua Latina ac Hungarica. Titulus Libri iste est: Compendium Doctrinae Christianae, quam omnes Pastores et Ministri Ecclesiarum Dei in tota Ungaria et Transylvania, quae incorruptum Jesu Christi Evangelium amplexae sunt, docent ac profitentur in Publicis Synodis Tartzaliensi ac Thordensi editum ac publicatum annis Domini 1562 et 1563. Articuli sunt sequentes [2]).

De S. Trinitate, Cap. I.

Art. I. Deum esse.
„ II. Unum Deum tribus Personis non dividi, sed distingui.
„ III. De aeterna Dei Providentia.

De Deo Patre. Cap. II.

Art. I. De Persona Patris.
„ II. Patrem esse Creatorem et Conservatorem omnium rerum.
„ III. De Angelis.
„ IV. Opera Trinitatis inseparabilia.

De Jesu Christo Unico Dei Filio. Cap. III.

Art. I. De Divinitate Filii.
„ II. Filium ab aeterno constitutum unicum Mediatorem inter Deum et Electos.

---

[1]) Papai R. R. ad an. 1561.
[2]) Editio S. Patak an. 1655 per Georgium Renium est ad manus. Confer Hist. Ref. p. 121.

Art. III. Deus est perfecte justus et perfecte misericors.
„ IV. Deus est immutabilis.
„ V. Secundas causas Dei consilio non excludi.
„ VI. Hominem ad declarandam Dei justitiam et misericordiam creatum esse.
„ VII. Qua de causa primum hominem oportuerit purum creari.
„ VIII. Oportuisse hominem puritate et integritate excidere.
„ IX. Hominem a Deo purum ac bonum creatum esse.
„ X. Quomodo sese primus homo cum universa posteritate tum primae tum secundae Morti obnoxium fecerit.
„ XI. Qua via ad priorem mortem pervenitur.
„ XII. Priorem mortem sempiternam esse non posse.
„ XIII. Quae via ad secundam Mortem deducat?
„ XIV. Cujusmodi arbitrii libertas homini post peccatum reliqua facta sit.
„ XV. Summa de peccato originis.
„ XVI. Quomodo Deus peccato hominis ad gloriam suam utatur?
„ XVII. Jesus Christus est unicus Mediator a Deo constitutus ac promissus.
„ XVIII. Quae sit convenientia et discrimen veteris et novi Testamenti?
„ XIX. Cur oportuerit Christum esse verum hominem sed absque peccato?
„ XX. Cur Christum oportuerit vere Deum esse?
„ XXI. Quomodo nostrae salutis mysterium fuerit impletum in Jesu Christo.
„ XXII. Duae naturae divina et humana in unam Personam unitae ab ipso conceptionis momento.
„ XXIII. Maria est Mater Jesu Christi Dei et Hominis.
„ XXIV. Brevis descriptio, quomodo Christus salutem nobis attulerit?
„ XXV. Quomodo Christus sese in coelum subduxerit, et tamen nobiscum adhuc conversetur?
„ XXVI. Nullam aliam posse esse Religionem.

De Sancto Spiritu. Cap. IV.

Art. I. De Persona Spiritus Sancti.
„ II. De effectibus qui in Spiritu Sancto proprie considerantur.
„ III. Spiritus Sanctus sola fide nos facit Christi participes.
Art. IV. Quibus mediis utatur Sp. Sanctus ad fidem nobis creandam et conservandam.
„ V. Quantopere necessaria sit fides, et quid sit?
„ VI. Quod sit verae fidei objectum, et quae ejus efficacia.

Art. VII. Quomodo accipiendum quod ex Paulo affirmamus: Nos sola fide justificari?

" VIII. Certum esse suae salutis per Christum, nihil minus esse quam arrogantiam.

" IX. Fidem invenire in uno Christo quicquid ad salutem requiritur.

" X. De primae tentationis primo insultu, in quo nobis innumerabilia peccata nostra proponuntur, et unico remedio, quod in uno Jesu Christo adversus hunc insultum per fidem invenitur.

" XI. De remedio, quod una fides in uno Christo nanciscitur, adversus alterum ejusdem tentationis insultum positum in eo, quod nusquam in nobis exstat justitia illa, quam Deus merito in nobis requirit.

" XII. De tertio ejusdem tentationis insultu, quod natura simus corrupti, ac proinde Deo exosi.

" XIII. De remedio adversus secundam tentationem, in qua quaeritur: An fidem habeamus?

" XIV. Impudentem esse calumniam, qui dicunt, bona opera a nobis reprehendi.

" XV. Prima controversia in argumento bonorum operum: Quaenam sunt pro bonis et quae pro malis habenda?

" XVI. Quae sint opera omnium praestantissima et quae precum sit praestantia?

De operibus charitatis erga proximum. De operibus indifferentibus.

" XVII. Altera controversia de bonis operibus, in qua quaeritur de eorum Principio et Origine.

" XVIII. De tertia controversia in Bonis operibus nempe: Quaenam sit eorum utilitas?

" XIX. Quorsum nobis utilia sint bona opera apud Deum et apud homines.

" XX. Remedium adversus ultimam eamque gravissimam tentationem, in qua quaeritur: an simus ex electorum numero?

" XXI. Quibus instrumentis utatur Sp. Sanctus, ut fidem creet in Electorum cordibus?

" XXII. Quid intelligatur Verbi Dei appellatione. Et de duabus ejus partibus, Lege nimirum et Evangelio.

" XXIII. Quid inter se commune habeant Lex et Evangelium et rursus quibus in rebus differant?

" XXIV. Quorsum utatur Legis praedicatione Sp. Sanctus?

" XXV. De altera verbi Dei parte, quae Evangelium Dei dicitur,

cujus sit authoritatis, quamobrem, quomodo et in quem finem scriptum?

Art. XXVI. Ad Evangelium pertinere aliqua ex parte etiam libros, qui veteris Testamenti dicuntur.

„ XXVII. Quae sit sacrae scripturae authoritas. Et quamobrem debeat in omnia vulgata idiomata transferri.

„ XXVIII. Quomodo utatur Sp. Sanctus aeterna Evangelii praedicatione ad fidem in electis gignendam et ad indurandos reprobos.

„ XXIX. De altero fructu praedicationis Legis, qui consequitur efficacem Evangelii declarationem.

„ XXX. De altero instrumento, quo utitur Spiritus Sanctus, ut nos efficiat Jesu Christi participes, et quibus de causis Dominus non acquieverit in nuda et simplici praedicatione verbi?

„ XXXI. Definitio Sacramenti.

„ XXXII. Quod sit discrimen inter veteris et novi foederis sacramenta.

„ XXXIII. Quibus notis vera sacramenta ab adulterinis distinguantur?

„ XXXIV. De his quae communia sunt verbo et sacramentis.

„ XXXV. Quid habent proprium et peculiare sacramenta ejus finis respectu, propter quem a Deo sunt constituta?

„ XXXVI. Duo tantum esse sacramenta Christianae Ecclesiae.

„ XXXVII. Quatuor esse praecipua capita consideranda in sacramentorum explicatione.

„ XXXVIII. Quid sit signum et quamobrem Deus res penitus vulgares in constituendis sacramentis delegerit?

„ XXXIX. De illorum errore, qui substantiam signorum abolent in sacramentis?

„ XL. De mutatione rerum corporalium in sacramentis.

„ XLI. Unde proficiscatur mutatio rerum, quae in sacramentis adhibentur.

„ XLII. Mutationem hanc non esse perpetuam.

„ XLIII. De re ipsa sacramentorum.

„ XLIV. Quomodo res ipsa i. e. Jesus Christus dicatur cum signis conjungi? Non dubium est, quin Deus qui summe fidelis est, praeter signa visibilia, rem ipsam quoque i. e. Jesum Christum una cum omnibus suis opibus vere et absque ullo dolo fruendum semper offerat. Qua ratione dici potest ac debet, (Dei videlicet promittentis respectu) res ipsas cum signis semper et vere esse conjunctas. Id autem fit non certa quapiam virtute vocabulorum vel syllabarum, sicut Magi et fascinatores existimant, neque ullo conjunctionis modo naturali vel locali ut loquuntur, (neque enim

Jesu Christi corpus est imaginarium vel invisibile, vel incircumscriptum, vel denique ullo modo infinitum). Neque propter aliquam sanctimoniam ejus, qui haec sacra peragit, (pendent enim ista a solius Dei, non autem hominum authoritate), sed sola Spiritus Sancti potentia et virtute, qui efficit, ut ille ipse Jesus Christus, qui nunc, quatenus homo est, non est alibi, quam in coelis, sicut scriptura testatur; nobis tamen qui in terris summus, non minus vere donetur, quam signa ipsa, de quibus diximus; quatenus videlicet fides nostra eum contemplans in sacramentis, sicut expressa promissio testatur, in coelum usque conscendit, ubi vere eum complectitur magis ac magis et credentium animis insinuat.

Art. XLV. Distinctio Signorum et Rei.
" XLVI. Quomodo tum signa tum res ipsas percipiamus.
" XLVII. Applicatio superioris doctrinae ad Baptismi Sacramentum.
" XLVIII. De infantum Baptismo.
" XLIX. Cur Baptismus non reiteretur.
" L. Applicatio superioris Doctrinae de sacramentis ad Coenam Domini.
" LI. Conclusio Rei sacramentariae.
" LII. Cur Spiritus Sanctus vocetur Paracletus, et quis sit afflictionum nostrarum usus?

De Ecclesia. Cap. V.

Art. I. Semper fuisse et fore aliquam Ecclesiam, extra quam non sit salus?
" II. Unam duntaxat veram esse Ecclesiam.
" III. Cur ecclesia Catholica vocetur.
" IV. De sanctorum communione.
" V. Ecclesiam unum duntaxat caput habere, quod nullo socio neque successore neque vicario indigeat.
" VI. Communionem sanctorum non impedire, quominus varii sint munerum Ecclesiasticorum gradus.
" VII. De signis, quibus vera Ecclesia dignoscitur ab adulterinis.
" VIII. De veris Ecclesiae membris.
" IX. Signa Ecclesiae non esse semper in eodem statu.
" X. De authoritate Ecclesiae.
" XI. De Synodis particularibus vel provincialibus vel nationalibus, quas vocant.
" XII. De Ministeriis Ecclesiasticis et speciebus ordinariarum functionum in Ecclesia legitime constituta.

Art. XIII. De munere Apostolorum, Evangelistarum et Prophetarum in Primitiva, quam vocant, Ecclesia.
„ XIV. De munere Pastorum et Doctorum.
„ XV. De Clavibus Ecclesiae.
„ XVI. Pastores et Doctores esse duntaxat instrumenta, quibus utatur Deus.
„ XVII. Quibus signis distinguantur veri Pastores ac Doctores a falsis.
„ XVIII. De inferioribus ordinibus, quos minores vocant.
„ XIX. De officio Diaconorum et aerarii Ecclesiastici administratione.
„ XX. De ea specie Ecclesiasticarum functionum, quae versatur in jurisdictione.
„ XXI. De ordine actionum in presbyterorum Senatu vel Collegio.
„ XXII. De discrimine Jurisdictionis Ecclesiasticae et Politicae.
„ XXIII. Quis sit scopus Jurisdictionis Ecclesiasticae et quae ipsius partes.
„ XXIV. De partibus officii Presbyterorum.
„ XXV. De confirmatione Electorum ad ministeria Ecclesiastica.
„ XXVI. De ea parte Jurisdictionis Ecclesiasticae, quae ad correctiones spectat.
„ XXVII De excommunicatione, quid sit, et quis sit ipsius rectus et legitimus usus.
„ XXVIII. Qui sint fines excommunicationis.
„ XXIX. De Matrimonio et coelibatu.
„ XXX. De Jejunio.
„ XXXI. De dierum et ciborum delectu.
„ XXXII. De Christiani Magistratus officio.
„ XXXIII. De obedientia, quae Magistratui debetur.

De Ultimo Judicio. Cap. VI.

Quid sit nobis credendum et sperandum de venturo ultimo Judicio? Hi articuli diu in scholis pro norma docendi in cursu Theologico habiti sunt, et sequens de iis Clausula Synodaliter sancita.

Quicunque Confessionem Nostram (hanc scil. Tartzaliensi-Tordensem) et hanc Confessionem Helveticam, aut Articulos hos ex verbis Dei temere rejecerit, solverit et contrarium docuerit, Jurisdictione Ecclesiastica puniendum statuimus[1]).

§ XVI. *Synodus Enyedensis.* — Controversia in articulo Sacrae Coenae sopita nondum erat, sed exacerbato utrinque agitabatur animo. Indicitur

---

[1]) Hist. Ref. p. 121.

igitur Generalis Fratrum Synodus Enyedinum; quo Rex Johannes Secundus Georgium Blandratam, qui hactenus optime sentire videbatur et secunda apud quosvis fama gratus erat, cum plena authoritate mittit et Synodum commonefacit super electione Superintendentis ex utraque natione Hungarica et Saxonica; item de Concordatione de coena Domini. Literae erant sequentes:

Johannes Secundus Dei Gratia Electus Rex Hungariae &c. Fidelibus nostris, Reverendis, Honorabilibus, Superintendenti, Decanis et Pastoribus ac Universis Ministris Ecclesiarum Hungaricalium in praesenti Synodo Enyediensi constitutis Salutem et Favorem.

Delegavimus ad praesentem Synodum cum pleno mandato et authoritate nostra, hunc praesentem nostrum Excellentissimum Georgium Blandratam, Doctorem nostrum Physicum, virum gravem, eruditum et in sacris literis non mediocriter versatum, ut colloquiis et differentiis vestris de Coena Domini conciliandis intersit et universas rixas, inciviles tumultus ac dissensiones in ipsa Synodo pro viribus sedare et compescere studeat, atque hac occasione odia, injuriae contentiones inter eos, qui veterum piorum Patrum assertionem et verum judicium pro manifesto verbo Dei sequuntur, Praesentiam Corporis Christi affirmant, ac inter eos, qui diversam intelligentiam ex verbis coenae eruunt, sopiantur et subsidant, ut in Ecclesia Dei floreat vera Pax et Concordia. Statuimus autem magis e re futurum, si scripto utraque pars suam assertionem proponat. Ita enim arbitramur fore ut tum jurgia et convitia, quae nonnunquam ex incandescentibus hominum affectibus subnasci consueverunt *, ac, praeter offensionem et scandalum infirmorum, veritas elucescat, quod quidem in usum et piorum aedificationem maxime vellemus. Sin autem id quod postulamus sequi non poterit, saltem fiant ordinationes piae in tranquilitatem Ecclesiarum, ut Ecclesiae Saxonicae, et quicunque Praesentiam Corporis in Coena asserunt, habere possint unum certum Superintendentem, virum gravem, pium et eruditum, Gregi Domini sedulo invigilantem, qui in unitate doctrinae et cerimoniarum conformitate ac Disciplina Evangelica Ecclesias gubernet et in sontes ac inobedientes digna poena animadvertat. Rursus qui diversam assertionem absentis videlicet corporis Christi contendunt, suum habeant Superintendentem, cujus cura et vigiliis, solitis ritibus et Cerimoniis, Ecclesiae eorum in Disciplina Evangelica gubernentur, atque ita distinctis limitibus et functionibus, quibuscunque suis omnibus prospiciant et controversiae ac contentiones passim inter utramque partem grassantes vel hoc modo sedentur. Mandamus igitur Fidelitatibus vestris, ut ipsum Georgium Blandratam honorifice in colloquium exci-

* Vitentur? (ed.)

pere et pro Persona in hac functione a Nobis deputata habere, recognoscere et acceptare debeatis, simul etiam hortantes benevole, ut collatis mutuis sententiis veram et optatam unionem atque pacem in hac coenae controversia complectamini. Datae in civitate nostra Alba Julia, Dominica Quasimodo geniti A. 1564.

Johannes Rex Electus.[1])

Controversia hic terminata non est, cum neutra pars alteri cederet, a suaque semel sententia recepta recedere nollet. Manserunt ergo Ecclesiae distinctis limitibus sub cura distinctorum superintendentium. Durat hodie quoque istud divortium et deflenda illacrymandaque Ecclesiarum ac animorum disjunctio.

§ XVII. Albae Juliae, M. Vasarhellyini ac Tordae anno 1566, cum controversiam de Personarum in Divinis Trinitate suscitaret Georgius Blandrata, Synodi habitae sunt, de quibus erit alibi agendi locus[2]). Göntzini quoque in Hungaria eodem anno 1566 celebrata est frequens Synodus, ubi XXI conscripti Articuli rectum ordinem ac bonos mores respicientes. Approbata est Confessio Genevensis et Catechismus Calvini in hunc sensum. Quia jam in duabus Synodis subscriptum est Confessioni Genevensis Ecclesiae conscriptae diligenter a Theodoro Beza, Ministro Ecclesiae illius, illamque confessionem studeant sibi comparare, eamque legere et discere. Non quia id a Beza dictum sit, sed quia conveniat cum sacris literis. Catechesin quoque Calvini, quae in priore Synodo suffragio communi recepta est, faciant sibi familiarem. In eadem Synodo sententia Lucae Agriensis Ministri Ungvariensis examinata ac rejecta est, cum de Deo non satis orthodoxe sensisse observaretur[3]).

§ XVIII. *Synodus Debrecinensis.* — Debrecinum ad XXIV Februarii an. 1567 in Synodum convenerunt Ministri ex decem et septem senioratibus cis et ultra Tibiscanis, qui sequenti ordine recensentur: Senioratus Varadiensis, Ermellyekiensis, Maramarosiensis, Makoiensis, Debreciniensis, Szakmáriensis, Beregiensis, Szilágyiensis, Nyiriensis, Beszermenyiensis, Nagy Bányaiensis, Ugotsaiensis, Thuriensis, Károliensis, Zempleniensis, Ujváriensis, Borsodiensis[4]), qui Helveticam Confessionem Tiguri anno 1566 editam receperunt, illi subscripserunt. Ecclesiae etiam cisDanubianae eandem approbarunt. In eadem Synodo Doc-

---

[1]) Papai R. R. ad ann. 1564.

[2]) Ubi de Antitrinitariorum in Transylvania origine agetur.

[3]) Confer Hist. Ref. ad an. 1566.

[4]) Conf. Praefat. Helveticae Confess. et Hist. Ref. p. 163.

trinam de Trinitate confirmarunt. Conventum rursum in Decembri celebrarunt, cum serpere observarent pestilentissimam de Deo sententiam, unde Convocatorias rursum emiserunt, quibus confluxum Debrecinum ad 2 Febr. anni 1568 indicunt. Scribunt in iis: „Adversarios autem in Transylvania compellimus ut compareant. Nam nos jam saepius ingressi, ut proxime anno 1566, 26, 27 Aprilis, ex eloquio Domini haereses eorum confutavimus. Unde et nobis subscribere coacti sunt, sicut eorum chirographae contestantur. Si autem ad lucem venire noluerint, manifeste opera haeresesque eorum in tenebris in Regno Satanae nata confitebimur et agnoscemus" [1]).

§ XIX. *Synodus Szikszoviensis.* — Szikszoviam eodem anno 1567 ex octodecim senioratibus confluxerant tam Ministri Ecclesiarum quam vero seculares magno admodum numero. Seniores erant: Petrus Melius, Georgius Tzegledi, Paulus Thuri, Gallus Albensis, Balthazar Siculus, Gregorius Keresleti, Martinus Alpari, Stephanus Nánási, Michael Ölvési, Gregorius Sárvari, Blasius Agh, Matthaeus Simigius, Stephanus Tzeglédi. In hac Synodo hostia orbicularis abrogatur, et in ejus locum panis vulgaris in sacramento coenae Domini usus publica authoritate sancitus et confirmatus est. Atque ita Ministrorum ac Nobilium et Magnatum determinatione finem sortita est controversia, quae diu agitabatur. An pane azymo et hostia orbiculari Coena D. sit administranda, vel vero pane vulgari? [2]) Mentem suam Propositione XXIV ita expresserunt:

„Coenam Domini a Christo institutam pane communi aut azymo in sacris literis approbato administrandam juxta scripturae veritatem docemus, ut Christus et Apostoli usi sunt. Papisticam vero hostiam propter has rationes damnamus et rejicimus, nec ea coenam Domini administrari posse admittimus. Primo. Quia est caput et cauda Missae sine qua non idololatricae. Secundo. Quia scriptura nomen, memoriam, figuram, usum et signa idololatriae aboleri jubet. Tertio. Quia propter formam idololatricam, quae est transparens luciditas cum imagine Crucifixi converti in pium usum non potest. Nec verum et correspondens signum signati in pascendo esse potest. Nam licet idolum et alia instrumenta ex eodem signo fiant tamen non sequitur, mensam esse idolum et contra, Deo teste. Esa XLIV. Ita improprie ex materiae identitate idem usus et finis rerum colligitur, cum propter diversas formas et rerum species sint etiam usus et fines rerum diversi, ut clypei et hastae, pilei et pallii" [3]).

§ XX. Non poterant Szikszoviae omnes difficultates finire ob emer-

---

[1]) Hist. Ref. 178.
[2]) Hist. Ref. pag. 179.
[3]) Hist. Ref. pag. 186.

gentes causas externas, sed eodem mense jussu Lazari Svendi Generalis Caesarei Cassoviam conveniebant, ubi examinata sententia Lucae Agriensis Divinitatem Christi abnegantis rejecta est. Lucas in carcerem compactus post quinquennium demum dimissus est, exhibita prius Reversali. Ministri vero Confessionem ipsius sententiae contrariam ediderunt. Praesentes hic erant:

Thomas Hilarius Pastor Ecclesiae Cassoviensis.

Johannes Vitus Belsaratius M. Doctor Sp. ac Magnifici Gabrielis Perenyi, postea Pastor Ecclesiae Liscensis et Patakinae.

Franciscus Czegledi Pastor Etsediensis et Senior Eccl. Zempleniens.

Basilius Szikszai Rector Scholae Patakiensis.

Demetrius Zetsi.	Theodorus Montanus.
Benedictus Ilosvai.	Johan. Csutyasi Miskoltzi.
Benedictus Belsius.	Gregorius Liptoviensis.
Joh. Seyder Barthphens.	Cyprianus Osthmucensis.
Valent. Megertinus Cibiniens.	Matthias Scholtz.
Antonius Platner.	Briceius Coramiensis.
Johannes Lemhamerus.	Antonius Herni.
Joannes Sinverus.	Caspar Carosinus.
Valentinus Megander.	Georgius Fabricius.
Cyriacus Coch.	Franciscus Futagi.
Benedictus Labassi. Pastor et Senior Miskoltziensis.	Franciscus Balogdi.
Gregorius Szikszai.	Michael Hevessi.
Franciscus Strigoniensis.	Nicolaus Karoli.
Demetrius Ungvari.	Johannes Szetsenyi.
Thomas Fabri.	Andreas Salánki.
Johannes Csergei.	Richardus Capsui.
Mathaeus Almási.	Michael Moszius.
Daniel Török.	Blasius Bitrári.
Petrus Gortski.	Johannes Belsius.
Johannes Graphen Semcholt.	Mathaeus Judex Cibiniensis.
Stephanus Galata.	

Hic Lutherani simul videntur defendisse Doctrinam de S.S. Trinitate adversus antitrinitarios, qui hinc inde pululabant. Hoc anno fuit Albae Juliae celebris illa decem dierum Disputatio inter asserentes Trinitatem orthodoxos et negantes eandem heterodoxos coram Rege; sequenti anno 1569 Varadini sex dierum cum summa animorum contentione. Verum de istis alibi necessario agendum erit.

§ XXI. *Sententia Fr. Davidis divortionalis.* — Jussu Wajvodae Stephani Bathori Synodus Provincialis Enyedini celebrata est, ubi Reformatae ac Lutheranae Ecclesiae Ministri anno 1576 causam Francisci

Davidis et uxoris ejus severe examinarunt, atque divortii sententiam tulerunt in hunc sensum et verba:

Nos infra scripti, vocati et electi ad indictam Synodum Enyediensem utriusque Nationis authoritate Principali ad propositam Actionem Matrimonialem inter Franciscum Davidis et inter ipsius conjugem Catharinam Barath penitius cognoscendam et definiendam, talem secundum Deum ejusque justitiam tulimus sententiam.

Literae testimoniales Testimoniorum prolatorum manifeste ostendunt neque Franciscum neque conjugem ejus culpa vacare. Cum in conjugio satis amarulenter et odiose cohabitaverint, et tanto quidem odio exacerbati continuis dissidiis se mutuo laceraverint, quod nullus prorsus reconciliationis modus inveniri, et ne quidem ulla spes pie * inter ipsos conjunctionis sperari possit. Imo pejora prioribus metuenda sunt, nisi matura divulsione separentur. Licet vero uxor Francisci plus justo procax, petulans et virulenta fuerit in maritum, dignaque reprehensione et castigatione ob inobedientiam et convitia, quam etiam maritus pro sua prudentia debito et legitimo modo compescere poterat, et ut in viam rediret operam omnibus modis dare debebat, abigendo nimirum e domo Julianam famulam quae fomes domesticarum contentionum fuit, praesertim cum idem olim fecisse non ignoret virum longe sanctissimum Abrahamum, qui ancillam procacem et domesticam, pacem et concordiam turbantem, Dei authoritate domo ejecisset. Ipse tamen Franciscus rebus suis pessime consulens, prohibitis et illegitimis modis, vindictam quaesivit, violata nimirum fide foederis et conjugii, sicut is testimoniis palam convincitur, quod nimirum uxoris famae, honestati, vitae, membrorum mutilationi, quae morte turpior, insidiatus sit, atque Julianam famulam ad litem Herae intentandam instigarit, conductoque Procuratore, data pecunia et tritico in jus tandem protrahi fecerit. Unde merito convincitur ipsum debitum conjugale violasse, et proinde dicto Pauli condemnari, qui ait: si quis suorum curam non habeat, fidem abnegavit, et Ethnico est deterior. Secundo et in crimen desertionis impulit, dum uxori legitimae non modo litem intendi curat, sed etiam in litem attractam et in periculo honestatis, vitae famaeque existentem, atque Mariti fidem, auxilium et defensionem implorantem inhumanissime et contra naturae legem in summa necessitate deseruerit, illi suam opem et defensionem denegando. Cum autem nemo suam carnem teste Paulo odio habeat, foveat potius et nutriat, nemo non animadvertit, quanta impietate debitam defensionem legitimae uxori denegaverit: licet enim haec desertio non mutatione cohabitationis admissa videatur, tamen eandem hostili

---

* piae (ed.).

prorsus animo, voluntate crudeli et ἀστοργία erga sexum debiliorem cui parcere debuisset evidenter declaravit. Voluntas enim actu expressa pro facto habetur. Cum igitur Franciscus evidentibus testimoniis convictus sit, tanquam desertor, vitae uxoris insidiator et fidei conjugalis violator, justis de causis de divortio Synodus in hanc sententiam conclusit: Ut Catharina Barath deinceps sejuncta sit et libera a Marito, non enim infideli viro alligata est mulier; propter ipsius tamen contumeliam ipsi a Synodo imponitur, ut a die latae sententiae integri anni spatio innupta permaneat; tandem si continere nequit in Domino nubat. Franciscus vero ob violatum foedus conjugii in signum penitentiae ab eadem die latae sententiae toto biennio a contrahendo matrimonio abstinere jubetur. At licet Frančiscus justo removeri poterat ab Ecclesiastica functione juxta dictum Pauli: Qui propriae domui praeesse nequeunt, quomodo Ecclesiae praeerunt. Item: Episcopum oportet esse irreprehensibilem &c; sed cum nobis nihil commune sit cum eo, suspendant si volunt Magistrum sui discipuli, sin minus habeant et recognoscant eum, ut magis adhuc sordescat. Actum Enyedini anno 1576 26 Maji. Pastores Ecclesiarum Hungaricarum et Saxonicarum Enyedini congregati [1]).

§ XXII. *Synodus in Barovia.* — Habita est Synodus Hertzegszölösini in Hungaria apud Barovienses anno eodem 1576, ubi conscripti sunt Articuli XLVII ad res Fidei ac Morum pertinentes, quos sequenti anno Papae typis vulgavit Lingua Latina ac Hungarica Gallus Huszár. Articulus XLI de Pane sacramentali talis est: „Quia omnes Evangelistae et Apostolus Paulus Panem in Coena Christum accepisse, et acceptum panem et calicem suis discipulis dedisse scribunt, Nos etiam Coenam cum pane communi et vino quibus alimur in nostris Ecclesiis administrandam esse decrevimus. Panem illum arborum foliis similem et inter ferrum sculptum combustum, quem alias oblationem vocant ad Missam Romanensis Pontificis transmittimus ipsique reddendum docemus" [2]).

Synodo praefuit Elias Weresmarthi Pastor Hertzegszölösiensis et Superattendens utriusque Baroviae. Articuli longe pulcherrimi videri possunt in Historia Reformationis Pauli Ember Debreceni ad hunc annum; quos quia alibi rursus recurrent majori ex parte hic omnes non inserimus.

Plures etiam Synodi Provinciales celebratae sunt pro exigentia temporis ac rerum, veluti Varadini 1589, Rivulini 1590, Karolini 1591 in negotio Calendarii Gregoriani et alibi. At quia alibi in cursu historico recurrunt necessario sponte eas negligimus.

---

[1]) Ex MSSto. Confer. Haner. Hist. Eccl. p. 297.
[2]) Hist. Ref. pag. 291.

CAPUT DUODECIMUM.

De Confessionibus et Catechismis Ecclesiarum in Hungaria ac Transylvania Reformatarum.

§ I. *Necessitas Synodorum.* — Quae, qualisque fuerit Professio Fidei Ecclesiarum in Hungaria et Transylvania Reformatarum, optime perdiscitur ex Confessionibus earum ac Catechesibus inde a tempore Reformationis editis, quae in Synodis et conscribebantur et approbatae publice recipiebantur. Scriptura sacra divinitus inspirata est unica Fidei et Actionum hominis Christiani norma; necesse tamen fuit etiam Apostolis in unum convenire et in medium consulere ac facienda vitandaque ordinare simul et terminare Act. XV. 1—36, ne infirmioribus scandala crearentur. Quanto magis necesse habuerunt Ecclesiarum in Hungaria et Transylvania Ministri in Synodum coire et in nomine ac cum numine Dei bonos ordines constituere confessionemque Fidei in publicum edere, ne quisquam illos errore, multo magis haeresi juste posset accusare. Saepius igitur et frequentes habuerunt Synodos, in quibus providebant, ne quid Ecclesia ob eorum incuriam caperet detrimenti.

§ II. *Confessiones in Hungaria receptae.* — Augustae in Imperio praelecta erat in publicis Comitiis Confessio Fidei scripta a Philippo Melanchthone et repraesentata a Principibus anno 1530. Ex qua Confessione sequaces ejus cum tempore dicti sunt Augustanae Confessionis, ita etiam nunc vocantur. Receperunt hanc varii populi, in quantum articulum de sacra coena suadentibus Principibus Philippus emendaverat. Receperant etiam in Hungaria Ecclesiarum Ministri, prouti palam est ex articulo XII-mo Synodi Erdödiensis. Conscripserant ipsimet Hungaricae Ecclesiae Ministri Confessionem in Synodo Tsengerini anno 1557 celebrata, quae a loco dicta est Confessio Tsengerina, in qua omnes Fidei articulos LII Propositionibus uberrime exposuerunt, quam tandem edidit Beza Genevae et in Hungaria edita est atque syntagmati confessionum inserta. Jam meminimus et summa rerum capita recensuimus Confessionis Tartzaliensi-Tordensis[1]), quae diu in Hungaria pro norma docendi in cursu Theologico habebatur.

Petrus Melius Pastor Ecclesiae Debrecinensis et Georgius Czegledi V. D. M. Varadiensis cum collegis anno 1562 ex Dei verbo et Patrum scriptis pulcherrimam ediderunt Fidei confessionem, cujus titulus hic est: Confessio Catholica de praecipuis Fidei arti-

---

[1]) Cap. superiori art. XII.

culis, exhibita sacratissimo et catholico Romanorum Imperatori Ferdinando et Filio suae I. Majestatis D. Regi Maximiliano ab universo exercitu Equitum et Peditum S. R. M. a nobilibus item et incolis totius Vallis Agrinae in nomine Sanctae Trinitatis ad foedus Dei custodien juramento fidei copulatorum et decertantium pro vera Fide et Religione in Christo ex scripturis sacris fundata. Anno MD LXII[1]). Epistolam dedicatoriam hujus Confessionis ad Ferdinandum Imperatorem superius jam exhibuimus. Varia hinc adversus modernos Universalistas et in Ecclesia Patria turbones exhibere possemus de praedestinatione, electione, termino vitae fixo, gratia Dei &c, si dogmatica scriberemus. Ad quaestionem tamen Cur electi perire non possunt? quid respondeat exhibebo.

Primo. Quia aeterna Dei misericordia ex gratia et dilectione secundum beneplacitum voluntatis suae in Christo ante creationem immutabiliter elegit et praedefiniit ad vitam. Sicut autem Deus immutabilis, ita et decretum Dei est immutabile. Exod. 33. Rom. 8, 9. Eph. 1. 1 Pet. 1. cujus misertus sum miserebor. Aeterna charitate dilexi te. Hieremiae 32. Esa 54.

Secundo. Quia Christus meritum misericordiae Dei aut antilytron, i. e. pretium justum nostrae redemtionis Deo persolvit, justitiae et vitae nostrae causas perfecit. Sicut ergo meritum Christi evacuari non potest, ita neque electi perire possunt.

Tertio. Quia Christus Caput nostrum aeterno et immutabili foedere nos sibi copulavit, aeterna miseratione desponsavit nos sibi in uxorem inseparabiliter. Ose 2. Esa 54. Hiere. 32. Sicut deserere carnem a Virgine assumptam non potest, ita neque electos, quos sibi juramento copulavit, deserere potest. Ezech. 16. Esa 54. Hier. 3. 32.

Quarto. Quia promissiones juramento confirmatas edidit electis, quas sicut se ipsum ita negare non potest. Fidelis enim Dominus. Ego Deus et non mutor; non faciam furorem irae meae: juravi tibi ut te non increparem. Deus igitur ego sum, non homo, propter nomen meum magnum non disperdam. Esa 48. 54. Hierem. 30. 31. Quia semel locutus sum tibi, parcam tibi propter nomen meum.

Quinto. Quia promissionibus gratiae apposuit sigilla benevolentiae, gratiae et pacis. Tanquam arrabone nos Spiritu Sancto obsignavit, et sacramentis tanquam sigillis foedus novum obsignavit in cordibus nostris Baptismo et Coena Domini. Ita August., Ambrosius, Hieronym., Chrysost., Cyrill. super loca notata docent[2]). Haec cum suis hypothesibus non sunt

---

[1]) Exstat Confessio edita.

[2]) Confer eandem ad pag. 326.

conjuncturi, qui modo doctrinae nostrae interstrepunt. Confessio haec, de qua hic agimus, est satis spissi voluminis; complectitur enim duo integra Alphabeta in quarta forma.

Confessionem Genevensis Ecclesiae receperant tempestive Hungaricarum Ecclesiarum Ministri, prouti ex articulo Synodi Gönciensis tertio palam est, qui ita se habet: Quia jam in duabus Synodis subscriptum est Confessioni Genevensis Ecclesiae, conscriptae diligenter a Theodoro Beza Ministro Ecclesiae illius, illamque Confessionem studeant sibi comparare, eamque legere et discere. Non quia id a Beza dictum sit, sed quia conveniat cum sacris literis. Catechesin quoque Calvini, quae in priore Synodo suffragio communi recepta est, faciant sibi familiarem. Synodus haec celebrata est anno 1566, die XXIII Januarii[1]).

§ III. *Confessio Helvetica.* — Inter confessiones Ecclesiarum Hungaricarum excellit ea, quae de Helvetia, ubi nata est, dicitur Helvetica, quae ad hunc usque diem Symbolicus Ecclesiarum Reformatarum liber est. Scripta haec est ex decreto Synodi Basileae anno 1530 celebratae, dum spes Generalis Concilii eos aleret, ut ibi repraesentaretur. Composita est per Henricum Bullingerum, Osvaldum Myconium, Simonem Gryneum et quosdam alios Theologos anno 1536, quae anno sequenti 1537 in conventu Smalcaldico exhibita, a Principibus, Doctoribus atque etiam ab ipso Luthero approbata est, ac tandem anno 1566 publicata[2]). Quam eodem anno Ecclesiae Anglicae, Scoticae, Belgicae, Polonicae receperunt. Sequenti anno 1567 etiam Hungaricae in Synodo Debrecinensi, ubi quoque edita est cum quibusdam aliis articulis atque Joanni Secundo, Regi Hung. electo inscripta, ita de hac loquuntur: Omnes Ecclesiae Ministri, qui in conventu sancto ad XXIV Februarii anno Domini 1567 Debrecinum convocato cis et ultra Tibiscum inter reliquas confessiones recepimus et subscripsimus Helveticae confessioni, anno Domini 1566 editae, cui et Ecclesiae Genevensis Ministri subscripserunt[3]). Senioratus subscribentes sunt sequentes: 1 Varadiensis, 2 Eermellyekiensis, 3 Maramarosiensis, 4 Makoiensis, 5 Debrecinensis, 6 Szakmariensis, 7 Beregiensis, 8 Szilagyiensis, 9 Nyiriensis, 10 Beszermenyiensis, 11 Nagy Bányensis, 12 Ugotsensis, 13 Thuriensis, Karoliensis, Zemplenensis, Aba ujváriensis, Borsodiensis. Qui Turcis subjecti

---

[1]) Histor. Refor. pag. 133.
[2]) Micraelii Histor. Eccles. Lib. III. pag. 839.
[3]) Conferatur Praefatio ejusdem.

in Synodo comparere non poterant, per literas consensum suum significarunt fratribus atque ita approbarunt.

§ IV. Quoniam exorti sunt quidam nostris temporibus eo in errore versantes acsi Helvetica Confessio et primi illius in Hungaria professores alium habuissent sensum de Gratia Dei, Electione et Perseverantia sanctorum, ita ut gratiam Dei salutarem ad omnes omnino personas sine discrimine extendissent neminemque vas irae et ad interitum praeparatum dici potuisse. Quam sententiam ex capite X Confessionis Helveticae ostendere conantur. Igitur ad ostendendum nos in eadem cum primis Reformatoribus esse Religione et caput X Helv. Confessionis nostro, non vero eorum sensu accipiendum, transferam huc quosdam articulos Synodi Szikszoviensis anno 1568 celebratae ad hanc materiam facientes, inde ab articulo decimo tertio incipiendo.

XIII. Errant et illi, qui Deum peccati et mortis causam nugantur; quia haec Deo contraria sunt et Deus contraria suae naturae facere non potest per se. Jehova tu nolens iniquitatem. Non poteris respicere ad iniquitatem. Psal. V. Gen. XVIII. Thren. III. Ego Deus nolo mortem peccatoris.

XIV. Homo sponte sua nemine cogente lapsus est, per inobedientiam suam discedens a veritate et attendens Spiritui erroris factus est jumentum, reus mortis, et veritate imagineque Dei (quae erat causa bonorum) abusus est.

XV. Homo abutens libertate optima et sancta per mendacium mutans gloriam Dei amissa imagine Dei per peccatum causis libertatis privatus, amittens habitus audiendi, videndi, faciendi coelestia, non possit, quia factus est jumentum, animalis homo, foenum, cadaver, caecus, mutus, non est qui velit, qui faciat, omnes declinaverunt.

XVI. Ubi renati sunt conversi, illuminati, tacti a Deo, reformati et spiritu Dei ad imaginem Dei ex Gratia in Christo Jesu ope Spiritus Sancti scire, velle, facere bonum possunt propter reformatam Dei imaginem aut habitum restitutum. Gratia Dei, merito Christi et Spiritus Sancti praesidio per verbum et fidem omnia possunt, per eum qui eos potentes facit.

XVII. Praescientia nuda per se non est omnium rerum causa, sed cum voluntate, decretoque Dei consilio, harum rerum scilicet, quas Deus velle et facere per se aut per alios immediate aut mediate decrevit. Nam scriptum est, quaecunque voluit fecit, quia agit omnia secundum propositum voluntatis suae. Ergo quae non vult, ut peccata, neque facit, sed facit et operatur ea quae proprie naturaliter et officialiter Deo competunt, hoc est, eligit, praedefinit, disponit, creat, salvat, convenit, justificat, poenas peccatorum fecit, sed non culpas. Nihil ergo fit casu fortuito Dei respectu. Non ideo fiunt peccata, quia praevidet Deus, sed ea fiunt, quae voluit et futura esse immutabiliter praevidit. Esa IV. 8.

Praevidi te ex utero rebellem, ideo transgressorem vocavi te ab initio, et quia causae malorum in causis secundis, scilicet, inobedientia, voluntas mala et infidelitas non mutantur, sed ut necessitate consequentiae peccata fiunt in vasis irae, ita et poenas fieri eadem necessitate oportet.

XVIII. Sicut in Deo duo proponit scriptura, misericordiam et justitiam, ita ut utramque declarasset secundum gratiae suae divitias, reliquias paucas in Christo ab initio ante creationem in sanctificatione Spiritus Sancti elegit, ut hos vocaret, justificaret et glorificaret in laudanda gloria gratiae suae, ut essent sancti et immaculati. Soli ergo credentes sunt electi, sicut soli electi credere possunt et audire et custodire verbum Dei Joh. 5, 6; 8, 10, Actor. XIII. Crediderunt ordinati ad vitam, soli scripti in libro vitae salvandi Apoc 12, 3, 4, 5; 14, 20, 21, 22. Mat. XXII. Multi vocati pauci electi.

XIX. Secundum justitiam legalem vasa irae ad interitum posita sunt propter peccata sua, ut in his iram potentiamque suam declararet et ut vasa misericordiae necessario salvaret et Christus, verbum his potentia, salus, vita, odor vitae; omnia cooperantur his in bonum. Ita vasa irae perire necesse est propter peccata. His Christus, verbum stultitia, scandalum, positus in ruinam.

XX. Etsi in electis conversis, renatis gratiae Dei, meriti Christi et Spiritus Sancti fructus exstinguuntur, tamen radix gratiae et misericordiae ab his non tollitur, ut dicitur, spiritum meum non auferam a te. Quis separabit nos a charitate Dei? Si peccaverint percutiam eos, sed misericordiam non auferam ab eis. Redde laetitiam salutarem et reforma spiritum rectum, id est, fructus amissos fidei et exstinctos restaura, sed spiritum sanctum tuum ne auferas. Fructus et folia arboris pereunt saepe, sed manet radix. Oravi pro te patrem, ne fides tua deficiat. Luc. XXII.

XXI. Sicut ergo Sabellii, Arii Samosateni, Serveti haereses damnamus, ita assertores liberi arbitrii in mortuis impiis et non renatis: item qui ex turpi et incongrua ratiocinatione sumpta ex modo exposita, intellecta et detorta mandatorum Dei et adhortationum et promissionum universalitate hominibus vires faciendi, intelligendi, videndi, credendi coelestia tribuunt et universaliter electionem cudunt. Cum ab impossibili praecepto ad subjectum aut factorem inaequalem, a disparatis inaequalibus, a luce ad tenebrarum, a justitia ad peccati conformitatem et aequalitatem et consensum, non valeat argumentum, lux mandat coeco, tenebris ut videat. Justitia exigit a peccato ut sit justitia. Pardus ut mutet pellem, mortuus ut vivat, surdus ut audiat, mutus loquatur. Deus lux. Justitia summa mandat odio ut sit dilectio, inimicitiae Dei ut sit amicitia. Ergo fieri non potest, ut lex quae est justitia, lex dilec-

tionem requirens perfectam ab hominibus, qui sunt peccatum, tenebrae, inimici Dei, impleatur"[1]).

Si hos articulos, confessionem Bezae et Catechesin Calvini Genevensem, itemque Confessionem Catholicam a Petro Melio Debrecini anno 1562 editam, (quas ante Confessionem Helveticam jam receperant) convenire cum suis sententiis ostenderint, tum gloriari licebit illos esse ex sententia primorum Reformatorum; at vero hoc tum demum fiet, dum leves pascentur in aethere cervi.

Celebris haec confessio semper apud Hungaros fuit, ita ut de ea Reformati nominarentur Helveticae Confessionis in articulis Diaetalibus. Fuit quandoque Norma docendi Professoribus Theologiam in Collegio N. Enyedensi. In Transylvania studiosi, quibus venia conceditur adeundi exteras Academias censuram hinc subire coguntur, et Candidati Theologiae, cum ad sacrosanctum Ministerium exercendum exmittuntur, fide ad hanc doctrinam profitendam obligantur. Ex Latino in Hungaricum transfudit idioma Petrus Tsene Szenciensis Minister V. D. ErsekUjváriensis ac tandem Superattendens[2]).

Belgica quoque confessio translata est in linguam Hungaricam anno 1650 a Stephano Ötves Szathmári, tandem Ministro Verbi Divini Ersek Ujváriensis[3]).

§ V. *Catecheses in Hungaria.* — Fuit ab antiquo ea consuetudo, ut doctrinam ad salutem necessariam brevibus Quaestionibus et Responsis complecterentur doctiores indoctioribus proponendam et addiscendam, ut ita Rudimenta salutaris doctrinae facilius haurirent. Quae docendi methodus dicta est Catechesis. In initio statim Reformationis tales Catecheses componebant Reformatores. Talis erat Andreae Batizi, qui circa annnm 1530 cis Tibiscum reformabat Ecclesias, cujus Catechesis diu in usu fuit[4]). Stephani Szekelly Bentzedi, qui anno 1548 Cracoviae in Polonia curavit imprimi Catechesin in rationem puerorum Szikszoviensium ubi tunc Minister erat. Petrus Melius, Thomas Felegyházi, Valentinus Hellopoeus Szikszai pulcherrimas et salutares adornarunt Catecheses. Ministri quoque Transylvani adornarunt conjunctis viribus et ediderunt summam Doctrinae Claudiopoli cum hoc titulo: Catechismus Ecclesiarum Dei in Natione Hungarica per Transilvaniam, quae relicto papistico Deo quaterno verbum Dei de sacrosancta Triade, uno vero Deo Patre, et Filio ejus, Domino Jesu Christo ac amborum Spiritu amplexae sunt, simplicitateque

[1]) Histor. Ref. pag. 183.
[2]) Hist. Ref. pag. 127.
[3]) Ibidem.
[4]) Histor. Ref. pag. 296.

pia ac puritate illud credunt ac profitentur. Regiae Majestatis Domini nostri clementissimi assensu ac voluntate excusus et publicatus Claudiopoli in Transylvania anno Domini 1566. Dedicatio ad Joannem Secundum electum Hungariae Regem talis est:

Serenissimo ac inclyto Principi Johanni ejus nominis Secundo Regi Hungariae &c Ecclesiastici Ministerii verbique salutaris Preconum in his regionibus pientissimo summoque Patrono Dominoque clementissimo Dei optimi Maximi Gratiam et Pacem in Domino ac servatore nostro Jesu Christo per spiritum sanctum &c.

Non adeo sumus incogitantes, serenissime ac clementissime Rex, ut non expendamus quam diversis iisque acerbis multorum judiciis nos formulae hujus Catechisticae exponamur editione: qua non obscure significamus nos a commentis Papisticis et eorum, qui non recte de Christi Evangelio gloriantur inanitatibus perplexissimis, quas ut damnatas Paulus vitari jubet, in universum discedere. Plurimi enim nos spiritu vertiginis correptos clamabunt. Non pauci perpetuarum dissensionum ac inquietitudinis prurigine laborare haec ausos contendent; quasi qui non aliter contentionibus assiduis, quam pisces dulcibus aquis delectemur. Neque etiam deerunt, qui nobis arrogantiae, fastus, ambitionis et similium facinorum notas turpes inurere tentabunt. Verum nos ante conspectum illius, quem retrusissima etiam quaeque secreta adeo non fugiunt. ut oculis ejus omnia nuda et expositissima sint. Et coram augusta Majestate tua conscientia suavi ac tranquilla protestari non dubitamus, nullo horum, de quibus censores isti nos calumniabuntur, neque petulantia, neque levitate aliqua ingeniorum hanc a papistica universaque scholastica doctrina defectionem ingenuam nos auspicatos esse, sed spiritus Domini impulsione, qui nobis aperire oculos dignatus est, ut Papam antichristum esse videremus, ac Regnum illius in Deum verum opt. max. et filium ejus ac utrorumque spiritum contumeliosum esse cognosceremus. Insuper et nostrae quoque functionis sanctae rationes gravissimas perpenderemus.

Ad hujusmodi porro operis sui progressum Majestatis tuae serenissimae opera ac favore tanquam instrumento aptissimo usum fuisse, quis vere piorum ignorat?

Postquam enim disputatione satis superque rixosa Albae Juliae coram tua Majestate habita conscientiae multorum in dubitationum discrimina fuissent conjectae, quae ex ambiguitatibus propositionum brevissimarum, earumdemque illis limaturis mancis erant natae multiformiter divexarentur; ac propterea non multis post diebus Reverendus ac Clarissimus vir D. Franciscus Davidis Superintendens noster Synodo frequenti in oppido Vasarhelly coacta, juxta Ecclesiae libertatem

haereditariam, praedictas Propositiones Albanae disputationis cum limitationibus additis, nobis discutiendas proposuisset, nostramque de eis censuram jure suo expeteret; considerata rei magnitudine, necessitate denique ardua nos urgente, Patris nostri coelestis opem imploravimus sicque materiam illam totam ad expendendum nobis propositam summa diligentia expendimus et pia sollicitudine excussimus. Examine tandem generali exacto omnibus affectibus sepositis juxta conscientiarum sincerum candorem, ut quid in hoc argumento probaremus quidve improbaremus secundum scripturae sacrae normam omnibus perspicuum fieret, sententiam nostram perspicuitate expressa pronunciavimus. Quia enim eam censurae pronunciationem omnino necessariam cognovimus, ut confessionis nostrae partem potiorem, quam Domino Deo nostro et filio ejus ex officio debemus, illam frigido aliquo cavillo sine conscientiarum sauciatione non potuimus rejicere.

Proinde quod a Papa, ut vero antichristo discessimus et confessionis nostrae prius publicatae puncta aliquot posthabuimus, haudquaquam ex inconstanti turpique animorum vacillatione, neque aliis rationibus parum idoneis inducti, sed jam praedictis et similibus causis apprime necessariis impulsi id fecimus. Dulcissima est animorum consociatio ex qua concordia et tranquillitas nascitur, sed suavissimam hanc tranquilitatis dulcedinem veritati Dei manifestatae salvis conscientiis nullis modis potuimus praeferre. Et quis, inquient censores, quandove tot innovationum finis erit? Respondemus: tum quando Electorum Ecclesia in consumata perfectione, tanquam sponsa coelitus ornata, suo sponso Domino Christo occurret, velut Johannes de coelesti Hierosolyma in sua Apocalypsi vaticinatur. Ubi vero reperiri erit illam conscientiarum plerophoriam, quae ad aeternae illius beatitudinis gloriam requiritur. In igne videlicet spiritus Domini, quem in cordibus haeredum illlius beatitudinis aeternae accendit Dei semine incorruptibili in ipsis vivificato. Huc magnus ille Paulus respiciens: Nunc ex parte (ait) prophetamus. Nunc in speculo et aenigmate videmus. Nunc primitias tantum spiritus habemus. Nihilominus tamen vera plerophoria in corde ipsius regnat. Clamat enim: scio cui credidi, et de meo reposito certus sum &c. At hoc, inquient, facinore vestro, omnium temporum Patres, omnesque nostrae aetatis pios, quorum opera Deus in repurgatione propagationeque Evangelii sui uti voluit, condemnatis? Hic Apostolus pro nobis respondet: nempe Dominum apprime nosse, qui sint sui. Certe inficias ire non possumus, omnium seculorum viros, eruditione et sanctitate quantumlibet praeditos ac ornatos, lapsibus variis errorumque naevis minime caruisse, Dominum tamen clementissimum cadentibus semper manum supponere solitum, qui tempus miserendi solus novit. Magna fuit Augustini superstitio, sed in tentationis aestu eo impellitur, ut lignis, foeno, argutiarumque humanarum

stipulis universis posthabitis in profunda Christi vulnera sese abdere cogatur. Bernardus externa specie sanctitatis ac vitae monasticae meritis fascinatus in conscientiae lucta et agone non sine gravi cordis compunctione ingemiscens clamat: Ah perdite vixi. Simulque speciosis operibus suis diffidens solius Christi meritum anhela apprehendit fide. Lutherus vir alioqui magnus, dum multis opinionum suarum clitellis sese ex praesumptione onerat, sic se ad Christi proditurum tribunal non reformidat asseverare. Ast in agone projecta omni quam studiose congesserat sarcina, solum verum Deum, misericordiarum Patrem in Filio, donato Mediatore arripit, saepiusque ingeminando. Sic Deus dilexit inquit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed vitam aeternam habeat &c. Huic uni tabulae periculosissimo naufragio incumbens ad portum salutis pertingit. Non est igitur cur boni viri talibus instructi armis nos adoriantur, quin potius sententiam nostram in synodo sacra Vasarhelyiensi prolatam inque hac Catechesi repetitam ad divini verbi gnomonem examinent. Si viderint eam bene illi quadrare, gloriam ei dent, cujus nos querimus honorem, eidemque gratias agant. Nos denique in opere tam sancto strenue adjuvent: praesertim cum videant nos ad id minus esse idoneos ac sufficientes. Quod ad nos attinet, eruditiores et ad hoc munus arduum subeundum aptiores vel e longinquo haud illibenter sequemur. Praecipue quum alioquin haec nostra scripta incompta non nisi doctissimorum irritamenta esse voluerimus, quorum maturioribus scriptis non gravatim sumus subscripturi.

Porro Catechesin hanc Majestati tuae, serenissime ac pientissime Rex, tanquam Ecclesiae Domini Nutricio et Patrono nostro in his terris summo, dedicare non dubitavimus eamdemque sub Majestatis tuae nomine ac auspiciis in publicum edere, ut hoc brevi et qualicunque scripto coram Mundo hoc universo testificaremur: Nos sub ditione imperioque Majestatis tuae doctrinam nequaquam in verum Deum contumeliosam neque Turcicas blasphemias neque haereticorum impia commenta in vulgus spargere; sed sincerum ac purissimum Dei verbum, cui soli et non commentis hominum eorumdemque traditionibus vanis alligati sumus. Ille cujus vicem Majestas tua, Rex clementissime, in his Regionibus gerit, nempe Rex ille Regum, et Dominus dominantium Majestatem tuam sospitem, quam diutissime in sui Nominis gloriam et harum Regionum defensionem et emolumentum conservare, Ejusdemque solium justitia ac veritate corroborare dignetur. Amen. Amen.

Majestatis tuae serenissimae salutem Deo Opt.
Maximo sedulis precibus commendantes
Seniores Ecclesiarum Hungaricarum
reliquique Pastores et Ministri earumdem.

Post Dedicationem ita incipit: Catechismus Ecclesiarum Dei in Natione Hungarica per Transylvaniam, compendiosa brevitate Christianae Doctrinae summam compiectens, juxta Vasarhellyianae Synodi Consensus normam.

Magister. Cujus Religionis? Discipulus. Sum Religionis Christianae &c Haec Catechesis magna ex parte desumpta est ex Catechesi Palatina, paulo ante in Germania publicata, cujus Quaestiones et Responsa saepius verbotenus inserit.

Insignis fuit Catechismus et Hungaris ad nostra usque tempora gratissimus Joannis Siderii Pastoris Tartzaliensis an. 1597 publicata, qui captui incipientum et profitentium accommodata ab omnibus sedulo addiscebatur.

§ VI. *Catechesis Palatina.* — Excellit inter omnes Catecheses ea, quae dicitur a regione Palatina, a civitate Hejdelbergensis ob accuratissimam methodum et doctrinam solide huc ex verbo Dei comportatam. Conscripsit hanc Zacharias Ursinus cum Caspare Oleviano jussu Friderici Tertii Electoris Palatini; examinavit ac approbavit Facultas Theologica, ac tandem publicata est anno 1563 lingua Germanica; eodem anno etiam latio sermone edita est per Lambertum Pithopoeum jubente Friderico [1]). Certatim adoptarunt eandem varii populi, qui simul viderunt simulque habere desiderarunt et ad suam linguam transtulerunt: ita Angli, Belgae, Scoti, Saxones, Galli, Itali, Bohemi, Poloni, Graeci, Hebraei, tandem etiam Hungari. In horum linguam interpretatus est Franciscus Szárasi post modum Pastor Debrecinensis; eam versionem perpolivit Albertus Molnár, qua hodiedum utimur. Canonibus obligantur V. D. Ministri secundum hujus sensum et ordinem docere juventutem et populum diebus Dominicis horis pomeridianis [2]).

Extant conciones doctissimae in hanc Catechesin lingua Hungarica Stephani Keresszegi Pastoris Debrecinensis, Joannis Drégely Palanki, Michaelis Szathmár Neméti, Georgii Tsipkes Komaromi.

In Hungaria aeque ac Transylvania plurima sunt edita opera Theologica, tam Systemata, quam Commentarii, quorum adhuc aliqui in publicis Bibliothecis visuntur.

Hungari Reformati inde ab initio Reformationis eandem profitebantur Religionem cum Reformatis in aliis Regnis existentibus. Discendi etiam gratia eos adibant Genevae, Basileae, Argentinae, Heidelbergae, Vittebergae, donec hic coacti ad doctrinam Brentii, de ubiquitate corporis Christi, profitendam, anno 1590 prorsus Vittebergenses deseruerunt;

---

[1]) Confer Sigism. N. Borosnyai Dissert. de Libris Symbolicis § III, IV.

[2]) Conclusio XII Synodi Szathmar Nemet.

adibantque frequentius Anglos, Belgas, Hassos, Palatinos et Helvetos, qui omnes genuini erant Reformati.

§ VII. Non possum a me impetrare quin exhibeam hic Catalogum studiosorum ex Hungaria et Transylvania Vittebergam adeuntium a Petro Monedulato Lascovio ex Transylvania oriundo, in Dedicatione ad Consulem Vittebergensem Samuelem Seelfisch operis de Homine magno illo in rerum natura Miraculo et partibus ejus essentialibus Vittebergae an. 1585 editi, ex Matricula ejusdem Academiae contextum: quoniam facit ad illustrandam illius aevi Historiam, densis tenebris confuscatam. Ita ergo Monedulatus tradit:

„Imprimis autem splendor veritatis, quasi stella usque ad Ungariam nostram refulgens incredibilem in multis accendit ardorem, non modo ad ipsam veritatem amplectendam, verum etiam ad videndum Lutherum, ex quo coelestem doctrinam repurgatam tenacius haurire et studium veritatis purius cognoscere posse existimabant. Itaque anno 1522 Rectore Philippo Melanchthone, quem Fridericus Dux ad profitendas Graecas literas Vittebergam vocaverat, primus omnium Martinus (omen erat in identitate nominum) Cyriaci de Leuschovia ad Lutherum in hanc Academiam sese contulit. Quem an. 1524 Dionysium Lincium Pannonium et Balthasarem Glebam Budensem subsecutos fuisse ex publicis Academiae Matriculis, eruditus vir Caspar Pestius sua industria nobis prodidit. Hos rursus secuti sunt an. 1525 Johannes Uthmannus Budensis, qui anno 1526 Christianum Lanium et anno 1527 Johannem Sigler Leuschoviensem excepit. Anno sequente 1528 Michael Szalai primo die Septembris appulit, quem anno 1529 Matthias Biro Devai Christianae Religionis in Ungaria acerrimus propugnator[1]) et Georgius Johannis Debrecinus subsecuti sunt. Horum exemplis plurimi gustu verae pietatis exarserunt, ut certatim ad cognoscendam veritatem vel potius animum magis ac magis in Doctrina Fidei confirmandum in hanc Academiam accurrerunt. Quamobrem anno 1530 sequentes appulerunt: Simon Transylvanus, Demetrius Tsuda, Emericus Ocorinus, Lucas Turinus, anno 1531 Andreas Lupus Strigoniensis, an. 1532 Franciscus Tornensis, an. 1533 Johannes Antal, Georgius Saltzer, Benedictus Szerentsiensis, Martinus Pazolinus, Johannes Baronius, Gregorius de Beltzevitz, Caspar de Zethen, Martinus Babai Simigius, an. 1534 Michael Ungar Strigoniensis, Georgius Faber Soproniensis, Lucas Sylvestri, Thomas de Ujhelly, an. 1535 Johannes Peter de Fellak, Lucas Hunyadinus, Leonhardus

---

[1]) Jam in Hungaria de doctrina tunc celebris.

Veysbech, anno 1536 Gregorius Kakas, Thomas de Strigonia, Stephanus Sas, Benedictus Locinus, Christophorus Breis Posoniensis, Sebastianus Boldius, Petrus Stockel a Bartpha, Franciscus Haskadi nobilis, Michael de Kalo, an. 1537 Stephanus Kalomi, Gregorius Peter, Nicolaus Rinolaus, Petrus Tsaludinus, an. 1538 Benedictus Göncinus, Stephanus Göntzinus, Paulus Sartor ex Alba Regali, Jacobus Szegediensis, Emericus Pesthi, Demetrius Temesvariensis, Johannes Kissoviensis. Anno 1539 Caspar de Sancto Gothardo, Sigismundus Torda Gelous, an. 1540 Gregorius Vizaknai, Demetrius Batizi, Josephus Pesthi, Emericus Putaki, an. 1541 Andreas Batizius, Blasius Fel Nemeti, Bartholomaeus Fraxinus, Basilius Turmerius, Johannes Sommer Cassoviensis, anno 1542 Stephanus de Kaputs, Stephanus Gavoi, Caspar Pastor, anno 1543 Caspar Heltai, Dr. Stephanus Szegedinus, Benedictus Abadi, Franciscus Molinus, Basilius Biharinus, Johannes Alagi Nobilis, Andreas Udvari, Martinus Roseman Kapornensis, Blasius Vári, anno 1544 Emericus Palotzi, Georgius Rudolfi Veterosoliensis, Valentinus Karoli, Casparus ex Gyula, Christophorus Lippensis, Stephanus Harsani, Thomas Kisani, Emericus Szigeti, Petrus de Szetsefa, Johannes Mediomontanus, Albertus Feltóti, Georgius Prodavizi, qui in Patria mea post felicissimam fidei Christianae institutionem occubuit. Anno 1545 Sebastianus Pringen Strigoniensis, Matthaeus Szigeti, Raphael Stiger ex Novosolio, Johannes Sambucus Tirnaviensis, qui post indefessum, in edendis proprio et alieno marte elaboratis libris, laborem nuper Viennae Austriae occubuit, Johannes Schremer Sopроniensis, Nicolaus Esterinus, Paulus Szegedinus, Michael Raykani, Martinus a. S. Elisabet, Franciscus Literatus, Blasius Debrecinus. Anno 1546 Andreas Orman Cusiensis, Dionysius e septem castris, Johannes Sasvarinus, an. 1548 Franciscus Clausemburgensis, Michael Korlát Nobilis, Stephanus Gyompor, Johannes Szakmári, Lucas Futaki, Albertus Szalatsi, Valentinus Debrecinus, Michael Horvat, Josephus Szegedinus, Stephanus Cruciger Crimicensis, Johannes Belsius Siculus. An. 1549 Matthias Gyulai, Stephanus Clausemburgensis, Helias Tsoka Sykliesinus, Gallus Gazdag, Franciscus Futaki, Nicolaus Kanyó, Matthias Orbazius, Johannes Vitus Balsaratius, Doctor Medicinae. Anno 1550 Matthaeus Gótzi Superintendens in Transylvania, Lucas Zilahinus, Georgius Hopputóli Nobilis, Georgius Abstemius, Johannes Scheider, Vincentinus Szinarai, Stephanus

Almási, Blasius Szekinus, Simon Osdolanus Transylvanus, Emericus Szombatinus, Benedictus Hunyadinus, Johannes Zobranczi Illyricus, Gervasius Nagylaki, Stephanus Batizi, Georgius Agriensis, Thomas Bencius, Matthias Feynerus. Ann. 1553 Antonius Szentkiráli, Tomas Zobranci, Baltasar Királyi, Paulus Dancius Szent Benedeki, Andreas Baboltsai Simigius, Franciscus Cegledinus, Johannes Varadi, Joh. Tsengeri, Georgius Bárány, Gregorius Molnar, Basilius Debreceni, Stephanus Inántsi. Anno 1555 Paulus Vernerus Eperjesinus, Stephanus Koltsar Olomoczi, Martinus Cacotinus, Matthias Csabai, Georgius Mod, Andreas Modo, Georgius Fabri Tordensis, Paulus Turi, Paulus Seraphin, Andreas Marci, Franciscus Medensis, Valentinus Crispus Colosvariensis, Basilius Ratzkevinus, Caspar Horvath, Michael Virt Semproniensis, Caspar Bezechius ex Montanis, Bartholomaeus Bagosi.

Hoc anno 1555 Fratres Nationis Ungaricae Vitebergae pietatis et honestorum causa studiorum congregati, deliberare inter se de coetu constituendo, seniore deligendo, et Legibus sine quibus nulla societas diu consistere potest constituendis, coeperunt. Ac primo quidem Georgium Kakas, Galli paganum, spectatae fidei et eruditionis virum, quique multos jam annos in Academia Vittebergensi vixerat, communi suffragio Seniorem elegerunt, et Leges in Matricula coetus descriptas, de obedientia Praeceptoribus debita, de modestia in communi conversatione observanda, de exercitio concionandi et disputandi, de seniore per successionem deligendo, et aliis ad coetum legitimum conservandum necessariis, communi consensu XXIV Junii tulerunt. Quibus legibus conscribendis interfuerunt hi sequentes:

Georgius Kakas senior, Simon Osdolanus, Johannes Vitus Balsaratius, Matthias Tsabai, Gregorius Molnár, Paulus Thuri, Franciscus Czegledi, Paulus Sz. Benedeki, Johannes Tsengeri, Stephanus Basilii, Claudiopolitanus, qui tandem reversus in Patriam fidem et religionem veram abjuravit, atque in castra Arianorum, perpetua cum nominis et animae jactura transfugit. Valentinus Crispus, Georgius Mód, Basilius Smigmatopoeus Debrecinus, Georgius Tordensis, Andreas Tordensis, Basilius Ratzkevi, Caspar Horvat.

Eodem anno redeunte in Patriam Georgio Kakas primo Nationis Ungaricae seniore, Vitus Balsaratius secundus in coetu senior communi suffragio eligitur, qui anno 1556 sequentes cooptavit: Michaëlem Hevesi, Andream Czegledi, Bartholomaeum Bagosi. Matthias Tsabai senior III eodem anno, sub quo sequentes in Academiam ingressi

sunt: Caspar Sylvius, Caspar Karoli, Petrus Dombrinus, Stephanus Cruciger Lascovius, Gregorius Tsikai, Franciscus Ferinus. Simon Osdolanus senior IIII qui sequentes cooptavit: Gregorium Szegedinum, Emericum Regiovillanum, Urbanum Koppanium, Johannem Hatvani, Andream Kolinum. Paulus Thuri senior V, sub quo sequentes appulerunt: Franciscus Karasznanus, qui postea in patriam regressus Christianam professionem abjuravit, et cum perpetua nominis et animae jactura in castra Arianorum transmigravit, Petrus Melius propugnator verae Religionis acerrimus, Caspar Sylvius Junior. Petrus Melius senior VI, qui antequam novos populares cooptaret in Patriam revocatus est, utique ut contra Arianos laboranti patriae succurreret. Franciscus Czegledi senior VII, sub quo hi Vitebergam accesserunt: Stephanus Eszéki, Nicolaus Veresmarti, Matthaeus Sarmaságı. Anno 1557 Stephanus Eszéki senior VIII, sub quo sequentes accesserunt: Jacobus Bessenyei, Alexander Kendi, Magnificus Dominus Praeses Regni Transylvaniae sapientissimus et Patronus meus benignissimus, M. Benedictus Ilosvanus, benignus studiorum meorum Fautor et tanquam parens colendissimus, Stephanus Mystricius. Petrus Wragovits Dombinus, Lucas Mezö Szikszovius, Stephanus Tehani, M. Lucas Szantai, Franciscus Strigoniensis, Demetrius Rimazészétsinus, Georgius Fabicius Gönczius Superintendens in Ungaria vigilantissimus, Matthias Ujhellyinus, Albertus Agriensis, Demetrius Sibolti, Emericus Huszti.

Anno 1559 Andreas Tordensis senior IX, sub quo sequentes accesserunt: Georgius Kopatsi, Simon Tsarnahoi, Betrus Bessenyei, Petrus Debrecinus, Georgius Albani de Kirkei nobilis, Johannes Okikai Nobilis.

Basilius Fabricius Szikszoviensis senior X Eodem anno sub quo hi accesserunt Magnificus Dominus Andreas Mágotsi, Patronus et Fautor studiorum studiosorumque Promotor benignissimus, Magnificus Dom. Martinus Borzoviczi Cancellarius Regni Poloniae. Anno 1560 Johannes Dam Pataki, Laurentius Liszkai, Franciscus Szakmári, Nicolaus Miskoltzi, Melchior Ablontsai, Nicolaus Agriensis, Thomas Belleinus, Lucas Tolnensis, qui in Patriam reversus atque in mea Patria Pastoris officium non sine laude sustinens, parentem Arrium imitatus, quod in publica synodo superintendens non fuerit declaratus, in castris Arrianorum diuturna cum nominis ignominia versatus, tandem resipuit. Andreas Dobai, Johannes Clypeatoris, Stephanus Marcus, Siculus Czikiensis, Lucas Miskolcinus, Benedictus Insulanus, Matthaeus Tordensis, Petrus Ilosvanus. Anno 1561 Benedictus Ketskemeti,

Demetrius Fabricius Szikszai, Emericus Tartzali, Bartholomaeus Andinus Budai, Stephanus Göntzi, Matthias Almási, Ambrosius Killeni. Anno 1562 Emericus Udvarhelyi Szilagyinus, Valentinus Hellopaeus Szikszai, Matthaeus Huszti.

Demetrius Sibolti senior XI. Eodem anno, sub quo isti, accesserunt Andreas Munkas Olaszinus, Johannes Agricola Ketskemeti, Poeta laureatus, Gregorius Szikszai, Demetrius Miskoltzi, Laurentius Szegedi.

Basilius Smigmatopoeus senior XII. Eodem anno, sub quo sequentes accesserunt Gregorius Sásvári nobilis, Emericus Sulyok nobilis, Benedictus Batizi, Johannes Zobrancsi, Paulus Szabo Varadiensis.

Demetrius Fabricius Szikszai senior XIII Anno 1563, qui de Cerimoniis, humana authoritate in Ecclesia institutis, Respondentis officium suscipiens Leges et statuta Nationis Ungaricae in coetu proposuit atque communi omnium Fratrum consensu stabilivit. Sub eodem autem sequentes Academiam sunt ingressi: Stephanus Tseleki, Michael Eszéki, Stephanus Monostori.

Michael Eszéki senior XIV. Eodem anno, sub quo hi appulerunt: Petrus Nagy Banyai, Petrus Karolinus, Petrus Tsengerinus, Nicolaus Karoli, Johannes Tsa Galanaki, Andreas Szomosfalvi, Nicolaus Galacei, Urbanus Darotzi, Johannes Tsulyak Miskoltzi. Valentinus Sajo-sz Péteri, Jacobus Thuri, Albertus Szegedi, Andreas Angriensis. Anno 1565 Michael Mohinus, Valentinus Balta, Laurentius Czegledi.

Georgius Fabricius Gönczi in secunda peregrinatione senior XV eodem anno 8 Febr. sub quo sequentes accesserunt: Caspar Fabricius Deberhegyi, Franciscus Alexandri Vedanus, Thomas de Kyssenitz Nobilis, Balthasar Szent-Mihalyi, Gregorius Szederkeni, Sigismundus Endredi. Anno 1566 Johannes Felnemeti, Ambrosius Szikszai, Johannes Heurotus Agriensis.

Valentinus Hellopoeus Szikszai senior XVI[1]), eodem anno, a quo sequentes cooptati sunt: Bartholomaeus Nagy Talyai, Antonius Talyai, Michael Paksi, Adamus Tordai, Caspar Detsi, Emericus Szánki, Stephanus Bekesi, Matthias Thuri.

Adamus Tordai senior XVII, an. 1566, a quo sequentes sunt excepti: Valentinus Eckius Barthphensis, Johannes Vetesius, an. 1567 Franciscus Kopatsi, Georgius Serrarius, Johannes Olak Szikszai, Nicolaus Monostori, Christophorus Szigeti, Michael Ungvari Cacmaeus, qui cum secundo Vittebergam honestorum studio-

---

[1]) Fuit hic filius alterius Valent. Hellopoei Pastoris Debrecinensis.

rum causa an. 1571 accessisset, vix duobus mensibus elapsis insperata morte ereptus est die 28 Maji.

Anno 1568 Johannes Vetesius senior XVIII, a quo sequentes sunt cooptati: Balthasar Thuri, Johannes Czegledi, Nicolaus Gyarmati, Petrus Lippai, qui post reditum in Patriam religionem cum vitae professione mutavit. Thomas Monos Patachinus, Paulus Puha Miskoltzi, Barrabas Szinérvári, Thomas Fabricius Mohi, Johannes Beregszaszius, Johannes Bonifacius Debrecinus, an. 1569 Antonius Szikszai, Ladislaus Rosasi, Franciscus Tartzali.

Johannes Felnemeti senior XIX, eodem anno, sub quo sequentes appulerunt: Michael Hottman Trapoldinus, Georgius Bankai, Tomas Szikszai, Thomas Szegedi, Gregorius Kállai, Joh. Anthemius Pesthi, Emericus Jasz Debreceni, Michael Varsani, Benedictus Tsanádi.

Anno 1570 Paulus Puha Miskoltzi senior XX, a quo sequentes sunt cooptati: Thomas Desinus, Valentinus Bogáts Tholnensis, Gregorius Szigeti.

Nicolaus Monostori senior XXI, eodem anno a quo hi sunt cooptati: Johannes Jó Debrecinus, Petrus Beregszaszius.

Thomas Fabricius Mohinus senior XXII eodem anno, a quo hi sunt cooptati: Thomas Kaplyanus, Joh. Telekius, an. 1571 Clemens Saarvári, Matthias Szikszai, Stephanus Crysopoeus, Matthaeus Scaricaeus Kevinus, Andreas Udvarhelinus, Michael Megimuranus, Andreas Nauclerus Tholnensis, Paulus Tsengerinus.

Georgius Bode Szigeti senior XXIII eodem anno, qui hos excepit: Gregorium Földesi, an. 1572 Matthaeum Toronaeum, Basilium Ormani, Johannem Körtvelyesi, Matthaeum Gemmaeum, et Johannem Nemetium.

Petrus Laurentius Berekszaszius senior XXIV eodem anno 10 Sept. a quo sequentes cooptati sunt: Urbanus Milopaeus Szankius, an. 1573 Melchior Turius, Johan. Berechaeus, Valentinus Fabricius Tholnensis, Nicolaus Tsitsa Biharinus, Laurentius Karantsi, Georgius Caesar Cassoviensis, An. 1574 Albertus Kállai, Matthias Szegedinus, Emericus Galfi Szeredahelinus.

Matthaeus Toronnaeus senior XXV eodem anno, a quo sequentes excepti sunt: Johannes Lascovius, Valentinus Lingelius, Tyrnaviensis, an. 1575 Ambrosius Buzas Szent Miklosinus, Ladislaus Rosasi, Paulus Motsi, Michaël Kállai, Johannes Karolinus, Andreas Bereki, Georgius Pente, Emericus Miskoltzi,

Stephanus Szepsi, Andreas Tarnotzi, Petrus Tasnadi, Vincentius Tholnensis.

Georgius Caesar Senior XXVI an. 1576 a quo sequentes sunt cooptati: Georgius Szetsi Virovicius, Ambrosius Deretskei, Joh. Szalai, Thomas Szölösi, Lucas Gyarmati, Stephanus Szikszai, Basilius Mosdofius, Emericus Szomosközi, Fabianus Piso Bellei, an. 1577 Andreas Pankotai, Paulus Szegedi, Jacobus Enyedi, Stephanus Kaposius, Georgius Szepesi, Paulus Varsani, David Sigismundus Cassoviensis, qui ad Helvetios sese transferens et post modum in Patriam reversus, post laudabilem scholae Varadinae gubernationem, ad Praesides Regni Transylvaniae Albam Juliam translatus, eximiam ingenii laudem apud omnes bonos adeptus est. Johannes Szénási, Johannes Monai, Nicolaus Czegeni.

Paulus Szegedinus senior XXVII an. 1578 a quo subsequentes cooptati sunt: Daniel Kis Doszai, Michael Karolinus, Petrus Monedulatus Lascovius, qui post modum anno 1581 3 Junii secundariam in Italiam et Galliam peregrinationem suscipiens an. 1582 rursus Vittebergam reversus, ibique semestri spatio sola librorum compingendorum gratia commoratus, a Patronis, Regni Transylvaniae Praesidibus, revocatus in Patriam rediit, Stephanus öri, Andreas Kapolneus Szalainus, Josephus Batizius, Johannes Hertzegszölösinus Matthias Piskolti, Caspar Pesthi, Petrus Vitez Tsengerinus, Paulus Montanus, Johannes Szalmadius.

Caspar Pesti Senior XXVIII eodem anno a quo sequentes recepti sunt: Gallus Katatfalvi, Martinus Szölösius, Nicolaus Iklodi, Franciscus Debreceni, Petrus Szomosközi, an. 1579 Basilius Varsani, Johannes Debrecinus.

Franciscus Debreceni senior XXIX, eodem anno, a quo hi cooptati sunt: Isaach Vásárhelinus, Johannes Toltsvai, an. 1580 Johannes Hertzegszölösius junior, qui cum ad annum XXVIII diem Aprilis 18 laudabiliter in suis studiis in Academia versatus fuisset, repentina morte, hora prima noctis abreptus est et in coemeterio Templi urbis inter scholam et Templum, utique ut ejus pietas et labor, in studiis subeundis declararetur, sepultus est, cui postea an. 1584 coetus fratrum Ungarorum exciso lapide monumentum posuit. Lucas Hodazius, Emericus Bekesius, Andreas Sárosius, Johannes Kazai, Paulus Szantai, Martinus Tornensis, Stephanus Szürtei, Paulus Szennyei, Vitus Szánki.

Stephanus Szürtei senior XXX eodem anno, a quo sequentes sunt cooptati: Michael Debrecinus, Nicolaus Gyarmati, an. 1581 Bernhardus Katnári, Johan. Sárközi, Johannes Füresz Telegdi, Isaach Fegyvernekinus, qui post laudabilem in studiis Philoso-

phicis et Theologicis cursum Heidelbergam sese conferens an. 1585 in patriam rediit, Tomas Fabricinus Tholnensis, an. 1582 Paulus Berexasius, Lucas Kotski.

Lucas Hodoszi senior XXXI eodem anno, a quo sequentes sunt adoptati: Johannes Kallovius, Stephanus Gonczius, Balthasar Szomosközius, Michael Nadudvarius, Johannes Julius. Andreas Sarosius XXXII senior, a quo Daniel Vasarhelinus cooptatus est. Johannes Kallovius senior XXXIII, a quo sequentes cooptati sunt: Johannes Siderius, an. 1583 Georgius Tardi, Johannes Peleus, Andreas Tallyai, Georgius Karolinus.

Johannes Siderius Szikszai senior XXXIIII a quo sequentes sunt cooptati: Georgius Kaposi, Stephanus Munkatsi, Andreas Karolinus, Johannes Nemethi, Franciscus Szárási Tholnensis, Stephanus Tsorba Debrecinus. Thomas Fabricius Tholnensis senior XXXV a quo sequentes sunt cooptati: Franciscus Vasarhelinus, Johannes Tsanadius, an. 1585 Johannes Literati Danoczius, Johannes Budaeus, Matthias Buza Julanus, Nicolaus Agriensis, Johannes Varsanius, Paulus Kalmantsehinus Limigius, Basilius Szepesinus.

Hac occasione atque serie, selectissima haec studiosorum Nationis Ungaricae acies ab annis septuaginta tribus in hanc Academiam excolendi ingenii gratia affluere non destitit. Hactenus Lascovius. Rari ex his fuerunt, qui non etiam alias Academias salutassent, veluti Basiliensem, Genevensem, Argentinensem, praecipue autem Heidelbergensem. Quod e Matriculis harum Academiarum, si cui tantum superfuerit otii, facile exhiberi potest. Visitabant insuper scholas in Italia, ubi praecipue studiis incumbebant Medicis, in Gallia, ubi renatae florebant fructusque ferebant Literae.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De externis in cultu sacro Cerimoniis et Liturgiis ad cultum pertinentibus aliisque quibusdam Ritibus in Ecclesia receptis.

§ 1. Salus Filiorum Dei externis alligati ceremoniis non est, ideoque in verbo suo earum modos Deus non determinavit. Neque etiam determinare voluit, nam variant Regna in quibus Ecclesia Christo colligitur, variant eorum leges, consuetudines, vivendi modus et ratio regiminis,

in iis igitur sua semper Ecclesia Christi gavisa est secundum rerum publicarum consuetudines libertate. Hujusmodi sunt festa, externae in cultu sacro cerimoniae, modus administrationis sacramentorum, exercitium disciplinae Ecclesiasticae, funerandi ratio &c. De quibus aliquid hic interserendum qualiter in Ecclesiis Hungaricis observentur.

1. De Diebus Festis.

§ II. Ultimus Festorum apud Christianos finis est Gloria Dei, seu Numinis celebratio, quae non consistit in externa pompa et cultu variis ritibus peragendo, verum in accurata verbi divini praedicatione, legitima sacramentorum administratione, adoratione Dei, Hymnis sacris, Beneficiorum Divinorum cum gratiarum actione commemoratione, et aliarum virtutum gymnasio ac honesto pietatis cultu.

Equidem Deus Festa in Novo Testamento positive non mandavit, prout fidelibus veteris Testamenti imposuerat; ea tamen observare in Ecclesia non tantum est licitum, sed etiam necessarium. Ad enarranda enim et perdiscenda Dei beneficia erga Ecclesiam praestita tempus requiritur et occasio, quae alia melior esse non potest, quam feriarum solemnitas. Erudiri debent ad mysteria Redemtionis etiam hebetiores; fit hoc optime in his diebus anniversariis ad hunc finem deputatis. Fuerunt ergo semper in Ecclesia Novi Testamenti dies ad hos fines observati, de quibus Christiani ita cum Augustino: Non tempora observamus, sed quae illis significantur vel aguntur temporibus[1]).

§ III. Gentilium Festa, bono equidem fine, at exitu noxio, Christiani sensim receperunt: nomina eorum commutantes martyrum ac confessorum nominibus ex consilio Gregorii Magni, qui ita suadebat: Festa Paganorum sensim in Christiana sunt commutanda, et quaedam ad eorum similitudinem facienda, ut facilius fidei Christianae accedant[2]). Cum tempore enim evenit, ut Festa in iis acta factaque Gentilium consuetudini accommodarent. Tempore, quod antecessit Reformationem, in Ecclesiam ratione quoque Festorum plurimi erant invecti abusus, tot enim celebrabantur dies festi in honorem Martyrum, confessorum, Virginum &c, vix ut sufficiens necessariis ad vitae sustentationem quaerendis tempus superesset. Substantiam quoque cultus divini collocabant in abstinendo a laboribus ac processionibus de loco in locum in honorem hujus vel illius sancti sanctaeve, ubi sapius eveniebant loco sanctitatis scandala et cultu pietatis actus

---

[1]) Confer hic Epist. Dedicatoriam Steph. Gelei praemissam volumini primo de mysterio Redemtionis vernacule Váltság Titka.

[2]) LIB. IX Epist. 71.

impii. Tempore Reformationis Principes Christiani simul cum Ministris verbi unanimi consensu tales abusus clam in Ecclesiam invectos facessere jusserunt; loco suo relinquentes Festa, solum in memoriam Redemtionis per Christum praestitae celebrari solita ad recordationem Beneficiorum Dei.

§ IV. Hungari Reformati Festa pari modo sanctis dicata aboleverunt, in Ecclesia vero receptos ab antiquo dies ad Dei beneficiorum commemorationem retinuerunt. Articulus de Festis Synodaliter conclusus anno 1566 ita est: Dies Dominici cum Festis Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes in libertate Spiritus retineantur, Col. II. Rom. VIII. Alii dies sanctorum silentio praetermittantur[1]). Articulus vero anni 1576 ita est: Festivitates sanctorum praeter diem Dominicum (quia nec Salvator noster instituit, nec Apostoli ejus scriptis tradiderunt) nos ad Papistas relegamus. Festivitates tamen Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis et Adventus Spiritus Sancti observandos esse decrevimus. Severe etiam interdixerunt omnes actus illicitos et rusticos diebus Festis, ut directe ad quaerendam animi salutem converterentur; ita concludunt: Quemadmodum prophani dies dicati sunt laboribus corporalibus quibus victum aliaque vitae necessaria quaerat populus, ita festus dies sancte fuit institutus, quo idem populus a curis liber, Deo ac verbo ejus et Sacramentis, hoc est, divino cultui, vacaret. Idcirco cum nunc feriis magis irritetur, quam placetur, ira Dei, ob otia, fastus, ebrietates, jurgia, saltationes, ludos, quibus vitiis ille ut plurimum prophanatur, Populo universo severe interdicimus, ut talibus relictis totum se Deo consecret, ac dies festos sancte celebret, quemadmodum Deus praecepit audiendo verbum Dei, orando tam in Templo quam domi privatim. Quin et Pastores assidue suas Ecclesias monere oportet, ut populus his asuescat[2]). His Pietatis actibus exercendis complectuntur Reformati Festorum celebrationem. Legibus etiam Regni statutum ita[3]): Festum Diei Dominicae aut hebdomadale sanctificetur, similiter tria Festa in Ecclesia recepta solemnia observentur cum solito in iis cultu divino. Modus Festa imminentia significandi ille est observatus, ut campanis vesperi praecedentis diei signum daretur a populo jam notum,

[1]) Hist. Reform. pag. 135.
[2]) Hist. Reform. pag. 283.
[3]) Approb. Const. Part. 1. Tit. 1. Articul. XII.

aut die Dominico praecedenti e cathedra Minister verbi Dei publicaret.

§ V. Dum de Festis hic ageremus, ex occasione memoramus Lutheranos praeter Festa jam dicta a Reformatis observari solita observare etiam Festum B. M. V. et Apostolorum honori consecrata. Minuere volentes Festorum numerum anno 1578 die x Julii Synodum celebrantes Ministri concluserunt, ut dies Petri et Pauli item Jacobi Apostolorum ratione habita rusticorum operum prorsus tollerentur, aliorum vero ex parte observarentur; ita scilicet, ut peracto cultu matutino solemniter in Templo liberum sit opera rustica exequi. Festa vero illa quae Reformati observarent in totum observarentur.

Inventi sunt quidam, qui contradicerent, ne vel tantillum sententiae Reformatorum accessisse viderentur, quorum sententiam egregie casu ingruens adjuvit tempestas. Accidit enim ut die S. Jacobo Apostolo dicato grando insolita vineis ac segetibus calamitatem in tota Provincia induceret prorsus miserandam [1]). Rustici rerum ignari Ministrorum decretum accusantes et abolitionem Festorum Ministris sese opponebant, qui coacti sunt suum revocare conclusum, praeter Barcenses, ex quorum praecipue intentione erat immutata Festorum ratio. Hi in aliis quoque cerimoniis externis discrepabant a caeteris Saxonibus. Coronae enim confessio auricularis non fuit, nec candelae in administratione sacrae coenae accendebantur, neque tempore baptismi infantum exorcismus exercebatur; omnia vero haec Cibinii in usu erant [2]). Discrepantiae ratio ea est, quia Honterus Coronensium et Barcensium Reformator Basileae in Helvetia didicerat, indeque formam ac modum Reformationis acceperat. Aliae Saxonum Ecclesiae, sequentes Vittebergensium consuetudinem, eas tantum aboleverunt cerimonias, quae aperte erant scandalosae. Segesvarienses quoque cum Köhalmensibus parum discrepabant a Reformatis tam in doctrinalibus, quam in ritualibus, at cum tempore arctius unionem inierunt cum aliis Saxonibus, ne e gremio nationis Saxonicae ejicerentur, quod anno 1616 minitabantur [3]).

2. De externis in cultu Divino cerimoniis.

§ VI. Religio Hungarorum Reform. et cultus sacer absque omni fere cerimonia est, prouti fuit Ecclesiae Apostolicae et Primitivae. Haec tamen differentia est, quod in Ecclesia Primitiva et Apostolorum non erant campanae ad convocandum populum, neque templa ad cultum sacrum. Templa enim erigi coepta sunt seculo quarto a temporibus Constantini Magni; Campanae diu post ejus tempora, quae recte ad cultum

[1]) Haner Hist. Eccl. pag. 301, 302.

[2]) Smeizel de Statu Eccl. L. pag. 68 et MSS. Soterii.

[3]) Extant Acta Synodalia anni 1616.

sacrum applicata sunt. Ad sonitum campanae confluit populus in Templum, ubi non organis musicis perstrepit, sed ore et corde e psalmis Davidicis concinit Deo gloriam tribuendo. Minister vero tanquam Ecclesiae ad Deum Legatus praeit precibus apud Deum; vicissim Dei vice fungitur ad populum verba ejus proponendo. Professis diebus singulis bis mane et vesperi ad preces communes peragendas et hymnos publice decantandos in Templum coitur. Eas Ministri doctiores et exercitatiores ex occasione et pro re nata concipiunt, alii formulas sequuntur. Die Dominico bis itidem concio habetur, vesperi secundum scita Canonum ex Catechesi Palatina materia aliqua tractatur.

3. De Cantu in Sacro Cultu.

§ VII. *Cantus in usu fuit.* — Naturae conditor naturali Musica hominem instruxit, quae efficax est ad affectus domandos, ad fervorem erga Deum, misericordiam erga proximum excitandum. Musicam naturalem dicimus Cantum; quod autem hinc originem habet et hanc imitatur per instrumenta Musicam Artificialem, quam primum prophani nepos Caini Jubal invenisse perhibetur. Primus in orbe cantor sicut et homo fuit Adam, qui dum peccato se maculavit, ex mente Rabbinorum, psalmos poenitentiales per plures annos lamentando cecinit. Apparet ex cantu Mosis, Mariae, Annae, Deborae, B. M. Virginis et psalmis CL Davidis, quibus ab olim utitur Ecclesia Dei, cultus Divini praecipuam esse partem gratiarum actionem, ejus vero cor et animam Psalmos ac Hymnos.

Fuit in usu semper in Ecclesia Novi Testamenti cultus per cantica et hymnos. Ipse Mediator comesto agno Paschali ac coena peracta simul cum discipulis laudes Dei cecinit. Paulus ita de canticis instruit Col. III. 16: Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes et commonentes vosmet ipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus Deo. Plinius, Proconsul Asiae, Trajano Imperatori scribit, quod post diligentem etiam inquisitionem non aliud Christianorum scelus potuit detegere. Affirmabant, inquit, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire CARMENQUE CHRISTO QUASI DEO, DICERE SECUM INVICEM, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent[1]). De celebratione Nominis Divini per cantica Augustinus ita loquitur, tanquam quae in Ecclesia semper extiterit[2]). Cum tempore in Ecclesia omnia in deteriora

---

[1]) Lib. X. Epist. 97.
[1]) Confess. Lib. IX. Cap. 7.

sunt mutata, cantus quoque tunc abiit in abusum, ut loco psalmorum et hymnorum concinerentur laudes excellentium virorum et saepe per ignorantiam scelestissimorum nebulonum.

§ VIII. Exorto apud Hungaros Reformationis lumine, extemplo non solum doctrina, sed etiam cultus divinus de variis abusibus coepit restaurari. Stephanus Szekely Bentzedi, qui visitaverat etiam scholas exteras, hymnos antiquos Hungarica civitate donavit, et alios pro ratione temporis adjunxit, quos edidit Cracoviae in Polonia anno 1536, dedicavitque immortalis memoriae viro Petro de Peren. Tandem etiam in vernaculum transtulit psalmos CL Davidis anno 1548 ediditque ibidem offerendo Lucae Gavai militari prudentia praedito [1]). Plurimi ex Reformatoribus composuerunt pro occasione et statu Ecclesiarum, item ad Festa cantiones suavissimas, quibus hodiedum in publico et privato cultu utimur. Praecipui ex antiquis sunt, quorum nomina celebrantur de Cantionibus: Michael Sztárai, Matthias Biro Devai, Gallus Huszar, Andreas Batizi, Petrus Bornemiszsza, Petrus Melius, Blasius Radán, Stephanus Kis Szegedinus S. S. T. D., Matthaeus Kevi de Skaritza, Caspar Magotsi, L. Baro, Gregorius Szegedi, Valentinus Tolnai &c.

§ IX. Regnante in Transylvania gloriosae memoriae principe Gabriele Bethlen, Johannes Dajka de Keserü superintendens cantiones in ordinem redegit, Threnos Jeremiae, Historiam Passionis Christi et plurimos hymnos, notis pro ea aetate receptis conformavit, ita quoque Psalmos CL Davidicos, at Rhytmis non ligavit. Volumen illud Cantionum Princeps Gabriel Bethlen per suum scribam expeditissimum in maxima forma describi, nitidissime compingi, aureisque bullis exornari curavit. Successor ejus Princeps Georgius Rákotzi typis fecit describi in optima Pappyro, forma maxima nitidissime. Impressa sunt exemplaria ducenta non amplius, quae pretio distracta non sunt, sed munificentiam erga Ecclesias declarare volens Princeps donavit Ecclesiis eminentioribus [2]), Praefationem Graduali (ita titulum libri designarunt a gradibus Musices, quibus cantiones aptatae erant) praemissam Princeps ipse ita claudit: Scripsi Albae Juliae in sede Principali die VIII Junii an. 1636, aetatis meae in hac Mundi palestra peractae quadragesimo, Regiminis hujus et Principatus mei sexagesimo sexto mense. Prodiit ergo istud cantionum volumen cura Stephani K. Gelei Episcopi, et sumptibus Georgii Rákotzi Senioris.

§ X. Tres viri sapientissimi Psalmos Davidicos ut suavissime cantarentur in eam formam commutarunt: Theodorus Beza, Pastor et

---

[1]) Liber tunc editus est ad manus.

[2]) Gelei in Epist. Dedicatoria.

Professor Genevensis, Theologus, Philologus et Poeta insignis, centum ex Psalmis versibus illigavit; Clemens Marotus, Minister secularis Francisci Primi Galliae Regis, quinquaginta rythmis aptavit; quos tandem omnes Claudius Gaudimelus clavibus Musices conformavit. Fuit hic Gaudimelus Musicus Parisiensis excellentissimus, cui par ea aetate per totam Europam non habebatur; verum ob Religionem Reformatam, quam profitebatur, die XXIV Augusti an. 1572 in nuptiis Thyesteis Parisiensibus, in quibus gloriabantur plus sanguinis quam vini effusum esse, occisus est. LXX millia hominum ibi et in vicinia ob Religionem crudeli morte sublata sunt per Romanenses, prout celebris Historicus Thuanus memoriae prodidit [1]). Omnes hi tres erant Galli, qui operam dederant psalmis in ordinem et claves redigendis, hinc et Melodia apud alias nationis dicta est Gallica.

§ XI. Aliae quoque nationes animadvertentes psalmorum ad musicen conformatorum suavitatem ad delectandum, efficaciam ad excitandum, et in quovis animi morbo praesens remedium in linguis suis ad has claves ordinarunt Gallicas. Ita Angli, Belgae, Hispani, Itali, Bohemi, Germani, Poloni. Hungari cum essent adhuc hoc thesauro destituti, Albertus Molnar, Szentziensis, scholae tunc in Palatinatu Oppenheimiensis Rector, rhytmis Hungaricis complexos psalmos addidit editioni Bibliorum anno 1607, prouti ex versibus in hujus memoriam a Joanne Farkasfalvi Filitzki Hungarice editis psalmisque rhytmicis hodiedum praemitti solitis apparet.

Rhytmi hi a Molnare compositi non statim sunt recepti in Ecclesiis. Populus enim asueverat antiquis illis ac a Reformatoribus compositis cantionibus. Transylvani tamen ocyus, Hungarienses serius admiserunt. At tandem lapsu temporis clavibus asuefacti ultro Ecclesiis placuit. Qui se opponebant causabantur deesse in psalmis cantiones occasionales v. g. ad Festa, ad Funerationes &c. Media via hic est optima ita psalmis adhaerere, ne interim hymni et cantiones ad occasiones compositae negligantur. Ita quoque sentiebat Synodus Szathmar Németiensis, tam antiquiores cantus, quam psalmos ad melodias Gallicas concinnatos admittendo [2]).

Oportet quoque praecentorem in coetu esse cautum ac circumspectum, ne tempore luctus jubilos canat, tempore vero publicae pacis et laetitiae threnos lessumque moduletur. Hinc est quod hodie Threnos Jeremiae non lamentemur, cum nobis ob Christi triumphum super satanam gaudendum est. Nec decet nos lamentari ob eversionem politiae Judaicae, cum illa obstaret Christi regno propagando; destructa semel Jerosolymam amplius

---

[1]) Histor. sui tempor. Lib. LII. Laeti Compend. Hist. pag. 440.
[2]) Conclusione XI in Actis Synodi.

Christiani prudentiores in terra non respectant. Quando tamen publica sunt in Regno Dei judicia prudenter accommodari possunt.

§ XII. Hymnis adjungi solet cantus Te Deum laudamus tempore Jubili occasione victoriae cani solitus. Vocatur etiam cantus Ambrosianus de Ambrosio Episcopo Mediolanensi anno post Christum natum 397 mortuo. Traditio talis est: cum Ambrosius Augustinum antea Manichaeum baptizaret, ambo repleti spiritu ad auditum populi circumstantis alternatim cecinerunt. Ambrosius recitavit versum primum, Augustinus secundum, tertium Ambrosius atque ita alternando ad finem usque. Merito alii dubitant, deferuntque soli Ambrosio, alii Sisebuto, alii Nicetae Monacho [1]). Quisquis autor fuerit, cantio est elegans.

§ XIII. *Literae Stephani Tsengeri.* — In cultu sacro apud Reformatos Hungaros ille ordo observabatur, ut inchoarent et clauderent cum cantu cultum sacrum, ita ut populo in locum sacri cultus conveniente praecentor Invocationem seu Adjutorium primum, mox ex Psalmis vel Hymnis cecinit *. Minister verbi cathedram conscendens, peregit preces, concionem, et iis finitis benedicens populo descendit e cathedra, cantor cantu clausit cultum. In Belgio alia observatur methodus; ibi enim conveniente populo in unum Minister V. D. conscendit cathedram, designat cantum canendum, quem incipit praecentor canitque cum populo, Pastor concionaturus stat interea in cathedra, mox preces orditur, sequitur concio, finita ea et precibus, cantor canit, Minister benedicit populo atque ita claudit cultum sacrum coetusque dissolvitur. Hunc morem Stephanus Tsengeri ex Pastore Fagarasiensi Pastor Enyedensis Tractus Senior, Professor et Curator Collegii, Principi Transylvaniae et Proceribus charissimus, multum suasit, receptusque est in Ecclesia Enyediensi et aliis quibusdam ea forte aetate. Epistolam de his suis conatibus bene longam dedit ad clarissimum virum Joannem Dadai Pastorem Küküllövariensem et generalem Synodi Notarium, in qua mentem suam fuse explicat, quam hic subjiciemus.

Vir Reverende ac clarissime! Proxime elapsa Synodo generali rationes breviter consignatas, quibus in cultu Dei publico per brevem precationem psalmique ante et post concionem orationemque solennem canendi indicationem inchoando et finiendo, nitor, me tibi missurum receperam: tarditati quam varia mihi obstacula pepererunt ignoscas atque rationum, quae jam mitto, momenta in timore Dei absque praejudicio perpendas vehementer a te contendo.

Primo itaque cur ita faciam Genevensis aliarumque Gallicarum Ecclesiarum praxi excitatus, hoc me movet, quia certus sum ex scriptura,

---

[1]) Hofman in Voce Hymnus.
* cecinerit (ed.)

Pastorem Ecclesiae Dei esse ejusdem Praesidem, qui non tantum nosse, sed et curare debet diligenter, quomodo sit versandum in domo Dei; nam Praesidis veri est, non solum medium sed etiam initium ac finem actionis publicae ac legitimae istius societatis, cui dirigendae praefectus est, modo ac ordine conveniente gubernare. Vel itaque cultus Dei publicus non est actio Ecclesiae publica et legitima, vel sacra ejus inceptio et finitio, cantusque in ipso apud nos administrari solitus non est ejusdem pars: vel revera de natura rei est, ut Pastor Ecclesiae, tanquam ejusdem Praeses, illius cultum publicum convenienter inchoet et finiat.

Deinde totus Dei in Ecclesia publicus cultus est actio publica, vel in nomine Dei ad populum, vel in nomine populi ad Deum, perficienda. Atqui hoc totum quicquid est, quoad rei directionem exemplaremque tum inchoationem, tum continuationem, tum finitionem, sicut ex verae Religionis praescriptis, ita ex omnium vere Theologorum consensu est officium Ministro verbi Dei injunctum. Porro totus Dei cultus publicus non solum quoad internam Spiritus S. directionem, sed et quoad externam mediorum et actuum cultui inservientium adhibitionem, debet esse sacratus, tum quatenus Deo, tum quatenus ejus populo in publico cultu publice benedicendum est. Atqui utriusque hujus benedictionis directio et administratio, est functio verbi Dei Ministro in solidum divinitus attributa. Num: VI. 23, 24. 2 Chron. XXX. 27. Nehem. VIII. 7.

Praeterea cultus divini publice peragendi reverentia idem evincit ex parte tum Pastorum tum Auditorum. Annon enim indigne tractabit verbi Minister eam cultus divini partem, quam ipse ductu et exemplo suo convenienti regere in nomine divino palam consecrare, pro illius excellentia juste aestimare aliisque juste aestimandam docere atque ostendere dedignatur? quasi oratio in cantu publici cultus aut ejusdem pars non esset, aut non esset unius cum solenni oratione soluta cumque verbi praedicatione sanctitatis et dignitatis, quoad suam naturam, ut tum vocalem tum exemplarem Ministri verbi Dei consecrationem atque directionem mereatur, quasi ad totum Dei cultum publicum aeque ac ad solennem precationem ac praedicationem auxilium Dei publicitus ab ipso vel petere vel cum gratiarum actione excipere esset noxium ac ignominiosum. Similiter cum populus noster cantionem publicam cultus, solenni tum solutae orationi tum verbi praedicationi apud nos praemitti subnectique solitam, non tam pro publici cultus parte, quam pro opportunitate hominum melius in coetum Ecclesiasticum congregandorum, indeque segregandorum reputet ac observet, multum sane reverentiae cultus derogat, in quo errore ut plurimum ipse confirmatur, si ritus ille totum Dei cultum publicum incipiens et finiens non tantum omittatur, sed et mordicus sicuti fit damnetur: ita vicissim corrigetur, si seriae

et verae de isto negotio institutioni exemplaris quoque verbi ministrorum directio et conformis gestus subjungatur. Caeterum tam ordo, quam decorum cultus publici id postulat, ut res a Deo ad eum publice peragendum instituta adhibeantur ea ratione, quae ipsarum dignitati cultusque nobilitati conveniat. Atqui et cultus dignitati et rerum divinarum in cultu publico versandarum majestati magis congruit, ut totum Dei cultum publicum Pastoris benedictio, consecratio et directio exemplaris prima incipiat, ultima vero concludat et finiat, ne aliquae cultus partes intermediae ea destituantur; alioquin enim publicus Dei cultus non secus administrari videtur, quam si Paterfamilias prima et ultima mensae suae fercula nihil curans, medium sui convivii tantum inciperet et finiret per precationem et gratiarum actionem consentaneam.

Ad haec quae conscientia de rebus fidei rectius informata negare ausit si alicubi maxime in cultu publico id oportere a nobis observari, ut quod ibi seu dicto, sive facto agendum est, id fiat in nomine Jesu Christi, et quidem tanto illustrius et strictius, quanto publicus cultus anteit privatum? jam vero cuilibet rationi per sanguinem Christi sanatae, modo recte attendat, conspicuum est, illustrius et strictius administrari cultum publicum in nomine Christi, si ille per publicam Pastoris benedictionem et consecrationem Christianam plebi exemplarem inchoetur et finiatur publice, quam si ille ritus omittatur; quid enim? an precando ex suggestu publice totum Dei cultum consecrare, populo benedicere Deoque gratias agere in initio et termino cultus publici, non est illustrius ac cultus severitati accomodatius, quam id non facere solum, sed et ita facientes malitiose criminari.

Ad extremum aedificatio Ecclesiae requirit ut cultus Dei publicus in omnibus suis partibus quantum fieri potest sit aequabilis, auditorumque profectui in sapientia et observantia spirituali proportionalis. At vero apud nos, omisso ritu illo, aedificatio Ecclesiae vix quaeritur et attenditur in cantu, tum quia absque indicatione publica populum dirigente simul et semel ex suggestu, nescitur a populo in quo Deus hymno sit celebrandus, tum quia nostri Cantores et scholarum rectores, quibus directio cantus vulgo incumbit, saepissime canunt inconvenienter in coetu Ecclesiae vel imprudentia vel impudentia et praesenti rerum statui et loci temporis personarumque cultui divino tunc recte inhiantium circumstantiis et denique dissertationibus de facto instituendis loco benedictionum maledicendo cantumque ita protrahendo, ut major temporis cultui inservientis pars potiori Ecclesiae institutioni subtrahatur sicque Pastorum concio et solennis oratio cum taedio minorique quam oporteret fructu audiatur.

Sed jam operae pretium est videre et perpendere in timore Domini, quid contra opponi soleat et possit. Et quidem primo damnatur ritus

jam ita demonstratus, quia Majorum nostrorum exemplo carere, receptaeque antiquitus consuetudini probatae repugnare videtur? Verum enim vero cum totus cultus noster divinus debeat esse rationalis, ritum in cultu Dei fundamentis ac exemplis scripturae sacrae suffultum, consuetudo hominum tantum abest ut remorari debeat, ut potius ipsa (quatenus ordini divino insultat, praescribit, eumque prae se non solum contemnit, sed et contumaciter redarguit) et Deo ingrata et Deum colentibus infrugifera esse ab ipsomet Christo pronunciatur. Sicut enim rectae in Politia leges non consuetudine sola, sed ratione niti debent; ita omnes cultus divini partes et ritus praxi scripturae sunt metiendae. Neque tamen hoc ipso ritus apud nos ante observatus tanquam malus damnatur, modo instar oraculi iis, qui meliorem observare possunt et volunt legitime ne obtrudatur, sicut nec ob prioris bonitatem posterior hic proscribi meretur. Nam ex bonitatis gradibus sicut melius praestat bono, neque tamen ipsum per hoc reddit malum, ita bonum meliori debet cedere. Hinc videre est scandalum quoque ex ritus prioris omissione posteriorisque hujus observatione praetensum non magis atque consuetudinem objectam urgere, quia ritus ille, qui pro fonte scandali reputatur, cum non sit peccatum alios vel male inficiens, vel a bono retrahens, verum ordo fundamentis et exemplis scripturae s. stabilitus, scandalum inde non est datum sed acceptum, quod nihil potest remorari veritatem apud eos, qui veritatis Domino servire contendunt. Si quis dicat etiam sine ritu illo posse cultum Dei salutariter perfici, adeoque non esse necessum ipsum urgere? Respondeo, posse quidem, sed ex scripturae edicto teneri nos, non tantum ea, quae sunt ad salutem absolute necessaria, verum etiam illa, quae ad decorum et aedificationem Ecclesiae juxta scripturam facere; praeter superiora vel hoc unum ostendit, quia benedictus cultus et populi ordinaria publice peragenda primo et ultimo non in alienam personam devolvitur, sed ab ea, cui id facere divinitus est commissum peragitur. Verum hic regeritur: In Vet. quoque Test. cantus directionem in coetu ecclesiastico non sacerdotum sed cantorum fuisse, atque adeo neque nunc aliter faciendum esse? Ast ad hoc respondeo id, quod cantores illi tum Doctores Prophetaeque tum denique ex tribu Levi, penes quem erat sacerdotium, fuerint, sicuti perspicuum est ex 1 Chron. XXIII, 2, 3, 4; XXV, 2, 3, 5, 6, 7; 2 Chron. XX, 19, 20; XXIX, 26, 27. At nostri cantores ex censu Sacerdotum, Prophetarum et Doctorum Ecclesiae non sunt. Unde merito retorquetur illud argumentum, si quidem in locum Sacerdotum, Doctorum et Prophetarum V. T. in N. T. successerunt verbi Ministri et non alii &c.

Stephanus Csengeri.

Quae magno molimine vir doctissimus moliebatur in effectum deducere non potuit; nam gravi tot negotiorum pondere pressus et oppressus obiit anno 1671. Mos ille antiquior receptus in pluribus remansit Ecclesiis.

Cantiones in Templo cantari solitas varii diversis temporibus in ordinem redegerunt. Novissime fecit in Transylvania Stephanus Gyula Szigeti, qui per tres et viginti annos in Collegio N. Enyedensi munere Professoris Theologiae et Linguae Sanctae functus mortuus tandem an. 1740 tanquam Ecclesiarum in Transylvania Superintendens. Cantiones vero veris suis Melodiis per ipsum adaptatae prodierunt Claudiopoli an. 1744.

4. De modo administrandi Baptismum.

§ XIV. In Baptismo Reformati e postliminio reduxerunt Apostolicam simplicitatem, abstinentes ab omnibus inventis et additionibus humanis et actibus superstitiosis, veluti sunt exorcismus, immixtio salis et olei in aquam &c quae equidem prioris aevi Christiani in symbolum rerum spiritualium ex proprio ingenio receperant, at cum tempore in superstitionem degenerarunt ideoque relinqui poterant. Ordinarunt ergo ita ut Baptismus peragatur ab ordinario verbi Divini Ministro in loco cultus sacri publico, ni aliud necessitas postulet, aqua simplici et pura, recitatis verbis institutionis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Baptismus mulieribus concessus non est, cum Apostolus eas removit a praedicatione verbi Dei et tota Christianitas ab administratione coenae Domini, quae non minus est sacramentum. Susceptores ex usu antiquorum et susceptrices admittuntur. Liber Baptismalis quo nomina baptizatorum referrentur, curiose requirebatur. Canones de administratione Baptismi in Ecclesia apud Transylvanos sunt sequentes:

Baptismus imprimis administrandus est absque ullis superstitiosis ritibus, sacrilega temeritate assutis, conciuncula praemissa, juxta formam a Christo ejus authore praescriptam, in nomen Patris, Filii et Spiritus Sancti, cum affusione aquae purae ac simplicis. Ordinarie quidem semper in loco publico Dei cultui destinato post conciones, aut preces matutinas quovis die sine discrimine, praesentibus si non pluribus saltem Patre infantis ac susceptoribus seu sponsoribus. Extraordinarie tamen et in casu necessitatis morbi lethalis vel persecutionis quovis loco honesto tamen et tempore infantes baptizari possunt ac debent. Alioqui si ob spontaneam quorundam Ministrorum negligentiam infans aliquis sine baptismo decesserit, dignam Ecclesiae censuram sustinebunt. Utut namque Baptismus aquae absolute ad salutem necessarius non sit, neque tamen ritus quoque indifferens est, ac proinde nulla ratione, cum tempus et occasio favet, negligi debet, ne excessu evitato in defectum impingatur. Medium itaque in hoc tenere beatum.

Quoniam vero Baptismus est sacramentum nostri in foedus Dei receptionis ac cum Christo unionis, Baptismus infantium nostrorum diu non est differendus. sed quantocyus fieri poterit, eo tingendi ac initiandi sunt, ut foedus illud Dei et unio cum Christo salutaris in ipsis sacratissima ea cerimonia obsignetur. Alioqui Baptismum suorum infantum, ob frivolas aliquas causas protelantes, si interea mori eos contingat, gravem Ecclesiae animadversionem experientur.

Adulti ex Judaismo vel Mahumetismo ad Christum conversi non prius ad Baptismum sunt admittendi, quam in fidei Christianae rudimentis sint instituti. Oportet enim eos priorem suum errorem publice confiteri, sicut Judaei a Johanne baptizati peccata sua confitebantur; veritatem agnitam autem profiteri, sicut Philippus Eunucho dicebat: si credis ex toto corde, licet tibi baptizari. Et in ea se finaliter perseveraturos vitamque piam ac Evangelio dignam victuros coram personis honoratis seu testibus ac sponsoribus sancte vovere ac promittere, ne quo modo et ipsi Ministris baptizantibus, haud secus ac Simon Magus Apostolis, illudant.

Potestatem administrandi Baptismum solis iis Christus contulit, quibus praedicationem Evangelii commisit, Apostolis videlicet, et veris eorum successoribus, utpote Pastoribus legitime vocatis et ordinatis; conjunxit enim haec duo: Docete et Baptizate. Quocirca mulieribus ut loqui et docere in Ecclesia, ita baptizare quoque non permittitur; sunt enim illa conjuncta [1]). Idem de viris quoque secularibus intellegendum. Quaecunque igitur et quicunque temere, in fictitio etiam illo necessitatis casu, quem falsa de absoluta Baptismi ad salutem necessitate opinio peperit, citra vocationem, baptizandi jus et facultatem sibi vindicarint, solenniter excommunicentur et ab iis baptizati, pro non baptizatis habiti, a Ministro Ecclesiae legitime baptizentur [2]).

5. De modo administrandi Sacramentum Eucharistiae.

§ XV. In administratione etiam Sacramenti Eucharistiae absciderunt omnes cerimonias antiquis legibus et usu non roboratas quae superstitiosum reddebant sacrum hunc ritum atque deturpabant, veluti auricularem requirere confessionem, accendere luminaria, induere albas. Reformati requirebant, ut communicandos Minister verbi priusquam ad sacram synaxin accederent severe examinaret in vitam et mores eorum inquirendo, diligenter doceret finem usumque sacramenti demonstrando, ut

---

[1]) Consilium Regium Locumtenentiale in Hungaria anno 1742 die 15 Septembris severe edixit Helveticae Confessioni addictis Ministris, ne obstetrices a baptizandis infantibus in casu necessitatis arceantur; imo ut id facerent admoneantur sub gravi animadversione Regia.

[2]) Canones LV, LVI, LVII, LVIII.

ita indoctos erudiret, animo contritos quorum genua labascerent consolaretur; qui imparati essent et ad Deum vera poenitentia non conversi, eos adhortaretur et cum omni condolentia ad conversionem perduceret[3]).

De Zingaris ita concluserunt: Cinganis autem seu Amorraeis, quia verbi et sacramentorum contemptores sunt, administrationem utriusque Sacramenti interdicimus, donec conversionem manifeste probaverint[1]).

Pane azymone an fermentato administrarent diu satis controvertebant? In Papismo assueverant azymo: Lutheri quoque asseclae retinuerant eandem formam panis orbicularem, quidam etiam ex Reformatis eundem sequebantur ab initio ritum. Verum ostensum est, aptius esse symbolum Corporis Christi nutritivum panem et usualem, quam illum arborum foliis similem, qui Missae magis congruebat.

Molestae tandem in Synodo Szikszoviana anno 1568 controversiae finis impositus est. Unanimi enim Ministrorum et Magnatum consensu conclusum est, ut pane fermentato, qui est in usu communi, administraretur[2]). Quam sententiam deinceps quoque in Synodis confirmarunt[3]) ac perpetuo Reformati Hungari retinuerunt, ut Christi sanguinem vini, corpus vero panis communis symbolo exhiberent.

Canones de sacra coena isti sunt Ecclesiastici.

1. Coenae quoque Dominicae administratio legitima debet a solis verbi Dei ministris publico Ecclesiae testimonio emissis et quidem tempore antemeridiano publice in frequenti auditorio stantibus e mensa juxta institutionem Christi Domini absque omni mutatione et mutilatione, sub utraque specie, pane nimirum communi ac nutritivo, non vero pappyraceis illis orbiculis massae infermentatae, ferro calefacto et fere candenti tostis, qui panis nomine minime sunt, et vino puro ac simplici, nullo alio liquore adulterato, fractum panem sigillatim communicantibus in manus praebendo, ac calicem iisdem omnibus nemine excepto porrigendo, ut panem manu acceptum edant, et vinum ex poculo accepto bibant. Dictum enim est: Bibite ex hoc omnes, absque ulla eaque stulta vel transsubstantiationis opinione, ad gratam mortis Christi commemorationem, adque fidei suae de fractione corporis et effusione sanguinis Christi in remissionem peccatorum ipsorum confirmationem, nec non gratitudinis suae erga Christum, pro tantis tamque inaestimabilibus beneficiis erga se collatis debitae, testificationem.

---

[3]) Histor. Ref. pag. 291. 703, 704.
[1]) Hist. Refor. pag. 300.
[2]) Superius in capite de Synodis.
[3]) Docent Canones sequentes Ecclesiastici Synodaliter confirmati.

2. Quia coena Domini est sacramentum spiritualis nostri in coetu Ecclesiae, cui per baptismum insiti sumus, nutritionis, ideo non satis est ea non semel tantum uti. Quemadmodum infantibus satis quidem est semel nasci, sed non est satis semel tantum vesci; ita adultis quoque sufficit quidem semel renasci, cujus sacrum signum est baptismus, sed non sufficit semel duntaxat spiritualiter ali, verum opus est, ut quamdiu vivunt tam diu sic alantur, ut nutriantur.

Nutrimentum autem illud spirituale praeter verbum Dei est corpus et sanguis Christi, cujus sacratissimum symbolum est coena Domini. Oportet igitur eos illa frequentius uti juxta illa verba ejusdem Christi: Quotiescunque ederitis panem hunc, quotiescunque biberitis poculum hoc. Ad minimum ergo publice et ordinarie sexies in anno sacramentum coena administrari in Ecclesiis nostris solet: 1 In festo Nativitatis Christi, 2 Dominica Quadragesima, 3 in festo Paschatis, 4 in festo Pentecostes, 5 Dominica undecima post Trinitatis, 6 denique Dominico Adventus, ut sic sacrum istud institutum nec frequentiori usu vilescat nec vero rariori contemni videatur. Secus facientes, nisi justis rationibus se excusare possint, prima quidem vice corripiendi, secunda autem, si omnino contumacia ducti sacram hanc Eucharistiam toties administrare praetermiserint, ad generalem usque Synodum deponendi sunt.

3. Extraordinarie tamen privatim quoque clinicis seu aegrotis, lecto affixis iisque fidei infirmioris impense efflagitantibus, communio sacra haud deneganda est, iis praesertim locis, in quibus reliquiae adhuc quaedam Papismi supersunt, vel ubi orthodoxi cum Papistis mixtim habitant; modo ne id in ordinarium usum vel potius abusum abeat, neve solis ipsis, sed Ecclesiolae ex domesticis ac vicinis tempestive monitis collectae simul administretur, nec denique cum opinione operis operati, tanquam viaticum quoddam morientibus absolute necessarium, sed ad fidem tantummodo ipsorum languidam, in extremo cum gravissimis morbi lethalis doloribus ac satanae tentationibus agone, corroborandam.

4. Quoniam ab iis, qui ad sacram corporis et sanguinis Christi communionem accessuri sunt, probatio sui tam stricte tamque necessario requiritur, ut quicunque sine ea irreverenter ad mensam Domini accesserint, corporis et sanguinis illius non solum non participes, sed rei potius fient, ac proinde non nisi judicium sibi edent ac bibent. Ideoque Pastoribus sacramentum coenae administraturis octiduo ante publice praesignificandum, ac serio intimandum erit, ut mature quilibet sese debita cum reverentia, vera fide ac animi pietate, studioque novae vitae praeparent, atque eundem in finem pridie ante communionem extraordinarie praeparatoriam concionem instituant, in qua mysterium sacrae coenae auditoribus suis perspicue edisserant ac serium poenitentiae studium

inculcent, Catechumenorum autem recenter communicare volentium vitam, mores et profectum in doctrina fidei, quantum fieri potest, diligentissime examinent eosque qui digni judicati fuerint admittant, qui vero indigni rejiciant ac in aliud tempus, donec rectius instituti fuerint, communionem eorum differant. A Peregrinis autem, qui aliunde in Ecclesias ipsorum advenerunt, suspectis praesertim, literas testimoniales de veritate confessionis ac probitate vitae exigant.

5. Pueros itaque rationis expertes, ut et fatuos, qui judicio seipsos probandi non pollent, nec discernere corpus Domini sciunt, non baptizatos item, ut et excommunicatos tanquam a communione Christi et Ecclesiae alienos; in summa: flagitiosos quosvis utpote blasphemos, perjuros, veneficos, incantatores, et qui eorum incantationibus utuntur, homicidas, adulteros, scortatores, fures, foeneratores, qui nimirum usuram mordentem exercent, ebriosos, iracundos, contentiosos, implacabiles, omnes denique notorios ac scandalosos peccatores, eosque impoenitentes a sacris elementis, alimentisque solis fidelibus a Christo institutis, Ministri Ecclesiarum solenni praemonitione ante distributionem coenae Dominicae arcere, ac dehortari debent, ne grave tum sibi ipsis, tum a se admissis judicium et condemnationem accersant. Sibi quidem, quod sanctum scientes canibus offerunt, si enim inscii faciant excusati sunt; admissis autem, quod sacra indigne sumentes profanant inque corpus et sanguinem Christi peccant.

6. Recenter etiam ex Papismo, Samosatenianismo, Lutheranismo, Ruthenismo, Walachismo conversi, non prius ad sacrum hoc epulum admitti debent, quam privatim Pastorem Ecclesiae adierint, ac priorem suum errorem coram eo ac Presbyteris, si forte sint, confessi objurarint, recantarintque veritatem autem agnitam ac receptam professi constantemque suam in ea perseverantiam sancte testati sint ac spoponderint [1]).

6. De Negotiis Matrimonialibus.

§ XVI. Matrimoniorum cura directe non respiciebat V. D. Ministros sed Rempublicam et politiam. Verum ad evitanda scandala ab antiquis rerum Moderatoribus et Christianis Imperatoribus ita ordinatum est, ut legitimum conjugium sit interventu Ministri Dei, qui Neogamis Benedictionem a Deo exoret. In concilio Carthaginensi anno 398 ita decretum est: Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a Parentibus et Paranymphis offerantur. Hormisdae Pontificis Romani conclusum anno 514 editum tale est: Nullus fidelis cujuscumque conditionis sit occulte nuptias faciat, sed

[1]) Canones Ecclesiastici LIX, LX, LXI, LXII, LXIII, LXIV.

Benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino[1]). Ante seculum quintum in publicam et universalem legem apud Christianos non abierat, ut Neogami a Ministro V. D. copularentur, quamvis Tertullianus ita ad uxorem observetur loqui: Matrimonium Ecclesia conciliat, oblatio confirmat, et obsignatum Angeli renunciant, Pater pro rato habet[2]). Honestas, pax et decus Ecclesiae requirebat, ut palam et non occulte conjugia inirent, unde eorum indicatio a Tertulliano etiam dicitur Professio Nuptiarum.

§ XVII. Servatus est ille ordo apud Reformatos etiam in Hungaria et Transylvania, ut Minister verbi Neogamos fide copularet, de quo ita anno 1576 in Synodo concluserant: Juramentum inter contrahentes matrimonium, quia nec regulam veritatis excedit in nostris Ecclesiis servandum esse statuimus. Ita et Dominus Ecclesiam suam quae Sponsa vocatur, fide sibi copulavit. Ezech. XVI. Hos. II. Mal. II[3]). Priusquam fidei vinculo conjungerentur in loco publico nomina eorum sunt proclamata: quae publica Proclamatio citationis loco hic est adversus incertum contradictorem, qui si nunc taceat, jus omne ad eos, qui vinculo matrimonii conjuncti sunt, in futurum amittat[4]). Quae circa matrimonia Hungari observent, ea satis Canones Ecclesiastici hic describendi explicant; alia igitur huc corradere supersedemus. Ita illi sunt, quibus sese adstrinxerunt:

1. Antequam Ecclesiastae neogamos more solito copulaverint, debebunt prius praecedenti die Dominico, a concione matutina coram universo coetu eos (exceptis Magnatibus) proclamare et si quid obstaculi, quod eorum connubium impedire posset, a quoquam ad ipsos relatum fuerit, copulationem differant, donec se ex eo rite expediverint. Advenas autem et ignotos secus nulla ratione copulent, nisi testimoniales de sua tum libertate tum probitate ac honestate produxerint. Alias qui iis posthabitis temere personas ejusmodi conjunxerint, quas postea vel non liberas vel non honestas fuisse innotuerit, verbis imprimis acriter corripiendi, post vero, si idem contumaciter attentaverint, deponendi etiam sunt.

2. Personas ergo publico vel Dioeceseos alicujus vel Synodi Generalis judicio ad tempus in vinculum viduitatis vel coelibatus justissime conjectas et nondum solutas vel denique vulgo infames sive ob infidelem desertionem sive ob scortationem ac illegitimum congressum, quicunque Ecclesiastarum ex certa scientia in gratiam saltem quorundam aut propter munusculum aliquod copulaverint, tanquam temerarii constitutionis Eccle-

---

[1]) In Corpore Juris Canonici, Causa XXX. Q. V. Cap. II.
[2]) Lib. II ad uxorem.
[3]) Histor. Ref. pag. 289.
[4]) Boehmer in Jure Protestantium Eccl. Tom. III. pag. 1282.

siasticae violatores ac turpis simoniacique lucri cupidi, non solum de ministerio sacro aliquamdiu dejiciatur *, verum etiam e communi fidelium coetu solenniter excommunicentur, ac non nisi post publice actam poenitentiam ea conditione recipiantur, ut si denuo et quidem studio in eundem lapidem impegerint, in perpetuum sine ulla reassumptionis spe deponantur. Ii similiter, quibus publico Ecclesiae decreto vel omnino nubendi potestas adempta, vel saltem ne huic vel illi nubant interdictum est, si temeritate ducti, vel per diversae sectae ministros vel vero per nostrates pecunia corruptos, se copulari fecerint, solenniter excommunicandi sunt.

3. Copulatio novorum conjugum, usu jam antiquitus apud nos recepto eoque in scripturis sacris fundato, solenni ac corporali (ut vocant) juramento mediante, fieri debet et quidem in templo aut si id desit, quovis alio publici cultus loco, a concione vel precibus matutinis, ordinarie quidem diebus Martis vel Mercurii at casibus extraordinariis ita exposcentibus reliquis quoque (sabbatis ac Dominicis exceptis) septimanae diebus. Ea tamen conditione, ne vel sponsalia vel nuptiae diebus Dominicis celebrentur, quod serio publica etiam Regni constitutione prohibetur, ne nimirum dies Domino nostro Jesu Christo sacer, ebrietate, luxuria, saltationibus, aliisque nequitiis in conviviis nuptialibus exerceri solitis, summa cum Dei indignatione profanetur sicque dies Christi in diem Bacchi et Veneris sacrilege convertatur.

Vitandum studiosissime est quoque, ne longe ante tempus nuptiarum copulatio fiat: periculum namque est, ne interea temporis jam copulati vel consuescant, vel vero dissidium ac animorum abalienatio inter illos oboriatur, ob quam libenti postea, si liceret, animo dissociarentur, ac proinde Ecclesiae grave admodum negotium facessant. Quicunque igitur alterutra harum circumstantiarum aliquibus, praesertim mediocris conditionis hominibus, privato suo ausu sine speciali Inspectorum indulsu, aliquid gratificati fuerint, sacro ministerio ad Synodum usque generalem ipsis interdicendum erit.

4. Gradus consanguinitatis nubentium antequam copulentur solicite investigandus est, ne quid contra decorum aut honestatem committatur in eo; namque non modo quid liceat, sed etiam quid deceat, diligenter perpendendum. Quocirca etiamsi in tertio et quarto conjugia scriptura non interdicit, tamen ne offendiculum praebeatur infirmis ex antiqua gentis nostrae consuetudine, ad quartum usque cognationis totidemque affinitatis gradum inclusive, conjugium nobis est prohibitum. Proinde nemo ministrorum propria sua praesumtione, ea sanguinis vel affinitatis propinquitate junctos copulare sub amissione officii et honore * ausit.

---

* dejiciantur (ed.)
* honoris (ed.)

5. Aetatis etiam ac habilitatis matrimonium contrahentium diligens habenda ratio ideoque impuberes nequaquam, sed mares XVIII, virgines autem XIV demum exeunte anno ad minimum copulandi sunt. Contrarium rei bene conscii temere facientes, annua depositione mulctandi sunt.

6. Paritas quoque et aequalitas in conjugibus maxime requiritur. Dispares ergo et inaequales utpote juvenculae aut virgines XIV vel XV annorum, cum viris nimis grandaevis: eo vero magis vetulae, in quibus jam natura cessavit, cum juvenibus 20 vel 25 annos natis copula fidei consociari sub gravi Ecclesiae censura vetantur; quandoquidem in talibus conjugiis proles praecipuus conjugii finis sperari minime poterit.

7. Conjugium quidem omne juxta sententiam Christi adulterium dissolvit, adeo ut pars innocens, ac fidem conjugalem intemerate servans, adulterae cohabitare invita non teneatur; nubendi tamen alii facultas ei secus non conceditur, nisi conjugem suum adulterum vel adulteram in foro civili via juris prosecutus vel prosequuta fuerit, eumque vel eam pro sua virili digno supplicio affici curaverit. Alias adulter vel adultera impune manebit, contra expressum Dei mandatum: Adulter et adultera moriantur, et vicissim vivente adhuc marito vel uxore priore, alii nubet, atque sic tum ipse, vel ipsa, tum vero is vel ea cui nupserit, quandiu ille vel illa vixerit, juxta pronunciatam Christi magistri sententiam moechabuntur. Interim tamen si pars innocens partem ream in foro civili criminaliter persecuta fuerit, et vel Magistratus justitiam administrare neglexerit vel vero pars rea e vinculis quoquo modo, absque tamen partis innocentis culpa, evaserit, eo ipso in tali casu insons jure merito absolvi ac ad alias nuptias transmitti, pars vero rea usque ad mortem illius in vinculum viduitatis conjici debet.

8. Praeterea aliam quoque divortii causam Apostolus indigitat, discessionem videlicet, vel desertionem infidelem, licet de diversae tantum religionis conjugibus illic specifice loquatur, ut infidelis, id est, ethnicus vel ethnica, Judaeus vel Judaea, haereticus vel haeretica, fidelem, hoc est, Christianum suum maritum, vel Christianam uxorem, deseruerit, et illi cohabitare ob solam religionem noluerit, non erit frater aut soror sub vinculo servitutis infidelis illius retinendus sed absolvendus, infideli tamen interim, si commode fieri poterit, infidelitatis poenam luente.

9. Ob quasvis igitur alias causas, divortium inter praesentes conjuges nobis edicto illo Christi: Quos Deus conjunxit, homo ne separet, facere cautum est. Inter presentes, inquam, nam si alteruter aufugerit, ob crimen praesertim aliquod capitale, cujus reditus sperari vix poterit: pars deserta curriculo quadriennii aut quinquennii, pro qualitate rei evoluto, e vinculo desertoris vel desertricis eliberabitur et ad secundas nuptias transmittetur. Inter quos copula carnalis ob frigiditatem vel

aliam quamvis inhabilitatem, nulla intercessit, nullum etiam conjugium inter eos fuit, ac proinde neque divortium ullum si separentur erit.

10. Repudia quoque, postquam sponsalia rite sunt celebrata, levibus de causis fieri haud permittuntur, et licet nemo ad alicui nubendum invitus sit cogendus, nisi tamen justam ac sufficientem repudiati hujus vel illius, cui jam arrham futuri conjugii dedit, causam assignare potuerit, si non ulterius vel saltem eousque contrahendo matrimonio prohibebitur. donec a se repudiatus vel repudiata alii nupserit[1]).

7. De mortuorum Sepultura.

§ XVII. Funerum deductiones cadaverumque Sepulturae ad officia Ministrorum Dei, in se spectatae, non pertinent, prouti in Belgio ea cura non gravantur. Factum est autem inde, ut cura sepulturae ipsorum ministerio alligaretur, quoniam apud Paganos Praeficae conducebantur quae naenias lallarent et funera in deductione comitantes lamentarentur. Quam consuetudinem Justinianus Imperator apud Christianos ita ordinavit, ut loco naeniarum in funerum deductione canerentur Psalmi. Anastasius autem Imperator constituit, ut virgines octo cum Ecclesiasticis quibusdam funus deducerent, quae si Psalmos canere non valerent, Kyrie eleison, Kriste eleison[2]). Inde cantus ille et ministerium ordini incubuit Ecclesiastico. cum illiterati et idiotae ad canendum essent inhabiles.

§ XVIII. Apud Reformatos in Hung. et Transylvania modus funerandi ille est observatus, ut ubi quis exspiraverit sonitu campanarum significatur. Ubi terrae corpus est mandandum, itidem ad campanae sonitum ad aedes defuncti concurritur, ubi Praecentor Ecclesiae Psalmum poenitentialem aut cantionem occasioni conformatam funeralem canit. V. D. Minister pro occasione concionem habet, populumque exemplo ejus de caducitate hujus vitae commonet et ad pietatem exercendam adhortatur. Variis olim et sumptuosis Magnatum apud Hungaros sepulturae peragebantur cerimoniis, ubi arma, insignia Gentilitia, equi phaleris orientalibus ornati &c ostentabantur, convivia lautissima summis et imis non tam ad satietatem quam ad ostentationem exhibebantur. Quae ex parte concidi coepit et modus profussionis nulli profuturae poni. — Canon Ministris ab olim praepositus, cum eorum consuetudinem explicet, hic dandus est; qui ita sonat:

„Fidelium corpora, quae olim spiritus sancti fuere templa et organa, ab animabus soluta in coemeteriis extra oppida ac pagos sitis (exceptis Patronis primi nominis gentilitio jure in Templis vel sacellis sepelliri

---

[1]) Canon. Ecclesiastici a. LXV ad LXXIV.

[2]) Rechemberg in Hierolex. in voce Cantus Funebr.

solitis) honorifice sunt sepellienda: pulsu nimirum campanarum moderato, cantu decenti, et concione exequiali, juxta limitationem jam ab Ecclesia factam, adhibitis. Ita ut pro vulgaribus defunctis quaterni pulsus dentur, primus indicatorius, secundus admonitorius, tertius convocatorius, quartus denique deductorius, iique duo praesertim priores non nimis longe protracti, tertius tamen longiuscule, quartus autem tam diu donec funus in sepulchretum deducatur. Pro honoratioribus autem, si eorum sepultura differatur, bini uno quoque die, unus ante, alter post meridiem.

Concio autem in funeribus mediocris fortunae hominum, sive nobilium sive ignobilium, una tantum, in eminentiori vero statu et conditione constitutorum nobilium, ut et Judicum primariorum in oppidis ac civitatibus celebrioribus nec non Ministrorum verbi, si desideratum fuerit, duae, una ad domum luctus, altera autem in loco sepulturae. In exequiis denique Magnatum, Baronum, supremorum Officialium ac Generosorum in eodem cum iis censu habendorum, si omnino urserint, quatuor ad summum instituendae sunt. Una nimirum, dum moriuntur et induti expanduntur, altera, dum in loculum ponuntur, duae autem reliquae, dum sepulturae traduntur, quarum etiam altera ante vel intra aedes funereas, altera vero in sepulcreto. Quibus si secus fieri noluerint, orationes quoque duae, seu Latinae, seu vernaculae debito modo compositae addi possunt, exceptis rhytmiculis illis nugacibus, quos in perpetuum abrogavimus. Quicunque Ministrorum in his quoque modum temere excesserint, gravem Ecclesiae objurgationem merebuntur. Si qui vero auditorum tot pulsibus haud contenti campanas violenter invaserint, ac pro suo lubitu quantum voluerint pulsaverint, nec Pastor, nec Rector cum suis studentibus funeribus illorum interesse tenebuntur.

Notoriis maleficis sine poenitentia decedentibus ut et excommunicatis legitimeque supplicio affectis, nullis honor exequialis deferendus; sed sepultura asini extra coemeterium fidelium sepelliendi sunt: vel eo ipso peccatoribus contumacibus terror incutiatur" [1]).

8. De exclusione impoenitentium a coetu et admissione poenitentium.

§ XIX. Nullus in terra tam perfectus exstitit Fidelium coetus, cui non plures immixti fuerint infideles ac scelerati. Ne igitur Ecclesia Dei in Synagogam satanae degeneraret, summopere necessaria est disciplina Ecclesiastica, cujus interventu blasphemi, perjuri, fures, moechi, homicidae veluti sentinae societatis abominandae e coetu fidelium expurgarentur. De modo cum scandalosis agendi canon ab olim Ministris praepositus hic est:

---

[1]) Canone Ecclesiastico LXXVI, LXXVII.

„Scandalosos postquam bis terve eos, tum privatim, tum publice Ministri ex verbo Dei praemonuerint corripuerintque et nihil effecerint, sed iis se inemendabiles prorsus impoenitentesque declaraverint, juxta praescriptionem Christi Domini ad Ecclesiam et totam Classem, seu Dioecesin deferant; quae postea illos, frustra iterum admonitos, haud secus ac ethnicos et Publicanos, solenniter e coetu publico, mediantibus ipsis excludit. Poenitentes vero, ac gratiam humiliter implorantes publico itidem ejusdem Dioeceseos consensu in communionem Ecclesiae admittantur.

Manifeste autem sceleratos, si qui tales esse certo comperiantur, etiam absque praemonitione, ac ulteriori dilatione juxta modalitatem in Canone specificatam, a coetu sacro arcebit, quin imo, si id pro facti vel dicti atrocitate commeruerint, etiam excommunicabit, Satanaeque tradet ad interitum carnis, ut Spiritus illorum in die illo Domini Jesu salvus fiat.

Quorum vero delictum nondum certo constiterit, sed suspecti solummodo ab quorundam mussitationem vel etiam criminationem eo nomine exstiterint (ut et ii qui non studio praedeliberato vel destinata malitia, verum vel ex ignorantia vel pro sui defensione vel quodvis alio casu contingenti homicidium vel quodvis aliud scelus patraverint) non illico a sacra congregatione amovebuntur; sed prius admonebuntur certusque illis terminus praefigetur, intra quem se ab illa infamia coram judicibus suis competentibus expurgent. Ad cujus majorem fidem ac certitudinem Synodus particularis literas quoque testimoniales sub authentico Dioecesis sigillo iis tradet, quibus exhibitis ac perlectis domini officiales cujuscunque ordinis causas eorum ante omnes alias assumere ac dirimere teneantur; ne ob longiorem dilationem ac processum, negotium illorum cum scandalo infirmorum in suspenso maneat, vel vero Ecclesia diuturnioris morae ac procrastinationis pertaesa eos cum jactura ac laesione existimationis, gravamineque animae ipsorum tandem excludere cogantur.

Nulli itaque singulari personae, sive sit unius saltem Ecclesiae Minister, sive plurium inspector, licet quemquam utut facinorosissimum privata sua authoritate, citra amissionem officii, a sacris arcere, eoque minus solenniter cum exsecratione excommunicare, ut et poenitentem denuo in Ecclesiam recipere, sed utriusque tum minoris tum majoris excommunicationis atque absolutionis jus atque potestas penes Synodum, illius quidem penes partialem, hujus vero penes generalem, esto"[1]).

§ XX. Posteaquam et Minister et Ecclesia Synodusque res suas cum delinquente et scandaloso, modo in Canone praescripto, peregerint, ille tamen nulla verae ad Deum conversionis et poenitentiae ediderit signa, Minister eum e Cathedra e coetu exclusum proclamat in hunc sensum:

---

¹) Canon Ecclesiast. XLIV.

Charissimi Fratres! Notum est vobis (proh dolor) quomodo quidam de nostro coetu N. N. nomine Ecclesiam nostram scandalo offenderit perpetrando N. vel N. qui etsi a me Pastore suo privatim est admonitus non semel sed aliquoties et apud senatum Ecclesiasticum convictus est de suo flagitio quod vobis etiam publica fama innotuit, manet tamen contumax et rebellis, nec ulla penitudine sui flagitii tangitur. Quapropter cum se a spirituali corporis Christi communione absciderit, nec admonitus et objurgatus resipiscat, Ego Minister Evangelii authoritate et mandato Christi, Vobis mecum in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis declaro istum N. qui ita se subjecit satanae exclusum esse ab Ecclesia Filii Dei, ac eum fugiendum tanquam Ethnicum pronuncio in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Jam vos fratres dilecti cavete ne commercium habeatis cum isto. Sit vobis donec resipiscat veluti ethnicus et Publicanus, qui sua culpa jus civitatis Christianae ac familiae Dei amisit, ut vel isto pacto eum tandem flagitii sui pudeat ac resipiscat. Vos insuper oro ut vigiletis et oretis, ne Diabolus aliquem vestrum simili laqueo capiat, atque caveatis ab istius consortio ne ejus veneno inficiamini. Neque tamen ut inimicum eum ducatis, sed admonete subinde ut resipiscat[1]).

§ XXI. Qui poenitentia peccatorum ductus Ecclesiam exoravit, publice itidem receptus in loco sacri cultus publico, si peccatum fuerit manifestum; si vero fuerit occultum, clam reconciliatio peragi potuit. Poenitens constitutus in coetu coram suggestu, propositae sunt illi sequentes Quaestiones:

1. An fateatur a se commissum, quod illi objectum est, cujusque nomine publice accusatur?
2. An peccati commissi eum poeniteat, quod et voce et signis testabitur?
3. An cupiat redire in amicitiam cum Ecclesia, quam scandalo laeserat et cupiat absolutionem?
4. An serio constituerit adjuvante Deo, vitam suam emendare et an hoc se facturum promittat?
5. An serio ab Ecclesia petat veniam?

Tum reus ad populum conversus ita loquitur: Ego, miser peccator, fateor me Deum et Ecclesiam meo peccato offendisse. Quare vos rogo omnes, ut mihi hunc meum lapsum propter Christum condonetis: promitto, adjuvante Deo, emendationem. Addit Minister admonitionem, de voluntate Dei recipientis

---

[1]) Histor. Refor. pag. 708.

peccatores, et de gaudio, quod est Angelis in coelo super uno peccatore poenitentiam agente et hortabitur populum, ut ex animo ignoscat, quod commissum est jubebitque, ut cum Angelis Dei gaudeant, quod qui perditus erat redierit. His peractis interrogabit Pastor confitentem, an vere statuat Deum sibi remittere peccatum suum? et cum respondet vere se id credere, jubebit Pastor ut genua flectat poenitens ac ita eum absolvat:

Ego Minister Dei in Evangelio Jesu Christi, authoritate Evangelii et mandato Christi, te poenitentem et confugientem ad misericordiam Dei propter Christum, pronuncio receptum esse in gratiam a Deo, et te absolutum in omnibus peccatis tuis; testor in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Vade et noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius fiat[1]).

Qui poenitentiam apud Hungaros agebant, in signum humiliationis suae vestes lugubres induebant; de qua consuetudine Synodalis extat conclusio anni 1576 facta in haec verba: Disciplina Ecclesiastica cum ex germanis verae Ecclesiae notis una sit, et sine ea vera Ecclesia consistere non possit, quae a Christo ordinata et Apostolis observata sit, in Ecclesiam revocetur, et ab omnibus Ministris fideliter servetur et exerceatur. Fuit autem usitatum in Novo Testamento (Ecclesia Primitiva) pollutos atrocibus et manifestis sceleribus cum se recipi peterent collocari in certo loco Templi spectandos in veste lugubri. Ideo decernimus communi consensu ut in omnibus Ecclesiis sint sedes poenitentiales et vestes lugubres vel atratae, partim ad alios commonefaciendos et terrendos, ut similes lapsus vitent, partim ut sint exploratio quaedam an poenitentes serio petant se recipi. Qui huic piae et sanctae antiquitatis consuetudini non paruerint privandos Ministris judicamus[2]). Merito antiqui severitatem in Disciplina Ecclesiastica observabant exercendam; est enim ea alter murus Ecclesiae aheneus, quae si tollatur, omnia sursum deorsumque improbitas agitabit ac evertet.

---

[1]) Nunc in praxi ita est; fuit et olim. Hist. Reform. pag. 707.

[2]) Histor. Reform. pag. 300.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De origine Scholarum in genere, et earum statu circa Reformationem apud Hungaros.

§ I. *Origo scholarum.* — Prima scholarum origo referenda est ad Familiarum ortum et Rerum publicarum originem. Homines enim indocti nascuntur, qui a suis Genitoribus aeque bene omnes erudiri ob vitae tollerandae difficultates non possunt, neque ad societatis, cujus membra sunt, conservandae ministeria commode formari. Coacti sunt igitur Parentes in societatibus humanis et rebus publicis tacito consensu, aut etiam elicito actu pro educandis liberis probatae fidei, doctrinae et morum eligere informatorem, veluti communem Patrem, cui hac in parte Jus suum paternum communicarent. Antiqui diligentissime attendebant ut in hunc finem honestissimus deligeretur instructor, ne teneri liberorum animi aliquid imbiberent Reipublicae Familiaeque noxium, verum ad communitatis emolumentum formarentur.

§ II. *Scholae apud Judacos.* — *Scholae apud Gentiles.* — Judaei fabulatores adtribuunt scholas Mathuselae longuaevo, Noacho duplicis Mundi incolae, Semo Noachi filio excellentis pietatis viro. Potest quoque admitti eos informatores fuisse liberorum ac posterorum suorum cum longaevam adeo vixissent vitam.

Certum est scholarum Magistros fuisse Samuelem, Eliam, Elisaeum et alios ex Prophetis plurimos, quorum discipuli dicebantur Prophetarum filii. Saulo, qui postea factus est Paulus, informator contigerat Gamaliël, celebris ea aetate Legis Doctor. Celebres habuerunt Academias Judaei etiam post fata Politiae suae, veluti Tiberiade in Palestina et Pombeditana fuit in Babylonia. Semper scholarum apud eos cura fuit maxima; hodieque ubi sedes ibi et scholas pro liberis imbuendis habent.

Erigebantur et observabantur scholae etiam apud Gentiles: in iisque Doctores secundioris famae immunitate donabantur et magno in pretio erant. Isocrati in annuum minerval discipuli singillatim centum quinquaginta Thaleros dependebant. Charus hic adeo apud auditores erat, ut unicam orationem suam vendiderit XX Talentis, id est, XVIII millibus Thalerorum. Celeberrima erat schola Platonis, qui docebat in Academia loco amoeno prope Athenas unde remansit ea nomenclatio, ut majores scholae Privilegiisque ornatae vocarentur Academiae. Discipulus erat hujus Aristoteles vir tanta eruditione, ut Philippus Rex Macedoniae gratias Diis immortalibus ageret ut ejus aetate filium Alexandrum sibi

nasci voluerunt *, cui informando Aristoteles praeficeretur. Quoniam vero juventus in schola in unum colligitur, inde apud Latinos coetus societatis scholasticae dicitur Collegium.

§ III. *Scholae apud Christianos.* — Sub Imperatoribus Christianis erant quidem scholae variae, at privatae magis quam publicae. Quae tandem ob continuas bellorum vicissitudines et variarum gentium incursiones non solum neglectae, sed et prorsus desolatae sunt, ita ut profunda ignorantiae caligine omnia involverentur. Pauci erant qui ingenia excolerent; sed et qui culturam admitterent paucissimi. Carolus Magnus divinitus seculo nono in hunc finem datus est, ut fugientes a Christianis Musas revocaret ac retineret. Ille enim variis locis scholas erexit, quibus fideles praeposuit Moderatores, diligentibus et dignis premia promisit, indignis et fucis opprobria minatus. Nobili ortos prosapia ad officia publica in Politia et Ecclesia, si diligentes sese exhibuerint in Palestra literaria, cum gaudio promovit, indignos et negligentes cum indignatione removit.

§ IV. *Scholae post Reformationem.* — Seculo duodecimo Waldenses ex Gallia per Europam dispersi magna cum cura suos erudiebant liberos. Eorum exemplo Helveti, Germani, Angli, Bohemi, aliaeque excitatae nationes scholas passim erigebant. Tandem tempore Reformationis, qui Romano Pontifici nuncium miserant, claustra Monachorum et Monialium ubi praeter Miserere canere, corpus tantum saginabant, transformarunt in officinas literarias, ubi tenera juventus Dei dicata ad Dei gloriam educaretur; proventibus vero informatores intertenerentur. Imo pii Proceres et rerum Moderatores cum animadvertissent, ex defectu scholarum ortam esse profundam istam et late grassantem barbariem atque etiam scandalosas superstitiones, magnis impendiis Gymnasia pro animis et pietate excolenda constituerunt. Quae plurima sunt in omnibus Protestantium Provinciis et florent omnium facultatum studiis.

§ V. *Scholae in Transylvania.* — Imitati alios Protestantes Reformati in Hungaria ac Transylvania de scholis literariis erant soliciti. Eluxit in hoc labor et cura praecipue inclyti Herois Petri Petrovitzii, qui sub Isabella Locumtenens Regius in Transylvania erat. Sub regimine ejus communi Regnicolarum decreto Religiosi e Claustris dimissi sunt et Claustra in scholas ubi commoditas ferebat versa. Huic deferri debet scholae Claudiopolitanae erectio, ubi ea aetate Academici erant scholae Magistri. Gregorius Molnar Hebraice, Graece Latineque doctissimus et in aliis gravioribus scientiis excultus, cujus Grammatica Latina hodiedum in usu est apud quam plurimos, mortuus tandem anno 1558 [1]). Hunc excepit in scholarchatu Petrus Karolius vir in omni scientiarum

---

* voluerint (ed).

[1]) Herman in Annalibus Ecclesiasticis ad an. 1558 MSS.

genere clarissimus, qui primus detexit Francisci Davidis in Religione exorbitantias et haeresin de sacra Triade, quam etiam refutavit doctissimo tractatu edito Vittebergae 1569. Factus tandem Pastor et Professor Varadiensis, Episcopus cisTibiscanus. Edidit varia ingenii sui monumenta: Grammaticam Graecam, Tractatum de sanctissima Trinitate, conciones in Symbolum Apostolicum et alia. Illi discedenti machinationibus Blandratae et Davidis substitutus est Joannes Sommerus, poëta insignis, literatore ximius, at corruptissimae doctrinae vir, qui non tantum sacrosanctam Trinitatem, sed etiam carnis resurrectionem negabat [1]. Baptismum autem infantilem errorem vocabat infantium [2]. Hujus opera effectum est, ut non schola tantum Claudiopolitana, sed etiam magna Ecclesiae in Transylvania pars abnegaret sacrum Trinitatis dogma: peste tandem cum et ille haeresi sua plurimos infecerat, repente cum omni familia sublatus [3]. Eam scholam Claudiopoli rursus jam incolunt ab aliquo tempore Monachi, cum vi adempta et illis adtributa esset. Insignes erant scholae in omnibus fere oppidis et civitatibus uti Albae Juliae, Engedini, M. Vásarhellyini, Udvarhelyini, K. Vásarhellyini, in Szent György.

Et apud Saxones Cibinii, Schesburgi, Sabesii, Medie, Bistricii, Rupibus et praecipue Brassoviae fundata ab Hontero simul cum Typographia et Bibliotheca instructissima.

§ VI. *Scholae in Hung.* — In Hungaria a prima Reformatione floruit schola Patakiensis fundatore Petro de Peren, quam filius quoque Gabriel fundis auxit et stabilivit. Deficiente ea familia sub cura Reformati Herois Stephani Dobo, qui Wajvodatum etiam in Transylvania sub Ferdinando gesserat, floruit. Post vero fata ejus Sara Sulyok vidua et Filius Franciscus collegio nutritios se exhibebant [4]. Intertenebant hic lectissimos viros et literatissimos Professores quibus cura juventutis educandae incumberet.

Venit Dominium Patakense et insimul cura scholae ad Familiam Lorandfi, sub cujus nutricatu in tantum excreverat ut ex vicinis Regnis, Bohemia, Moravia, Silesia, Polonia, frequentes acciperet alumnos.

Debrecini quoque a Reformatione statim schola est erecta, uti credere par est, a Familia Török de Ening, cujus tum possessio erat Debrecinum. Varadini quoque illustre erat Gymnasium ad occupationem usque per Turcas. In Civitatibus praecipuis et Urbibus Magistri scholarum in Germaniae Academiis exculti linguam Latinam, Graecam, Philosophiam Theologiamque docebant; ita Rivulini, Thasnadini, Szathmarini, in

---

[1] Socinus in epistol. ad Radecium III. pag. 172.

[2] Extat ejus Declamatio adversus Baptismum infantum.

[3] Czwittinger in Lit. Hungar. pag. 363.

[4] Fabricius Szikszovius in Oratione super Joan. Vitum Balsaratium.

Tokaj, Mad, Tallya, Cassovia, Göntz, Ketskemet, Papa, Tata, Tolna, Lascovia florentissimae erant scholae, in quibus ad Politica et Ecclesiastica formabantur ministeria felicius obeunda ingenui adolescentes.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Controversiis inter Lutheranos atque Reformatos hac aetate agitatis.

§ I. Inter Lutheranos ac Reformatos tempore Reformationis non erat ita odiosum ac ulcerosum discidium, quos etsi discrepantes quaedam sententiae dividerent, tollerabant tamen se invicem amicabiliter et ferebant christiane. Nam in fidei fundamento, convenientissima erat inter istos unio. Justificationem peccatoris coram Deo esse ob Christi meritum fide apprehensum; eamque bonis operibus declarari. In materia S. Eucharistiae Theologi Helveti, Argentinenses &c, imo ipse Philippus Melanchthon discordes erant, in opere tamen Domini concordiam exercebant.

Ita quoque apud Hungarienses et Transylvanos erat ut in externis ritibus ac cerimoniis discrepantes disceptabant at odio internecivo sese non prosequebantur. Hungari Reformati quasdam cerimonias ad tempus cum Lutheranis retinebant, veluti in administratione Eucharistiae cum pane azymo et circa ritus celebrandarum Nuptiarum[1]). E Saxonibus Segesvarienses Rupenses in doctrinalibus concordabant cum Reformatis, in cerimonialibus externis conformabant se cum Cibiniensibus, Brassovienses vero et Barcenses in externis ritibus Reformatis prope accedebant, quoniam typum Reformationis acceperant ex Helvetia per Honterum[2]).

§ II. Qui in Hungaria lampada verbi Divini circumtulerunt primi, ac eam illustrare coeperunt, eandem, quae tandem comprehensa et edita est in confessione Helvetica, profitebantur doctrinam. Erant enim illi Hussitae, qui in variis Hungariae angulis latebant. Simon Gryneus jam anno 1523 Budae in Hungaria incarceratus ob saniorem doctrinam, unus erat ex iis, qui confessionem eam composuerunt, quae tandem de

---

[1]) elucet ex Agendis C. Heltai antiquissimis.

[2]) Soterii nota ad Smeizel de Statu Luth. pag. 68. Item Acta Synodalia an. 1615, 1615, MSS.

Helvetia dicta est Helvetica. Qui in Barovia Civitatem Tolna circa annum 1526 reformavit, erat discipulus Jacobi Fabri Stapulensis in Gallia, qui ante Lutherum scholas ibi restaurabat et doctrinam. Matthias Devai, Reformator variarum in Hungaria partium, in negotio sacramenti Coenae Domini Lutherum non sequebatur, sed eam quae in Helvetica comprehensa est confessionem. Stephanus Szegedinus, Melius &c pure erant Reformati.

§ III. Disputare de coena Domini aggressi sunt: Num corpus Christi sit praesens modo sacramentali, an vero proprie ita ut ore corporis quoque sumatur? anno 1557[1]). Ministri Ecclesiarum Saxonicarum Claudiopolim congregati sese in materia Eucharistiae Vitebergensibus adstrinxerunt, nullam in eo articulo variationem admittentes; qui vero doctrinam eorum non foverent unionem cum iis remittebant. Ne discordia in Ecclesia nata etiam Respublica turbaretur, mandato Principis anno 1561 Medie congregati de materia controversa conferebant, at convenire non poterant. Id frustra deinceps quoque saepius tentatum. Ad externas etiam Academias partes controvertentes suas dimiserunt confessiones, sed ubi suae partis Theologos noverant, igitur finire etiam Academicae determinationes controversiam in Patria ferventem non poterant. Smeizelius scribit igitur Reformatos ad judicium Academiarum Germanicarum provocasse; quoniam noverant (inquit) Calviniani in Transylvania bene circa ista tempora multos in Academiis Saxonicis existere crypto Calvinistas ex Melanchthonis schola prorumpentes, de quibus cum parum forte in Transylvania constaret, hinc tam audacter ad consensum Academiarum Saxonicarum provocabant Calvini asseclae in Transylvania degentes[2]). Parcius ista viris objicienda meminisse debebat, cum et Confessio Augustana, unde ille nomen habet, et ejus Apologia Philippi est opus Melanchthonis. Male vero Melanchthon audire coepit post fata Lutheri, postquam Brentius palam docere orsus est: Corpus Christi esse non tantum in Eucharistia praesens, verum ubique diffusum ubi ejus divinitas est, quod dogma Lutherus non noverat. Melanchthon vero non admittebat, ideoque ejus fabricatores acerrimi erant adversarii Melanchthonis.

§ IV. *Formula Concordiae cuditur* — Disceptabant equidem partes ambae, spes tamen semper erat concordiae; at posteaquam anno 1576 ex mandato Electoris Saxonici quidam Theologi conscripserunt et anno 1576 ediderunt Formulam Concordiae dictam, vulnus effecerunt immedicabile, facta enim est perpetuae Formula Discordiae, quoniam

---

[1]) Sigler in Chronolog. pag. 79.

[2]) De statu Luth. in Transyl. pag. 52 in notis.

dissentientes cum ejus auctoribus in quibusdam fidei articulis anathemati indigne subjiciebantur. Intercedebant ejus publicationi Reges, Respublicae et variarum Gentium Ecclesiae: tamen ne in publicum ederetur efficere non poterant. Ita de ea Hugo Grotius: „Cum anno 1577 Saxonici Theologi evulgassent librum cui titulus Concordiae Liber, districto in omnes damnationes stilo, quotquot dogma de Coena Domini aliter ac ipsi intelligerent. Eodem anno Septembri Mensi Francfurtum convenerunt Legati a Gallicis, Polonicis, Hungaricis, Bohemicis, Helveticis aliisque Ecclesiis praesente Angliae Reginae oratore et Legatis Palatini Principis Joannis Casimiri, submissis quoque Belgio Ecclesiarum deputatis, et conspirantibus in id omnium suffragiis Libello ad Electores Principesque Augustanae Confessionis scripto complexi sunt, quam inique et periculose ista damnatio Unitatem omnem evertat"[1]). Qualem produxerit hic Discordiae Liber concordiam palam est, ex illius aevi Historiis. Laetus ita rerum summam tradit: „Conventum ergo Torgae et ex opinione Flacianorum Formula Concordiae conscripta: ad eam approbandam omnes Theologi adigebantur. Vittenbergenses Professores cum recusarent, primo sub custodiam missi; post extra fines dimissi: ii erant Caspar Cruciger, Henricus Mallerus, Christophorus Pezelius, Fridericus Videbramus. Cracovius Aulae saxonicae Cancellarius in teterrimum carcerem ob sententiam orthodoxam de coena Domini trusus; in eodem torturis, frigore et sordibus necatus. Caspar Peucerus gener Melanchthonis decem annis in carcere misere habitus, vexatus et fere ad mortem eamque sine sepultura condemnatus; nec dimissionem ipse Maximilianus Caesar ab Augusto obtinere potuit, monuit tamen eundem: Nostrum non est imperare conscientiis, aut ad fidem quemquam vi cogere. Et quia in illa formula Melanchthoni parsum, novae dissensiones ortae aususque Jacobus Andreae vociferari: a morte Lutheri in Vittenbergensi Academia et Ecclesia nunquam sonuisse veram et a Sacramentariorum et Arianorum puram et sanam doctrinam. Omnes qui ubiquitati contradicunt Arianismi et Machometismi reos. Ex suggestu vero post Vittenbergae publice despumabat: Jam XXX annis ex eo loco non fuisse veram doctrinam de Filio Dei auditam, nec melius de eo quicquam docuisse Pastores quam Turcicus Alcoranus faciat. Torgae denuo Synodus convocata, scripta Melanchthonis condemnata, cum rursus reclamatum tandem moderamine adhibito anno ejus seculi LXXVII in Bergensi Monasterio sex ubiquitatis Patronis

[1]) In oratione recitata jussu ordinum ad senatum Amstelodamensem pag. 458 inter opuscula ejus.

Smidelino, Musculo, Selneccero, Chemnitio, Chytraeo, Cornero promulgata Formula Concordiae, qua Ecclesiae Protestantes omnium locorum diversum sentientes condemnatae. Casimirus Palatinus Rheni Francfurti cum Legatis variorum Regnorum ab Ecclesiis missis, de iniqua censura conquestus est. Fridericus Daniae Rex sub poena exilii subscriptionem suis interdixit, importari in terras suas prohibuit, dono a sorore acceptum librum quamvis auro et gemmis ornatum in ignem abjecit, adeo invisus erat hic liber omnibus[1]). Nicolaus Crellius, I. U. D. vir doctissimus Christiani I Saxoniae Electoris Cancellarius, post Christiani obitum, quod subscribere et approbare hunc Librum nollet, post decennales carceres capite minutus est[2]). Haec arbor putris ad hunc usque diem putres et amaros ferre fructus non intermisit.

§ V. Haec Concordia discors solvit unionis vinculum etiam inter Hungaros et majus vulnus per se ulcerosum hiare fecit, cum circa annum 1590 quidam mordicus adhaerentes eam quoquo modo defenderent; alii vero noxiam esse in Christianitate declararent in Synodo Tsepregiensi. Imo etiam studiosi Hungari ob hunc librum desererent Academiam Vittenbergensem, ubi segregem a prima Reformatione coetum habebant, subscribere ejus sententiae nolentes[3]). Hodie adhuc vulnus in corde Ecclesiae, sanguine diffluens, medicas Christi exspectat manus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Unitariorum S. S. Trinitatem abnegantium in Transylvania ortu et progressu: de Disputatione cum iisdem et Francisci Davidis Condemnatione.

§ I. *Judaei Doctrinae verae osores.* — Postquam cruci adfixerunt Christum Judaei, non intermiserunt ejus doctrinam modis omnibus proscindere et variis, quantum in se erat maculis aspersam invisamque omnibus reddere et dubiam facere; apertos eopse Dei sese hostes declarantes. Negabant igitur veram de Christo doctrinam, unde etiam ortum traxerunt, qui primum in doctrina de Deo errores, imo etiam haereses excitarunt. Tales erant exeunte seculo primo et ineunte secundo Ebion,

---

[1]) In compendio Historiarum pag. 438.
[2]) Hofm. in voce Crellius. Engelhard in Feriis Groningens. pag. 237.
[3]) Hist. Ref. pag. 330.

Cerinthus. Carpocrates, Artemon, qui Jesum Christum purum putum hominem docebant. Seculo tertio Paulus Samosatenus, quarto Photinus, sentiebant Christum esse Deum sanctum nominatum a nativitate ex Maria virgine. Arius autem docuit Christum ante mundi creationem creatum esse. Circa tempora Reformationis horum dogmata perversa, jam pridem ignorantiae tenebris sepulta, revocarunt Michael Servetus, ob blasphema dogmata Genevae combustus, Valentinus Gentilis, Bernardus Ochinus, Laelius et Faustus Socini, per quos transiit etiam ad varios.

§ II. *Blandrata primus nefarii dogm. Apostolus.* — In Transylvania Georgius Blandrata fuit, qui primum eam doctrinam sparsit; ita hoc ab omnibus est annotatum: ipse quoque ita in literis ad Ecclesias Polonicas gloriatur anno 1568 Schespurgo die XXVII Januarii datis: vos scitis Domini fuisse institutum, ut tantae molis columna hic per nos exoriretur et super montes inaccessibiles poneretur. Interea ingenue coram Deo fateor, me ignorare, quonam pacto vel in quem usum et finem Deus haec per nos movenda esse voluerit. Reliquum est ut oremus incessanter illum Deum et Patrem omnis consolationis et misericordiae, ut perficiat quod per nos incepit opus ad sacrosancti nominis gloriam[1]). Fuit Blandrata Pedemontanus; errores vero hauserat in Italia ab Alciato, ex scriptis Serveti, et conversatione cum Laelio Faustoque Socino. Fugiens manus Inquisitorum in Italia abivit Genevam, ubi Protestantibus se adjunxit, verum quoniam de Divinitate Christi male sentiebat, non existimavit hic se subsistere posse, sed discessit in Poloniam, ubi uti et alibi orthodoxe simulabat se sentire. Joannes Calvinus Pastor et Professor Genevensis cum ejus errores et animum cognovisset, admonuit Palatinum Vilnensem et Ministerium Ecclesiasticum ut caveret sibi a Blandratae erroribus. Qui revocatus ibi ad examen talem edidit confessionem coram ministerio anno 1561: Fateor me credere in unum Deum Patrem, in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus et in unum Spiritum Sanctum, quocum est essentialiter Deus, Deorum pluralitatem detestor, cum unus nobis sit tantum Deus essentia indivisibilis. Fateor tres esse distinctas Hypostases, ac aeternam Christi Divinitatem et Generationem, atque Spiritum Sanctum verum ac aeternum Deum ab utroque procedentem[2]). Bona verba: at eliberatus e Synodi censura et metu solutus contrariam isti artificiose aliis persuadere nitebatur sententiam. Rursum igitur censurae subjectus

---

[1]) Lubienietzki Historia Reformat. Polonicae pag. 229. 230.

[2]) Caroli Andreae Memorabilia Eccl. Tom. I. pag. 272

in synodo Xiansiae in Polonia celebrata anno 1562 die decima Martii confessionem superioris anni uberius declaravit orthodoxe satis, veritus ne in periculum veniret ob negatum Trinitatis dogma [1]); Calvinus enim Polonis doctrinam et ingenium ejus detexerat. Elusit ergo Blandrata rursum Polonas sua volubilitate.

§ III. *Blandrata vocatus in Transylv.* — Celebre Blandrata apud Polonos ex arte medica nomen adeptus a Johanne Secundo rege Hung. electo vocatus est in Transylvaniam anno 1563 pro Aulico Medico [2]). Quam vocationem amplexus est libenter, cum ob doctrinam apud Polonos tutum jam manere non esset. In Transylvania doctrinam diu dissimulavit suam; arte vero medica et ingeniosa sui accommodatione omnium iniit gratiam. Primum Franciscum Davidis Plebanum Claudiopolitanum et Superintendentem Hungarorum clam ad suam deduxit sententiam, qui etiam apud Regem gratiosus erat [3]). Tandem M. Dionysium Alexium concionatorem Regis Aulicum, virum doctum et probum artificiose, ut a Regis latere amoveretur, promoveri in Decanatum Gyalutensem denuo fecerunt, ut ita ipsis expeditior esset via Regem ad suam sententiam pertrahendi; hoc peracto sensim Regi instillabant Aulicisque eam doctrinam humano captui accommodatam. Tortuosis verbis et ambiguis phrasibus primum propalam fecit Franciscus Davidis; quod advertit, aperuit, illique ad os restitit Petrus Karoli Rector Scholae Claudiopolitanae verbo et scriptis [4]) qui tandem scripta sua Vittebergae edidit.

§ IV. *Melius revelat conatum Blandr.* — Cum ita Blandrata et Davidis viri tunc magnae authoritatis clam multa adversus sanam doctrinam molirentur, primus fuit Petrus Melius qui Regem monuit, ne illum perversae doctrinae hominem penes se pateretur; qui nullibi in aliis Regnis tolleratus, quoniam doctrina ejus consistere cum fide Christianorum minime potest [5]). Nec poterat quiescere donec Synodum convocaret, ubi ad S. Scripturae lumen dispallesceret errorum caligo. Protractus Blandrata e carectis ambiguis se involvebat propositionibus, dum in variis Synodis eodem anno 1566 celebratis cum isto conferrent Ministri orthodoxi, tam ex Hungaria in hunc finem Transylvaniam ingressi, quam Transylvani.

Extat Libellus eodem 1566 anno Claudiopoli editus, ubi primum Propositiones Blandratae, secundo Limitatio Pastorum ex Hungaria, tertio Synodi M. Vasarhelyensis comparet Sententia. Hunc quoniam facit ad Historiae illius aetatis perfectionem huc de verbo ad verbum transferam.

---

[1]) Lubienietzki ll. cc. pag. 130.
[2]) Lubienietzki ll. cc. pag. 170. Smeizel pag. 55.
[3]) Gelei in Dedicatione operis Titkok Sitka.
[4]) Historia Refor. pag. 152.
[5]) Smeizel ll. cc. pag. 56.

Sententia concors Pastorum et Ministrorum Ecclesiae Dei nationis Hungaricae in Transylvania, de Propositionibus Doctoris Georgii Blandratae et Francisci Davidis &c in Disputatione Albensi, coram Regia Majestate Anno Domini MDLXVI die Aprilis XXV propositis. Et limitatione fratrum, qui ex Hungaria praedictae Disputationi interfuerunt in frequenti Synodo Vasarhelyensi eodem anno, die vero XIX Maji pronunciata et publicata. Nunc vero ex assensu Majestatis Regiae, Domini ac Principis nostri Clementissimi typis excusa.

Propositiones in Disputatione Albensi coram Regia Majestate &c a D. Georgio Blandrata et Francisco Davidis &c propositae, cum Limitatione Pastorum et Ministrorum, qui ex Ecclesiis Hungaricis Disputationi interfuerunt. Quibus accessit Sententia de praedictis propositionibus et limitatione Synodi Vasarhellyensis, eodem, hoc est, MDLXVI anno die vero XIX May frequenter celebratae.

Propositio prima.

Pro publica Ecclesiae confessione unicum Apostolorum Symbolum retinendum esse censemus, quum illud piis atque modestis Christianis ad salutem satis esse possit juxta Scripturam Sacram, quae verbum Dei est, acceptum ac interpretatum.

Limitatio per pastores ex Hungaria. Quod dicitur omnibus modestis et piis Christianis sufficere debere unicum Symbolum Apostolorum, cum scriptura Sacra, et ex verbo Dei interpretatum, approbamus.

Sententia Synodi Vásarhellyensis. Propositionem primam et nos approbamus; Symbolum enim illud vere Apostolicum esse agnoscimus. Ex eorum siquidem literis esse desumptum propter synceritatem et simplicitatem, cuilibet manifestum est. Ut porro omnis suspicio ambiguitatis tolli possit, Symbolo interpretationem hanc perspicuam addimus. Quod scil. doceat veram fidem, in sacrosanctam Triadem, in unum verum Deum Patrem, et in unicum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, verum cum Patre suo Deum, et in Spiritum Sanctum paracletum, eundem quoque cum Patre et Filio verum Deum.

Propositio Secunda.

Veram et genuinam sacrarum literarum Triadem esse dicimus eam in qua baptizati sumus, Patrem scil. Filium et Spiritum Sanctum.

Limitatio Propositionis Secundae. Propositionem hanc de Sacra Triade approbamus, cum Doctoris Blandratae expositione facta coram Regia Majestate, scil. quod unus ille Jehova Deut. 6 propositus non sit

Pater tantum, sed Pater cum Logo et Spiritu Sancto, inseparabiliter ab aeterno.

Sententia Synodalis. Propositionem hanc et nos approbamus, veram scil. et genuinam Triadem esse, quam sacrae literae nos docent, et in cujus nomine baptizati sumus; utpote Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Deus enim ita semper fuit et est Deus, ut fuerit et semper Pater sit sui Filii qui verus et sempiternus est Deus Patri suo aequalis, quemadmodum et Spiritus Sanctus, quum sit Patris et Filii Spiritus.

Antithesis Propositionis Secundae.

Quam somniant sophistae Quaternitatem detestamur, quae est unica essentia indistinguibilis et tres distinctae personae. Praesertim quod Essentiam docent aliud quiddam esse a Persona distinctum [1]).

Limitatio Antithesis Propos. 2dae. Quaternitatem sophisticam et nos detestamur. Si ergo constet de rebus ipsis, non est cur nobis de vocabulis bellum indicatur.

Sententia Synodalis. Ut ipsum Papam verum antichristum cum toto suo abominationis Regno abominamur et detestamur cum omnibus suis traditionibus, ita et horribilem ejus doctrinam de Christianae Religionis fundamento. Veram enim verae et semper benedictae Triadis doctrinam de uno Deo Patre et ejus Filio Domino nostro Jesu Christo et amborum Spiritu diabolica audacia vitiavit, et pro ea abominandum Quaternitatis idolum invexit. Unum Deum essentiam, et tres personas Essentiam per se Deum docens, et huic quendam Deum Patrem et Deum Filium ac Spiritum Sanctum associans. Unde etiam Anastasius Imperator S. S. ipso impulsore decretum promulgavit: A modo non in Trinitatem sed quaternitatem esse credendum.

Propositio Tertia.

Istos tres unum esse confitemur, quemadmodum pronunciat scriptura, nempe, potestate, gloria et consensu ejusdemque esse divinitatis.

Limitatio. Tertiam Propositionem sic approbamus, ut inter istos tres Patrem Logon et Spiritum Sanctum perfectam divinitatis, potestatis, gloriae, consensus sive unitatis coequalitatem agnoscamus.

Sententia Synodalis. Tres istos Deum Patrem Filium et Spiritum Sanctum et nos unum confitemur propter divinitatis seu divinae naturae aequalitatem consensusque, gloriae et omnipotentiae Majestatem.

---

[1]) Hic jam Blandrata et Davidis incipiunt artificiose caliginem offundere simplicibus Ministris nihil mali suspicantibus: volebant videri se rejicere velle tantum locutiones extra scripturam receptas, rem vero tenere.

Antithesis Propositionis Tertiae.

Phrases istas rejicimus: unus Deus et tres Personae sunt unus Deus juxta sophistarum sensum.

Limitatio. Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unius et ejusdem divinitatis esse confitemur.

Sententia Synodalis. Omnes phrases a linea sacrae scripturae discrepantes rejicimus, quum illis juxta sophistarum sensum perversum aliquod dogma extruitur, ut factum est in Papatu. Simplicitatem Apostolicam omnibus sufficere judicamus, ne disciputi praejudicare videamur Magistris.

Propositio Quarta.

A Deo Patre initium sumendum, ut inde ab aeternis temporibus ab eodem processerit Logos et Spiritus Sanctus quia a Patre ipsorum fonte nunquam separantur.

Limitatio. Quartam propositionem sic concedimus, ut Logon ab aeternis temporibus a Patre genitum esse fateamur et Spiritum Sanctum a Patre et Filio in omni aeternitate processisse. Ita ut Logos et Spiritus Sanctus nunquam a Deo Patre separentur: sintque unius et ejusdem divinitatis.

Sententia Synodalis. Quartam propositionem sic declaramus, unum esse Deum Patrem et Filium ejus Jesum Christum, ac Spiritum Sanctum; Patrem vero ordine et autoritate, non tempore vel natura praecedere. Propterea quod sit solus author et fons divinitatis Filii et Spiritus Sancti: in quo et ex quo ab omni aeternitate suum esse habent. Unde Paulus 1 Cor: 8 de eo praedicat, quod sit noster unus ille Deus, ex quo omnia, qui nunquam fuit nec est sine suo Logo et Spiritu.

Antithesis Propositionis Quartae.

Qui dicunt: initium personarum esse Deum, ut inde Patris persona (ut ipsi volunt) originem trahat ab Essentia sive Deo, sophistas esse censemus.

Limitatio. Neque nos approbamus, Filium ab aliquo Deo vel Essentia genitum, qui non sit Pater Domini nostri Jesu Christi.

Synodalis sententia. Deum nullum sacro sanctae Triadis ordini praeponimus. Sed Deus Pater ordine praecedit propter praemissas rationes; a quo est et originem suam ab omni aeternitate ducit Filius et ab utrisque Spiritus Sanctus. Unde etiam ad eundem ea dignitatis praerogativa ut ad divinae oeconomiae principem in Sacris transfertur. Qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, hic est Deus, ut in Symbolo Apostolico confitemur. Essentia non est Pater Domini nostri Jesu Christi. Nam etiam

Sophistarum assertione sterilis est. Quare extra Deum Patrem Filiumque ejus unigenitum ac Spiritum Sanctum, nullus Deus fingi debet, sicut nec potest.

Propositio Quinta.

Unum Deum Patrem esse Domini nostri Jesu Christi dicimus, altissimum, ex quo omnia et solum qui a se ipso est, et principium Divinitatis absque principio.

Limitatio. Concedimus Deum Patrem a se ipso esse Deum ingenitum; Filium autem non a se ipso, sed a Patre esse quatenus est Filius, Deus genitus a Patre. Et unius ejusdemque Divinitatis Patrem Filium et Spiritum Sanctum, ut in prima propositione dictum est.

Sententia Synodalis. Unum illum Deum altissimum Patrem esse Domini nostri Jesu Christi confitemur et hunc esse ex quo sunt omnia, eundemque esse Deum a seipso; Filium autem non a se ipso Deum. Sed ut est verus Deus a Deo suo Patre esse, quum aeternus Pater sit fons et author divinitatis Filii et Spiritus Sancti.

Antithesis Propositionis Quintae.

Unum Deum, qui aliud quippiam esse volunt a Patre quique virgulam in symbolo inter Deum et Patrem ut illos distinguant addunt, meros esse sophistas censemus. Deteriores autem illos, qui dicunt, in oratione Dominica sub nomine Patris totam Trinitatem comprehendi.

Limitatio. Docemus Deum verum non esse solitarium sed semper esse cum Filio et Spiritu Sancto unius divinitatis ut dicitur: Ego non sum solus, sed Pater mecum est.

Sententia Synodalis. Vocabulum unus in principio Symboli Apostolici ad solum Deum Patrem referri, quemadmodum et exordium orationis Dominicae judicamus propter praedictas praerogativae Patris rationes: salva tamen interim semper manente gloria ac divina Majestate Filii et Spiritus Sancti, quibus Patris monarchicae dignitatis praerogativa nihil prorsus derogatur, quemadmodum supra quoque significavimus.

Propositio VI de Logo.

Unum Logon Dei sapientiam esse, ante omnia tempora secularia ex ore altissimi prodeuntem, per quem omnia facta sunt, Deum de Deo in mysterio genitum ante omnia secula confitemur. Ut recte dicamus: Deus Deum genuit.

Limitatio. Concedimus Logon esse Dei sapientiam et Characterem hypostaseos Dei ante omnia tempora apud Deum in mysterio genitum et coram Deo subsistentem. Non autem concedimus Logon esse aliquam evanidam virtutem vel prolationem. Quia est in forma Dei subsistens,

habens in se ipso vitam. Est itaque character hypostaseos Dei, verus Deus et vita aeterna.

Sententia Synodalis. Propositioni Sextae simul et limitationi Fratrum ex Hungaria per omnia subscribimus.

Antithesis Propositionis VI.

Qui dicunt Logon quatenus est persona distingui, quatenus vero Essentia non distingui et quatenus Persona Filium esse: quatenus essentia ingenitum et a seipso, seipsos implicant et duos Sermones non obscure introducunt.

Limitatio Docemus Logon vere hypostatice, id est, substantialiter distingui, et quod sit existens Deus verus de Deo vero proprie, quatenus autem Filius est Jehova, dicimus esse principium de principio, nec separari nec divelli a Patre, quum sit unius ejusdemque divinitatis.

Sententia Synodalis. Quum sacrae literae quae sunt verbum Dei, unum Logon Dei nobis proponant; ideo neque nos duos credere possumus, neque inter personam et essentiam hujus Dei Sermonis distinguere. Essentiam enim nullam absolute per se consideramus, sed in ipsa Sermonis Hypostasi, Logon igitur credimus suam existentiam Hypostaticam in una divinitate Patris habere Deumque verum de Deo vero esse; neque tamen a Patre divulsum aut separatum; quum in una sit divinitatis forma, Patri aequalis.

Propositio VII de Incarnatione.

Logon corporatum fuisse novissimis temporibus et Deum manifestatum in carne confitemur. Quo modo autem istud sit ignoramus. Logon itaque corporatum unicum esse Filium Dei dicimus et qui omnia operatur; non quatenus hoc vel illud, sed quatenus est unicus Dei Filius.

Limitatio. Concedimus solum Logon esse carnem factum; aut Deum in carne manifestatum, vel subsistentem in forma Dei, assumpsisse formam servi, et non Pater neque Spiritus Sanctus.

Sententia Synodalis. Logon carnem factum esse cum Johanne Evangelista confitemur. Quum vero ipse Paulus, tantis donorum divinorum cumulis perdonatus, hoc mysterium Dei magnum esse exclamet, neque nos temere quippiam de modo hujus mysterii pronunciare volumus, sed pleniorem hujus mysterii enucleationem in futuram illam coelestem Academiam reservare. Sufficit nobis Deum fuisse in Christo. Deumque manifestatum in carne. Et licet solus Logos caro factus sit, tamen non pars aliqua Dei, sed totus Deus fuit ac est in Christo, in Christoque est manifestatus, in quo et eodem solo etiam Deus quaeri debet. Nam extra Christum egressi non nisi cerebri nostri figmenta apprehendimus.

Propositio VIII.

De Spiritu sancto confitemur quod sit Deus et quod procedat a Patre et Filio.

Limitatio. Concedimus quod Spiritus Sanctus sit Deus Jehova aequalis Patri et Filio et quod ab utroque procedat.

Antithesis Propositionis VIII.

A veritate abesse censemus, qui asserunt, quod Sp. Sanctus sit proprietas, relatio, persona seu individuum, quum sit Spiritus Dei Patris et Filii. Detestamur praeterea Sophisticam omnem et peregrinam doctrinam, prophanasque vocum inanitates, seu novitates omnes in hoc articulo.

Limitatio. Detestamur et nos prophanas vocum inanitates, a rebus dissentientes et pugnantes cum veritate.

Sententia Synodalis. De Spiritu Sancto confitemur secundum scripturas sacras, quod sit Deus procedens a Patre et Filio, qui quum sit Spiritus utrorumque suam existentiam habens, ideo Patri et Filio aequalem credimus, per quem sanctificamur et obsignamur ad aeternae vitae ac beatitudinis haereditatem &c. Finis.

Extat hic liber typis eodem anno 1566 descriptus. Apparet Blandratam nondum tunc aperto Marte pugnare voluisse, sed dubitationem in multorum animis excitare, et discusiones disseminare voluisse. Sententiam Synodalem dixerunt Seniores illi, qui Catechesin superius descriptam [1]) Regi obtulerant. Qui si videantur hic loquendi modos ab Ecclesia receptos veluti Essentia, Persona, &c deseruisse, factum est inde, quoniam non satis adhuc fallacias adversariorum adverterant, qui videbantur scrupulos habere circa loquendi modos, non vero rem ipsam: hi vero de verbis ligitare nolebant, si res eadem teneretur: at vero ubi adverterunt scopum eorum (uti ex sequentium annorum Disputationibus palam est), phrases jam diu in Ecclesia usurpatas retinuerunt et ipsi, quibus adversarios e carectis protrahebant suis, ne ibi cum aliorum pernicie delitescere possent.

§ V. *Petrus Melius obstat Antitrinitariis.* — Petrus quoque Melius, quem tanquam Athanasium adversus Arium, opportuno tempore Deus excitaverat adversus Antitrinitarios in Transylvania orientes, nihil intermisit eorum, quae faciunt ad officia boni Episcopi peragenda. Synodum indixit anno 1567 Szikszoviae Mense Januario celebrandam; at ea impedita convocavit Debrecinum ad secundum Februarii. Epistola convocatoria ad Synodum Debrecinensem haec est:

---

[1]) Lib. II. Cap. §.

Gratia et Pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo et a Spiritu Sancto claritatibus vestris multiplicentur. Amen.

Incidimus in illa tempora periculosa quae certissime futura Spiritus Sanctus praedixit. In postremis, inquit, temporibus discedent quidam a fide, attendentes Spiritibus errantibus et doctrinis daemoniorum et astutorum in hypocrisi falsa loquentium. Erunt enim homines sui amantes, sibi placentes et sapientes, superbi, vanae gloriae cupidi, contentiosi. Ex contentione gignitur invidia διχοςασια, hinc schismata, ex his tandem pestiferae haereses, ut Apostolus ad Gal. V ordine describit. Haec enim non solum Historiae veterum sacrae et catholicae Ecclesiae, ut Ebionis, Cerinthi, Samosateni, Sabellii, Arii, Nestorii, Eutychetis, Pelagianorum, Manichaeorum, haereses natae ex superba contentione, sed quotidiana experientia docet, quam periculosa et fomes omnium sit malorum κενοδοξια, Εριθεια et Diabolica ac Sorbonica contentio, quam variae sectae et in Regno antichristi ex calumniosa et superba disceptatione inductae sunt. Nec mirum haec mala a Diabolo sic in Ecclesia a superbis ingeniis excitari. Nam sicut satanas ex voluntaria superbia desertione sui ordinis contemnendo veritatem divinam (quod peccatum contra Spiritum S. seu ad mortem est) lapsus est, ita ceu laqueo et nunc superba ingenia, vel instar belluae et Typhonis inflatos per contentionem et variae gloriae cupiditatem capit et excoecat. Unde igitur et haereses, sectas et scandala fieri oportet. Causis enim necessario praecedentibus et factis, effectus sequi necessario oportet. Superbiae, contentionis et dissensionis semen innatum est superbis ingeniis, quod tanquam fomes ignitis satanae telis accenditur. Hoc modo et ordine in Serveto, Gentili, Gregorio Pauli, Blandrata et Francisco Davidis Satanas τὸ χαος αἱρεσεων confusionem multarum haeresium Ebionis, Samosateni, Sabellii, Arii, Photini, simul atque Catabaptistarum negantium infantium Baptismum excitavit. Quorum foedas et pestiferas haereses ab initio in Ecclesia per satanam excitatas, Dominus Spiritu oris sui et igne veritatis suae excussit et exstinxit. Imo et tragici exitus et horrenda mors Cerinti, Ebionis, Arii et similium haereticorum, clarissimo indicio et argumento est, illorum haereses fuisse Diabolicas et perniciosas. Cerinthus enim corruit in balneo. Arius medius crepuit, Servetus cum Gentili a Christianis in cineres redacti sunt. Nec dubitamus quin et horum Scorpionum pestifera proles et viperarum genimina similiter justo Dei judico tragice corruant. Cum igitur videamus haereticorum zizania quotidie accrescere et in coelo Ecclesiae ceu faces aut cometas haereticos ardere, precibus et Doctrina sana sacrarumque literarum praesidiis munitos nos his malis resistere oportet.

Quia vero Szikzoviae ad sextum Januarii Fratrum Conventum

satanas impedivit, nos Debrecini ad secundum Februarii aut purificationis Mariae diem convenire oportet. Vos itaque Fratres in Christo in reliquiis Hungariae, ubicunque locorum Dominus Spiritu suo, Ecclesiae suae Pastores, Doctores et Ministros praefecit, hortamur et petimus ut ad Synodum jam per circumstantias indictam conveniatis. Muniri autem vos sacrarum literarum testimoniis oportet, primo contra Sabellium negantem tres in uno Jehova hypostases aut personas. Secundo contra Arrium negantem tres esse unum, aut Filium et Spiritum S. Patri ὁμοȣσίȣς sed ὁμοιȣσιȣς esse; identitatemque trium destruentem. Tertio contra Samosatenum, qui unum solum verum Deum ενυποςάτον όντα ὑπαρχοντα, hypostasin et in se subsistentem personam aut προςωπον solum Patrem esse nugatur. Λόγον vero et Spiritum aut τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἐνεργειας, δυναμεις potentias virtutesque, substantiales et essentiales quidam in Patre esse nugantur (ut in anima mens et voluntas partes substantiales sunt) sed ἐνυποςατȣ, ὑφιςαμένȣ προσωπȣ, aut personae in seipso, id est, non sunt hypostases aut personae, cum Joh. 1. 5. 8. 10. 17. Phil. II. Hebr. 1. contrarium doceatur. Iidem cum Sabellio, Serveto, Luca Agrino negant λόγον ab aeterno ante omnia ex hypostasi Patris genitum, aut Filium Dei fuisse Jehovalitatis suae respectu, nisi carnis intuitu. Item Spiritum Sanctum a Patre personaliter aut hypostatice processisse, nisi κατὰ δυναμιν καὶ ἐνεργείας variarum Dei Patris dispensationum. Unde Deus Pater ab aeterno fuit, non genuit, neque Christus ab aeterno τȣ̃ λόγȣ respectu conceptus, genitus, nec Filius fuit, cum. Prov. VIII. Eccl. 1. 24. Sap. VII. 8. 9. Col. 1. 15, 16. Hebr. 1. 7. Joh. 1. 5. 8. 10. 17. his phrasibus: Sermo caro factus est et hujus Sermonis gloriam, Majestatem divinam vidimus ὡς μονογενȣ̃ς παρὰ πατρός contrarium doceatur. Caro enim a matre unigenita est non a Patre. Quarto contra Photinum, Arrium, Macedonium, qui Christi et Spiritus Sancti divinitatem impie denegarunt. Contra quas haereses Propositiones nostras editas convocatoriis hisce literis adjunximus. Adversarios autem in Transylvania compellimus, ut compareant. Nam nos jam saepius ingressi, ut proxime anno 1566, 26, 27 Aprilis ex eloquio Domini haereses eorum confutavimus. Unde et nobis subscribere coacti sunt, sicut eorum chirographae contestantur. Si autem ad lucem venire noluerint, manifeste opera haeresesque eorum in tenebris in Regno Satanae nata confitebimur et agnoscemus. Valere diu clarissimas vestras Dominationes in Domino volumus. Datum in coetu Fratrum Varadini 14 Decembris, anno Domini 1567.

Seniores Ecclesiarum Domini in reliquiis
Hungariae dissipatis[1]).

---

[1]) Historiae Reform. pag. 176.

§ VI. Convocatoria ista et similes Blandratae non placebant, qui etsi publice Synodos optare videretur, nihil magis reformidabat quam in aperta omnium luce ad examen revocari et in censuram exponi. Affingit igitur Melio in hunc solum finem ad Synodum Debrecinum se vocari ut interceptus Germanis tradatur e medio tollendus: ita in Literis ad Ecclesias Polonicas anno 1568 die 27 Januarii Segesvaro datis queritur: „Misit Petrus ille Melius Pastor Debrecinensis convocatorias ad Synodum indictam per suos Debrecini cum Thesibus disputandis. Id vero vafer impostor, habita intelligentia cum Germanis, quo nos captivarent ex professo fecit, qui et nuper quemque per Lazarum Svendi jusserat in carcerem conjici Dominum Lucam Agriensem Pastorum omnium eruditissimum, fratrem nostrum, qui tametsi rem totam ad unguem non teneat disputabat ad mortem paratus subeundam, Verbum ante carnem Filium Dei nisi, in Praedestinatione nec dici nec esse posse, nunc audimus salvum utique evasisse, sed proscriptum. Hic Melius nos omnes non secus atque Beza in epistola praeliminari traducit et comitiis lacessit animadvertensque nos eo venire nulla ratione posse jactando in fine habet: Si illi ad nos non venerint, omnibus constabit homines esse, qui lucem fugiant et malam defendant causam"[1]).

Habuerunt ergo Synodos in Hungaria varias Debrecini, Szikszoviae anno sequenti cujus doctissimas Propositiones Fidem et Doctrinam Reformatorum complectentes exhibet Historia Reformationis[2]), Cassoviae, cujus Acta uberrime congesta, Confessionem Antitrinitariis Transylvanis oppositam et Examen Propositionum Lucae Agriensis Pastoris Ungvariensis, qui in doctrina de Sancta Trinitate heterodoxiam docere deprehensus Synodi concluso damnatus, jussu vero Lazari Svendi Generalis Cassoviensis incarceratus est, videri possunt itidem in Historia Reformationis[3]). Cum vero Blandrata hunc Lucam tanquam homodoxum sibi laudet, ex verbis ejus ad Ministros Reformatos datis videri ejus mens et scopus potest, qui ita scribit: Notum est Domino nostro Jesu Christo me nihil aliud quaesivisse, etiamsi deceptus sim in bono proposito, dum incautus sum secutus authoritatem Augustini et Nicephori ex veteribus, ex neotericis autem Volfgangi Musculi, Buceri, Philippi Melanchtonis et similium, nihil inquam me fuisse molitum, quam ut Haereticis Transylvanis orthodoxae fidei adversariis ex citatorum authorum scriptis obviam ire possem earumque

---

[1]) Lubiemetzki Hist. Ref. pag. 229.
[2]) pag. 180 — 187.
[3]) Vide a pag. 187 — 215.

pestilentissimas et blasphemas calumnias opprimere et concordiam Ecclesiae per illos convulsam ceu fidelis Ecclesiae civis pro mea virili parte sanare contenderem [1]). Celebrata etiam eodem anno Synodus Patakini omnes in hunc finem convocatae, ut se suosque adversus errones et haereticos Transylvanos confirmarent, qui Articulum Fidei de Trinitate et illi annexos jam propalam disputabant et dubiam imo falsam reddere plenis velis contendebant.

§ VII. *Disputatio Albana.* Joannes Secundus electus Hung. Rex, Transylvaniae Princeps, ut in Religione certi aliquid determinarent, turbas orientes sedarent, anno 1568 ad diem III Martii Albam Juliam Synodum convocavit, ubi Ministri doctiores et Proceres judicium ferrent. Promitebat Blandrata Regi se veritatem doctrinae suae publice demonstraturum, at eventus promisso non respondit. Est ad manus ingens volumen Disputationem Albanam complectens a Francisco Davidis eodem anno ex Amanuensium scriptis editum, cujus titulus sequens est: Brevis Enarratio Disputationis Albanae de Deo Trino et Christo duplici coram Serenissimo Principe et tota Ecclesia decem diebus habita. Anno Domini MDLXVIII. 8 Martii. Excusum Albae Juliae apud viduam Raphaelis Hoffhalteri anno MDLXVIII. Depromam hinc conditiones utriusque partis quas a Principe exorabant, sibique invicem, ut collatio majori cum fructu fieret, proponebant. Ita ergo incipit

Prima Actio de Conditionibus et arbitris.

Conditiones Ministrorum Ecclesiarum in Hungaria et Transylvania qui Catholicam doctrinam de Deo profitentur ac tenent pro disputatione, quo ea justo modo et ordine peragi queat.

1. Cum in Ecclesia cuncta ad aedificationem fieri debeant, nequaquam disputationes et colloquia inordinate institui debent, ne ex illis mali plus, quam boni ad Ecclesiam redeat, cumque duorum Procuratorum litigatio contraria, sine ordinariis et legitimis judicibus, non nisi inanis quaedam pugna linguarumque exacutio sit frustranea. Ideo humiliter supplicamus Majestati Regiae, ut Domino et Patrono clementissimo, quo mandato ipsius ex utrisque nationibus tam Hungarica quam Saxonica justo ac certo numero Arbitri constituantur, qui singulos disputatos articulos consequenter examinent et de singulis conscientiose pronuncient.

2. Cum vero ante biennium post Disputationem Albensem in dimissione et nunc in literis convocatoriis Principis serenissimi perstringamur quasi non puro Dei verbo seu Sacrae Scripturae testimoniis, verum Patrum

[1]) Histor. Ref. p. 216.

tantum doctrinis nitamur, solenniter coram Majestate Regia protestamur, nos primum ex pura Sacra Scriptura disputaturos, atque ex ejus consensu et consonantia antecedentium et consequentium veram interpretationem sumpturos. Deinde et Apostolico ac reliquis Ecclesiarum Symbolis. Tertio ex testificatione Doctorum Ecclesiasticorum continua, cum scriptum sit: Interroga Patres tuos et ipsi dicent tibi. Quarto ex perspicuis Scriptis clarissimorum et doctissimorum virorum, quorum opera in hac Mundi senecta, Deus ad veritatem Evangelii patefaciendam usus est in multis Christiani orbis regionibus, quive animas suas pro testamento Domini posuerunt.

3. Quando vero partis adversae mores et in disputando consuetudo nota sit, quod nunc dilationibus, nunc importunis interpellationibus, nunc cavillis et captiosis quaestionibus subterfugium quaerant. Ideo Principi clementissimo supplicamus, ut partem adversam serio praecepto ad simplicem modestiam, verumque ac utilem actionum ordinem cogat, quo cathegorice sine subterfugiis ad objecta et simplicia argumenta respondeant, responso autem dato locum dicendi catholicis concedant, ne interpellationis importunitas disputantem a proposito et a vero scopo avertat.

4. Cum autem Deus ipse mandet, ut honore invicem praeveniamus, Majestati Regiae ut Domino nostro clementissimo vera animorum submissione supplicamus, quo partibus piam honestatem et modestiam mandare dignetur, ne quispiam temeraria licentia in disputando choleram suam in partem adversam expirare aut verbis eam contumeliosis afficere praesumat.

5. Quoniam etiam testimoniorum citatione inversa saepe falli solent incauti, ideo supplicamus Majestati Regiae, quo subordinare dignetur, ut ex libris authenticis, et linguis, quibus Spiritus Sanctus in publicanda veritate sua usus est, cuncta testimonia perlegantur, ad judicii rectitudinem formandam.

6. Cum denique omnia ad rectam institutionem fieri et ad Ecclesiarum aedificationem ac consolationem publicari debeant, scribas bonarum conscientiarum et optimae fidei collocari cupimus, qui omnia argumenta cum aliis necessariis fideliter annotent et excipiant.

7. Cum porro Regia Majestas Princeps noster clementissimus supremus Magistratus sit harum regionum eidemque tabularum Dei custodia a Deo sit commissa, de partis victae poena nihil decrevimus, verum hanc ipsius sapientissimo judicio permittimus.

8. Ne vero causae Catholicae, quam profitemur, diffidere videamur, tuto etiam ad judicia piarum Academiarum in omnibus Christiani orbis regionibus provocamus.

RESPONSIO Ministrorum Professionis Evangelicae (Unita-

riae) ad conditiones propositas Catholicorum (Reformatorum).

Serenissime Princeps Domine Domine nobis clementissime! Vidimus adversae partis conditiones, quae quidem ab illis nobis proponi non potuissent cum a nobis vocati sint ad disputationem. Verum ut modestia nostra nota sit, et illis et aliis omnibus, quaecunque ex eorum conditionibus verbo Dei non sunt contraria et aedificationi Ecclesiae serviunt, libenter admittemus.

Primam conditionem, quamvis duram legem nobis praescribit, nihilominus tamen eam admittimus, si ex nostris tot numero admittentur Arbitri, quot illorum deligentur a Majestate vestra Regia, interim cum Domini Hungari et Saxones in plerisque articulis dissentiant miramur cur eos Arbitros adhibeant in hac causa.

Secundo interpretationem citatorum testimoniorum ex antecedentibus et consequentibus, item ex aliis Scripturae Sacrae testimoniis admittemus. Symbola vero quatenus consentiunt verbo Dei; extra id nulli nos subjicimus; scimus enim cujus simus discipuli.

Tertio subterfugia et dilationes nullas quaerimus et cum omnis disputatio versetur in Quaestione et Responsione ut veritas patefiat, omnino sine quaestionibus transigi posse disputationem nequaquam speramus. Et quia adversarii quaestiones admittere nolunt, ipsos subterfugia quaerere manifestum est.

Quartum per omnia admittimus et nostram modestiam pollicemur, etiamsi adversa pars intra metas legis hujus non se contineat.

Quintam quoque conditionem admittimus ut testimonia legantur ex ipso codice Biblico et versione Latina quamcunque magis purgatam adversa quoque pars fatebitur esse.

Sextam conditionem et nos justam et legitimam esse fatemur.

Septimam cum ex verbo Dei desumpta sit, et inflictio poenarum ad magistratum pertineat, admittimus, hac tamen conditione, quod si adversa pars victa fuerit, supplicamus Serenissimo Principi humiliter, ne puniantur; imo omni honore afficiantur; quia vult Deus, ut convertatur peccator et vivat. Si vero nos victi fuerimus, faciat S. M. pro suo arbitrio.

Octavam conditionem de provocatione ad judicium Academiarum admittere non possumus. Nam et ipsi adversarii in causa coenae hanc conditionem rejecerunt: et cum unus sit Magister et Pater noster contra Christi mandatum cur haec postulantur non videmus. In hunc sensum datis literis et acceptis tandem de Conditionibus inter partes conventum est.

Disputatio habita est per decem dies Albae Juliae in palatio majori, praesente Serenissimo Rege et cunctis Aulae Proceribus. Novatorum S. S. Trinitatem negantium Antesignanus erat Franciscus Davidis ad latus dextrum habens D. Blandratam, quibus adjuncti fuerant Paulus Julanus Rector Scholae Albensis, Stephanus Basilii Praedicator

Hungarorum Kolosvariensium, qui Vittebergae sanae doctrinae fundamenta jecerat, reversus vero in Patriam Fidem et Religionem abjecerat et Demetrius Hunyadi. A parte vero Catholicam veritatem profitentium agmen ducebat Petrus Melius Pastor Ecclesiae Debrecinae, Ecclesiarumque Reformatarum in Hungaria Superintendens, cui assistebat Georgius Tzegledi Pastor Varadiensis, Andreas Sándor Pastor Devaiensis, Paulus Turi Pastor Bihoriensis, Laurentius Klein Pastor Ecclesiae Bistriciensis, Petrus Karoli Rector scholae Varadiensis. Postquam consessum esset, collati sunt utrinque a Rege Arbitri. Ex parte Catholicae veritatis Defensorum Matthias Hebler, Sebastianus Karoli, Caspar Heltai et Nicolaus Insulanus. Ex parte vero Novatorum, Ludovicus Szegedi, Stephanus Tsarmai, Nicolaus Starius et Paulus Kárádi.

Disputationem cum fervore orsi decem dies non modestius continuarunt, et sine omni qui in Ecclesiam Christi redundaret fructu clauserunt. Blandrata ipse qui Actus hujus follis et fomes apud Regem fuerat, non eadam qua coeperat alacritate et promptitudine usque ad finem fuit. Cum enim quarto die a Tzegledio quem pridie ipse provocaverat, stringeretur, postquam cogitabundus diu tacens haesisset et Auditorium mire suspendisset, tandem respondit: se non esse Theologum sed Medicum. Quare a catholicis Arbitris graviter objurgatus est, quod sua professione non contentus, rebus iis se immisceret, quarum perfectam cognitionem non haberet. Nec auspicacior ipsi sextus dies fuit; a Magnifico enim viro Casparo Bekes inconstantiae palam in os arguebatur, eo quod teste Rege et tota Aula aliter a tribus ante actis annis in Aula docuisset, ac tunc respondisset. Et cum antea se Doctorem esse Corporis et Animae saepe juctasset, nono die eo adactus est, ut in haec verba de causa sua desperabundus prorumperet: Quod ad Me vero attinet, Ego nec scio, nec possum illud explicare. Raucedine enim laboro. Neque sum Ego Doctor Theologiae, sed Medicinae. Quo responso illustri Auditorio risum movit, et Acta ejus diei inglorius clausit[1]). Ita Fr. Papai Summam Disputationis ex Disputatione Albana tunc per Casparum Heltai edita exhibuit.

§ VIII. *Unio et Unitarii nominis origo. Rationes Unionis.* Renovarunt eodem anno conclusum, quod primum anno 1557 in Diaeta Tordae ediderant ac anno 1563 a Regni ordinibus confirmatum erat in negotio Religionis: Ut quisque eam quam mavult Religionem amplectatur sine omni coactione, et in alendis suae Fidei concionatoribus et usu Sacramentorum quisque liber sit et neutra partium cum altera, injuriis aut vi, certare de-

---

[1]) Fr. P. Papai in Rudere R. ad an. 1568. Casp. Heltai in Disputatione Albana.

beat.[1]). Imo diversae Religiones inter se inierunt unionem, quod ratione Religionis se invicem turbare et odio prosequi nollent[2]).

Ex qua Unione dicti sunt Uniti vel Unitarii, tales nimirum qui aequali cum caeteris jure, qui alterius essent Religionis, Regnum incolere possent, quibuscum Unitam vel Unam efficerent Rempublicam. Adhaesit denominatio iis qui Patrem solum verum et aeternum confiterentur, ultro etiam iis eam admittentibus: illi vero qui tres Personas in una essentia asserebant, ex adverso Trinitarii sunt dicti.

Ad hanc Unionem ineundam tam Reformatos quam Antitrinitarios variae compellebant causae. Reformati observabant dietim clam palamve adversariorum numerum augeri, tum (1 quia Ratio corrupta libenter excusationes in defectibus sibi quaerere niteretur et magis ad ea admittenda inclinat, ubi mysteria non videt suaque capacitate exhaurire valet. Tum (2 quia ex consilio Blandratae Rex (etsi palam nondum confiteretur eam haeresin) promovebat ad officia faciles in Religione, qui tollerantiam opinionum urgebant, imo ad nutum Principis inclinabant. Hi turbas facere non videbantur, ergo officia et donaria facilius auferebant. (3 Quia in Religione constantes et immotos requisitus per supplices libellos de negotiis suis occurrentibus raro bonis consolabatur responsis, raro ad officia promovebat publica. Ab altera parte abnegantes SS. Trinitatem (1 metuebant de imminente brevi mutatione, cum Rex tenerae admodum esset valetudinis. (2 Tota Hungaria sequebatur Religionem Reformatam et succurrebat subinde Reformatis in Transylvania. (3 Quia ubique haec Religio Antitrinitariorum in omnium erat odio, nec admittenda Christianis, imo qui eam sequebantur numero Christianorum excludendi censebantur. Utraque igitur pars sonticas habuit causas Unionem conficiendi admittendive.

§ IX. *Disputatio Varadiensis.* — Pax in Religione nondum erat, multorumque animi spinetis tricisque humanae ratiocinationis implicati dubii inquieti etiam haerebant. Placuit ergo materias controversas rursum Disputationi subjicere si fieri posset peremptoriae Varadini anno 1569; quo jussu Principis Ecclesiarum Ministri convocati sunt ad diem decimum octobris.

Epistola convocatoria per Franciscum Davidis Superintendentem Unitariorum emissa haec est:

A Deo Patre per Jesum Christum illuminationis et verae sapientiae Spiritum precamur omnibus Filii Dei electis et fidelibus Christianis.

Deus aeternus Pater noster coelestis, qui cordium omnium videt et intelligit secreta, nobis testis est, quod admonitionem Apostoli in nostra

---

[1]) Sigler in Chronologia pag. 87. Confer. Approb. Const. P. III. Tit. I.

[2]) Gelei in Dedicat. operis Titkok Titka.

vocatione libentes admodum sequeremur ut videlicet pugnae verborum vitarentur, nisi nos adversae partis clamores et comitia ad id ipsum cogerent. Cogimur itaque cum illis iterum congredi propter causas subsequentes. Primo omnibus notum est, quod Doctores et Ministri Hungarici Fratres nostri, non solum nos ipsos, sed etiam veritatem Dei quam nos profitemur, variis modis traducunt, ad quam propugnandam et confirmandam obstricti sumus. Deinde si qui reperiuntur ex Ministris qui in conscientia convicti de veritate doctrinae, quam per nos Deus manifestavit, eam sequuntur, non solum contra Regni instituta illos damnant et e loco pellunt, sed etiam cogunt ut contra conscientiam veritatem abnegent. Unde varia scandala oriuntur, dissidia et tumultus contra Christianam charitatem et fraternam. Tertio cum fratres nostros juxta votum piorum quod ad officium docendi ad ipsos emittimus, non solum conviciis impetunt et ad certamina singularia vocant, sed etiam a sermone et veritatis defensione arcent, et miro artificio excogitati rumores sparguntur de victoria et confusione nostrorum, unde multi et potissimum qui in veritate doctrinae confirmati non sunt, offenduntur. Hos non confirmare et non consolari esset grande peccatum, et coram Deo et coram hominibus. Ultimo multi pii Deum timentes, qui propter hos tumultus in cordibus sauciati sunt et scripta nostra legere nesciunt, expetunt ut lingua Ungarica publica disputatio certo in loco instituatur, ubi articuli praecipui, de quibus hoc tempore controversia mota est, repetantur et ex verbo Dei examinentur et comprobentur. Credimus autem quod omnes pii Deum timentes ex causis recitatis agnoscant, nos aliud facere non posse, quam ut simplicitatem doctrinae, quam hactenus docuimus defendamus ejus praesidio qui promisit, se ex ore infantium perfecturum suam laudem. Itaque articulos nostrae confessionis propositionibus brevibus ad disputandum complexi sumus, edidimus et vobis misimus, ut vos Ministri juxta dignitatem vocationis vestrae pro gloria Dei ejusque Filii ad praefixum diem, nempe decimum Octobris, Varadini compareatis. Et quia multi ex vobis nos accusant, quod doctrina quam docemus, vera non sit, ostendatur ex sacris literis, in quo erramus. Nos enim puritatem verbi Dei amamus et illud tantum sequi volumus.

Deus Pacis et consolationis, Pater Domini nostri Jesu Christi dirigat per Spiritum Suum nos omnes, ut eum recte agnoscamus et in omni veritate ei obtemperemus in suo Filio Jesu Ch. Domino nostro. Amen.

Franciscus Davidis Servus Ecclesiae
Jesu Christi crucifixi cum Ministris
fidelibus in Transylvania.

Propositiones Francisci Davidis.

I. Trinitas quam Romanus Pontifex cum suis asseclis confitetur, non Trinitas est, sed quaternitas ex doctrina extra verbum Dei excogitata; imo potius non quaternitatem, sed quintitatem confitentur, nempe quatuor Deos, unam essentiam, quae Deus est, tres Personas, quarum quaelibet Deus sit, et unum hominem Christum. Nos vero juxta verbum Dei, unum Deum confitemur, qui est Pater ille, ex quo et a quo sunt omnia, et qui est super omnia; qui verbo sapientiae suae et Spiritu oris sui omnia creavit; extra hunc alius Deus non est, nec Trinus, nec quaternus, nec essentiatus, nec personatus; quia sacrae literae Trinitatis Deorum nullam faciunt mentionem.

II. Unus est Dei Filius Jesus Christus Deus et homo, non potest igitur esse vel dici primogenitus vel unigenitus Dei, qui non sit Deus et homo.

III. Non est in sacris Literis nominatus uspiam Filius Deus, qui vel ex essentia Dei ab aeterno genitus, vel ab aeterno realiter subsistens fuisset, vel qui in Trinitate secunda fuisset persona, qui e coelis descendens carnem sumpsisset. Ideo opiniones de ejusmodi Personis et incarnatione tanquam humanum inventum repudiamus.

IV. Alius igitur Filius Dei non est praeter eum qui ex Spiritu Sancto in utero virginis conceptus est et natus Luc. I. Rom. I. Matth. 22.

V. Jesus Christus dicitur Deus et homo, non propterea, quia sit Deus a seipso existens, sed quia Pater plenitudinem suae Deitatis dederit illi et communicaverit cum illo, et per suum Spiritum sibi ipsi genuit, sanctificavit', et in Mundum misit.

VI. Aequalitatem Christi cum Patre non negamus, imo docemus eam scil. quam Pater illi dederit et in eo esse testificatus est; ita ut Patre manente in sua excellente dignitate et Principatu, non somniemus aliquam non datam aequalitatem tanquam genito haeredi.

VII. Quod Filius Dei fuerit ab aeterno in ipsius decreto ex cognitione non negamus; hac enim ratione omnia sunt praesentia illi, sed quod realiter ab aeterno natus fuisset, id nec Deus ipse, nec Prophetae, nec Apostoli testantur.

VIII. Non fuit unquam Christus vel Filius Dei, qui vel purus homo, vel purus Deus fuisset, sed tunc cognitus est Christus Filius Dei esse, cum Angelus Mariae et Pastoribus id ipsum annunciavit, qui secundum carnem declaratus est filius esse Davidis, in Spiritu autem Filius Dei et Davidis Dominus, qui est unctus ille Deus a Deo, supra consortes suos, est in nostrum Mediatorem, Sacerdotem, Judicem et Dominum ordinatus, in quo juxta voluntatem Dei nostra spes et salus reposita est.

IX. Spiritus Sanctus non est Deus a seipso existens, nec personatus

Deus in Trinitate, sed Spiritus Patris et Filii ἀῤῥαβὼν et sigillum haereditatis nostrae, quem Pater abunde per Filium in nos effundit, ut virtus ejus vivifica in nobis reperiatur et agnoscatur.

Argumenta his Propositionibus solide opposita conferri possunt et legi in Historia Reformationis [1]).

Literae orthodoxorum in Hungaria Ministrorum ad Sereniss. Regem Joannem II scriptae et anno 1569 die X Octobr. eidem Varadini exhibitae:

Sacra Regia Majestas, Domine et Patrone nobis natura clementissime, Gratiam Dei Pacem sempiternam ac Throni Majestatis tuae stabilitatem ad gloriam Dei et Patriae salutarem quietem Majestati Tuae sacratissimae precantur et obsequiorum suorum fidelitatem humilime commendant.

Exhibuit nobis Literas Majestatis Tuae sacratissimae legendas Egregius Dominus Gabriel Pekri, Capitaneus Arcis Majestatis Tuae Varadiensis, in quibus dabatur a Majestate Tua sacratissima in mandatis ipsi Egregio Domino Capitaneo, ut singula exemplaria editarum Thesium, quas Dominus Franciscus Davidis Majestatis Tuae Concionator nuper conscripserat, nobis et Petro Melio Fratribus ultra Tibiscum divulgandas dimitteret, eo quod praedictus Majestatis Tuae concionator Varadini de illis disputationem instituere vellet. Hinc rumor inter omnes increbuit ordines hic Varadini Generalem et ultimam de his controversiis fore actionem. Et quamvis nec mandatum a Majestate Tua super hac re viderimus, nec ipse Dominus Franciscus ullam authoritatem in Ecclesias Hungaricas, quae proprium diversaeque professionis superintendentem vigore Literarum Majestatis Tuae cognoscunt, habeat; tamen ex Dominis Familiaribus Aulae Majestatis Tuae subinde audimus Majestatem Tuam disputationem fieri et expectare velle. Nunc Majestas tua sacratissima dignetur cognoscere supplices petimus. Nunquam hostes Christi et nostros adversarios formidavimus, nunquam Congressum detrectavimus, tametsi ipsum Paulum disuasorem habeamus, qui post unam atque alteram admonitionem haereticos vitandos censet; sed ne nunc quidem detrectabimus duce Christo, si citra injuriam partis nostrae actio procedat. Imo pulchrum et gloriosum credimus in hac causa tuenda vincere et pati. Testata haec fecimus aliquot longis itineribus, dum adversarios sub lare privato palantes cum maxima difficultate, periculo et suo dispendio in suo nido requisivimus. Testati sunt et ipsi de se, cum adversarii a nobis e nido in apricum evocati tyrones Scholasticos (ut olim Pharisaeorum discipulos) emitterent. Summa igitur rei sic se habet.

---

[1]) Confer a pag. 230—246.

Disputatio haec aut privata et particularis aut publica et generalis futura est. Differentes haec ab illa debet habere conditiones. Si Majestas Tua sacratissima volet, ut nos convocatis vicinis cum adversariis congrediamur, obsequi debemus, cum propter authoritatem Majestatis Tuae sacratissimae, tum maxime propter Deum, cujus Spiritus nos immeritos in his Ecclesiis Pastores constituit, ut nobis et gregi attendamus, luposque ab ovili Christi arceamus. Quid autem de eventu et fine hujus particularis disceptationis sperandum sit, certaminum priorum exitus facile docere possunt. Si vero publice et in generali Ecclesiarum Ungaricarum Synodo fuerit agendum, diversus circumstantiarum modus et ordo requiritur. Primum enim si Doctor ille Gentium longo itinere Jacobum et alios Hierosolymis requirere non dubitavit, quorum opere non indigebat, ut consensum et veritatem in doctrina coram omnibus assereret, multo aequius est ut nos Fratres nostros praesertim qui ultra Tibiscum sunt requiramus, quibuscum nobis unus Deus, unus Christus, una Religio, una Fides, unum Baptisma, una denique est Patria, quo constat non obstare imperiorum diversitatem, quominus in causa Christi et Domini Redemptoris nostri simul vivamus et moriamur. Deinde tempus idoneum est praefigendum, ne vel levitate accessus impediatur vel importunitate publicum damnum accessatur. Tertio locus deligendus, in quo Pastores diversarum ditionum comparere possint, quod citra salvum conductum adversariorum Principum Christianorum pariter et Turcicorum fieri nequit. Quarto cum ad congressum contrariarum partium consensus utrinque jure gentium requiratur, non debet altera a seipsa, citra cognitionem et consensum partis alterius de loco, tempore, ordine et conditionibus statuere.

Nunc Rex, Princeps et Domine Clementissime, nihil a Domino Francisco est observatum. Decrevit a seipso, advenit insperatus, juri nostro opponit violentiam, locum statuit Fratribus nostris, qui ultra Tibiscum sunt, inaccessibilem, idque vindemiarum tempore, sine salvo conductu ac arctiore spatio, quam ut Fratres nostri absoluta veniendi facultate apud suum Imperatorem impetrata accurrere possint. Quae impedimenta cum non semel a Domino Francisco experti simus, merito se omnibus suspectum facit, ex industria se tales artes excogitare, ut adversariis suis advolare non valentibus, leviore negotio contra jus et fas errores portentosos disseminare possit. Nunc autem a Majestate Tua Sacratissima nihil praeter justum et aequum suppliciter petimus, ut si publicam generalemque mandatura sit Disputationem celebrari, praemissas circumstantias expendere et de his sic statuere dignetur, ne partium ulla de injuria queri possit. Si vero Majestati Tuae sacratissimae diversum placuerit, opere Spiritus coelestis adjuti, sic nobis et gregi in hac particulari Provincia nostra attendemus sicque nos adversariis opponemus, ut nos causae nostrae nec defuisse, nec defecisse experiantur. Deus coeli Thro-

num Majestatis Tuae sacratissimae justitia, aequitate et misericordia stabiliat ac tueatur semper ad gloriam sui nominis et quietem nostram salutarem. Amen.

Ministri Ecclesiarum Ungaricarum cis Tibiscum.

Conditiones Disputationis.

Sacra Regia Majestas Princeps Domine et Patrone clementissime. Postquam ad Theses D. Francisci Majestatis Tuae sacratissimae accessisset mandatum et voluntas, manere nos debet obedientiae necessitas. Neque priore libello supplici aliud voluimus, quam ut certamen generale an vero partiale futurum esset cognosceremus. Et quamvis aequius fuerat, ut sicut nos non nisi vocati ad Theses D. Francisci impugnandas iter Transylvanicum suscepimus, sic et ipse adversarius revocatus Theses nostras impugnaret; tamen major est apud nos Majestatis Tuae authoritas, quam ut de jure nostro hac in parte adversariis nostris cedere nolimus. Itaque disputabimus (sit nomen Domini benedictum). Una tantum hebdomade terminum differri humilime petimus. Et quia tumultuosam disputationem Spiritus Christi odit, M. T. quoque sacratissima benigne annuit nobis, ut conditiones ad rem bene agendam et finiendam facientes ordine signaremus. Nunc eas M. T. sacratissimae offerimus, utque eas sacratissima T. M. ratas habeat suppliciter petimus. Et enim citra has conditiones (sensa animi nostri M. T. S. ingenue et libere effari debemus) disputare nullo modo volumus, sed in patientia possidebimus animas nostras et malumus in silentio et spe fortes esse, quam sine conditionibus Dei gloriam et Ecclesiae aedificationem laedere. Quid enim attinet verbis contrariis sine modo pugnare, si sanorum judicium, et Christianarum in toto orbe Academiarum arbitrium adversarii fugitare perrexerint.

Primum. Cum Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines, textum Biblicum ratum et inviolabilem esse volumus, non permissuri vel ipsis Angelis, ut mortalium quisquam profano ausu alia hinc expungat, alia inferat, alia conjungat, dividat, mutet, inque dubium vocet, quae in nativa Lingua authentice habentur. In lectionum autem varietate Ecclesiam Dei consulere volumus, non unum alterumve perfugam.

Secundo. Mentem et sensum citati Textus, non e cerebro privato, sed ex analogia et collatione scripturarum edisseri postulamus. Sic adversario Textu pugnanti Textu repugnabimus. Interpretem vero agenti opponemus interpretes eo et doctiores et saniores. Atque hac in parte volumus plus dari authoritatibus orthodoxae Ecclesiae consentientis, quam huic vel illi perfugae.

Tertio. Multi sunt loci V. T. qui viva voce ab ipso Christo et Apostolis explicati et quasi digito monstrati sunt, volumus ut omnis inter-

pretatio, quae huic opponitur, ceu commentum vanissimum publice repudietur.

Quarto. Quoniam adversarius nos ad Disputationem provocavit, meminerit sui esse officii, non ut concionibus bonas horas consumentibus, sed ut argumenta, ut doctis et non ambitiosis dignum est assumat, in his consistat ne evagetur instantias, ut sine sarcasticis mychterismis solvat.

Quinto. Scimus adversarium ternos quaternosque eligere solere respondentes, unde dum contrarias horum solutiones frustra conciliare laborat et tempus incassum praeterit. Caeterum si juniores volent nobiscum in arenam descendere, habemus scholam in qua se fatigare possunt.

Sexto. Ut haec rite fieri possint, cupimus eligi binos utrinque arbitros, qui actionis ordinem moderentur, ne quid contra modestiam et decorum committatur. Horum fuerit extra propositum evagantibus imponere silentium et eos ad institutam Thesin revocare, citata denique testimonia ex fontibus nativae linguae examinanda jubere.

Septimo. Quod praecipuum est, a Majestate Tua sacratissima hoc nobis annui et concedi humiliime petimus, ut oppositiones nostras cum confirmationibus, adversarii item responsiones in tota hac Disputatione per juratos Amanuenses Latina Lingua fideliter et sancte descriptas ad Academias orbis Christiani praecipuas M. T. S. transmittere dignetur, ut earum consentienti arbitrio causa cujusque stet aut cadat. Nemo enim lucem fugere aut odisse potest, nisi qui natus sit e tenebris ad tenebras.

Ut autem toti Ecclesiae constet Majestatem Tuam Regiam serio petere optatum finem horum certaminum atque de executione conditionum omnes fideles quieto sint animo, suppliciter oramus M. T. S. ut exemplo aliorum Principum Christianorum, inter quos Majestatem Tuam Regiam excellere desideramus, istarum conditionum certam executionem signato Diplomate ratificare dignetur. S. M. T.

Humilime Subjecti Ministri Ecclesiarum
cis Tibiscum.

Sententia Catholica seu Consensus Ministrorum in Hungaria orthodoxam Sententiam profitentium ac defendentium contra Franciscum Davidis, Georgium Blandratam et Unitarios Transylvanos communi consensu receptus et confirmatus in eadem Synodo Varadiensi, die 10 Octobris anno 1569.

Thesis I. Esse Deum, qui omnia et Mundum moderatur, testatur id scriptura Prophetarum et Apostolorum, creatio Mundi, natura Mentis humanae, judicium conscientiae, notitia legis divinae, ipsaque idololatria, testantur Ethnicorum scripta.

II. Deum esse essentiam Spiritualem aeternam, omnipotentem, invisi-

bilem, immutabilem, immortalem, creatricem omnium, boni omnis fontem et originem, conservatricem totius machinae Mundi, castam, justam, liberrimam, sapientem, odio habentem peccatum.

III. Deum nunquam fuisse absque sua sapientia et virtute, λόγω et Spiritu, quemadmodum nunquam est sol absque radiis et calore, anima absque intellectu et voluntate, ignis absque flamma et calore, ideoque ab aeterno fuisse in Deo uno tres realiter distinctas vel proprietates hypostaticas vel personales ut hodie loquuntur, etiamsi obscure fuerint agniti Patrem gignentem, Filium genitum a Patre, Spiritum Sanctum procedentem a Patre et Filio.

IV. Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse unius et ejusdem essentiae, Majestatis, omnipotentiae, eodem cultu coli simul, creatorem esse coeli et terrae et totius Mundi, non solum Patrem absque Filio, sed simul Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, non tamen tres Deos sed unum.

V. Filium ab aeterno fuisse non praedestinatione tantum sed realiter genitum de essentia Patris et simul in tempore omnia creasse, postea autem carne humana vestitum, factum fuisse nostrum Redemptorem. Ita ut Deus homo esse et una Persona unum ὑφιςαμενον absque ulla naturarum permutatione, ex altera quidem parte verus Deus, ex altera verus homo.

VI. Spiritum Sanctum esse verum cum Filio et Patre unum verum Deum, ejusdem Divinitatis, Majestatis, cultus, operationis esseque tertiam hypostasin Divinitatis.

Nomina Ministrorum verbi Dei orthodoxam Sententiam de sacro Sancta Trinitate in synode Varadiense defendentium et amplectentium superiorique confessioni propria manu subscribentium:

Petrus Melius Superintendens Ecclesiarum Transtibiscanarum in Hungaria.

Georgius Cegledius S. Debrecinensis.

Petrus Carolius. Past. Ecclesiae Varadiensis et Senior Bihoriensis.

Caspar Carolius, P. E. Göntziensium et Senior in valle Cassoviensi.

Michael Hevesi Sen. Miskolciensis.

Valentinus Hellopeus Sen. et Past. Agriem.

Laurentius Liszkanus.

Franciscus Strigonius.

Paulus Albensis Past. E. Püspökiensis.

Franciscus Pankotai. Past. E. Kenderesiens.

Stephanus Tatár. P. E. Böszörmenyiens.

Franciscus Atimus, P. E. in Vajda Kaba.

Matthaeus Desius. P. E. Szekely Vásárhely.

Balthasar Sz. Györgyi P. E. Keressiegien.

Thomas Papai. P. E. Beltekiensis.
Stephanus Szegedi.
Emericus Akosi, P. E. Telegdiensis.
Gregorius Nagylaki, P. E. Kereszturiens.
Martinus Apatur Janosi P. E. N. Letaiens.
Ambrosius Tasi, P. Eccl. Fegyvernek.
Blasius Mezö Gyani Pastor in oppido Regio Maramarosiensi Sziget.
Benedictus Egröinus, P. E. Mezö Vasarhely.
Gregorius Thordensis, P. E. in Csatar.
Lucas Szegedinus P. E. in Töttelek.
Georgius de Szobofilo Past. ibidem.
Gregorius Nánasi Past. ibidem.
Michael Belvari Ph. Vanyaiensis.
Johannes Békéli P. E. Bitseiensis.
Stephanus Kalmantsi P. in Dombegyház.
Michael Eradoni, P. in Gaezal.
Stephanus Kántor Janosi P. Sz. Imreiens.
Adamus Szeredahelly, P. in Csorna.
Johannes Kereki Past. Ecc. Egriensis.
Paulus Thurius Sen. Past. Sz. Peterien.
Johannes Olah Senior.
Johannes Szetsenius.
Benedictus Banfi Hunyadi. P. Thasnadien.
Georgius Desiensis Past. E. Vingardiensis.
Emericus Dioszegi P. E. in Samosnyah.
Johannes Sidó.
Matthaeus Simigius.
Laurent. Szegedi P. E. Bekes Senior in Körös Maros Közi.
Petrus Kéri, P. E. Szamos Szegiens.
Basilius Quinque ecclesiens. P. E. in Deretske.
Michael Tasi M.V.D. in Gyapol.
Francisc. Ţutagi P. E. in Eszlariensis.
Petrus Matthaei Husztius minimus Sanctorum in Gernyeszeg.
Gregorius ölijvódi P. E. in Détse.
Valentinus Szamosujlaki, P. E. in Nábrád.
Petrus Pastoris di Czenger P. E. in Tunyzog.
Michael Szegedi P. E. Széplahiens.
Steph. Medvesi P. E. in Szamos Gyarmat.
Nicodemus Vaesanyi Pastor ibidem.
Blasius Gerendasi Minist. in Szentes.
Sigism. Endredius P. E. Matsoviensis.
Georgius Baki P. E. in Sz. András.

Andreas Dobi V. D. M. Király Darotz.
Steph. Butsehi Past. in Tulka.
Georgius a Kazaperek M. E. Albensis.
Sebast. Kallai Past. Szent tornaviensis.[1])

Ex Transylvania Ministri qui interfuerunt Disputationi pauci annotantur; fuisse tamen series Disputationis docet; serius forte illi accesserant.

§ X. Convenerant huc maxima frequentia Politici aeque ac Ecclesiastici e Transylvania. Rex cum Aulae Familiaribus et aliis consiliariis, Franciscus Davidis cum Ministris suis; aderat etiam Blandrata, sed non disputavit nec in publicum prodiit, sine dubio maculam Juliae praecedenti anno inustam nondum eluerat; veritus ne plures addat vaferrime clam consilia subministrabat publico abstinens. Moderator Synodi fuit Casparus Bekes unus e praecipuis Consiliariis et Patronis Francisci singularibus. Ex parte Reformatorum Magnates, qui interfuerunt praeter Georgium Botskai, annotatum non est.

Duravit Disputatio sex dies in praesentia Regis et Magnatum lingua vernacula. Partes praecipue agebant Melius et Davidis acerrime, absque tamen omni qui tunc in Ecclesiam rediisset fructu. Nam Melius disputavit ad convictionem usque Davidis; at ille tunc se victum nec agnovit nec fassus est. Imo edidit Disputationem ad manus habens Typographum Claudiopolitanum anno 1570 vernacule sub titulo Disputatio Varadiensis multis scommatibus et dicteriis in Petrum Melium et alios maculatam; quae argumento est, actionem descripsisse ut libuit, non ut peracta est et debuit. Hic tamen duo veniunt notanda. Unum est: Davidis etsi victum se tunc palam non ostenderet, in privato tamen Blandratae se victum et tunc fassus est; publice autem tempore condemnationis suae in Diaeta coram omnibus Regni statibus ac ordinibus, ubi ita locutus est: Domine Doctor memineris me adhuc Varadini in disputatione dicere, nos argumenta adversariorum hac ratione non solvere, sed eludere. Ex quo ego tempore in gratiam tuam conscientiam meam captivam tenui[2]). Alterum est, quod fronti Disputationis Varad. a se editae verba illa Gamalielis adscripsit Act. V. 38, 39: Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis et sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur; si vero ex Deo est non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Evenit Francisco quod et Cajafae, ut nesciens prophetaret; conatus enim Deus ipsius in fumum

---

[1]) Hist. Reform. pag. 246.
[2]) Scriptum Fratrum Tran. pag. 256.

abire jussit, quoniam ab ipso erant homine, uti infra fusius dabitur [1])

§ XI. *Confessio Catholica in Synodo Varadiensi.* — In hac Synodo Ministri S. S. Trinitatis dogma propugnantes pulcherrimam de Deo ediderunt confessionem, erroribus adversariorum oppositam, quae simul cum aliis confessionibus mox typis descripta ac Joanni Secundo Regi dedicata est. Haec illa est.

Confessio Pastorum totius Ecclesiae Orthodoxae cis et ultra Tibiscum, eorum omnium, qui in Synodo Váradina haereticis sese uno Spiritu opposuerunt.

Credimus et confitemur juxta scripturam V. et N. Testamenti unum verum et aeternum Deum, Creatorem omnium visibilium et invisibilium, redemptorem et sanctificatorem, unius spiritualis et aeternae essentiae, Patrem aeternum, qui Filium suum ab aeterno genuit inenarrabili modo *λόγον* seu sapientiam suam et eundem ex dilectione misit in Mundum ad assumendam carnem pro redemptione generis humani, qui et Pater noster in dilecto suo Filio factus est. Filium quoque Dei aeternum et unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum ex substantia Patris ante secula genitum, splendorem gloriae et *χαρακτῆρα* substantiae ejus, qui in forma Dei existens, aequalis Patri, descendit de coelo, non Angelos, sed semen Abrahae assumens noster salvator factus est. Is est verus Immanuel admirabilis et gigas dublicis naturae, Deus et homo in unitate personae inseparabili. Filius Dei aeternus juxta Divinitatem, non creatus, non factus, sed genitus. Filius autem hominis seu Davidis in tempore conceptus de Spiritu Sancto; ex Virgine natus, in utraque natura vere Filius Dei adorandus et laudandus in secula. Et Spiritum Sanctum Paracletum, procedentem ab aeterno a Patre et Filio coaeterno, ejusdem essentiae, potentiae, sapientiae et bonitatis, qui mittitur a Patre et Filio ad sanctificanda corda credentium, Spiritus gratiae et precum, qui est arrhabo haereditatis nostrae. Hunc Deum verum, aeternum, unum in essentia et tribus distinctis hypostasibus seu personis confitemur corde et ore esse illum verum Deum et immensum, Deum Jehova Elohim qui se patefecit per creationem et conservationem. Deinde per redemptionem unigeniti et aeterni sui Filii, et per sanctificationem Spiritus Sancti, effusi in Apostolos et in omnes credentes, in cujus nomen, religionem et invocationem baptizati sumus, extra quem et praeter quem nullus est alius Deus. In hunc unum et solum verum Deum credimus tantum et eundem in Spiritu et veritate invocamus. Maledicti Dii, qui non fecerunt coelum et terram. Haec est Prophetica et Apostolica Fides, qua justificatos Patres esse fatemur et sine hac neminem salvari posse universa scriptura lucide et non obscure testatur. Damnamus ergo omnes contrarias doctrinas,

---

[1]) Est ad manus Disputatio Varadiensis typis edita Claudiop. 1570.

quae non amplectuntur hoc fundamentum Prophetarum et Apostolorum et vel plures fingunt esse Deos, quam unum patefactum, vel in unitate essentiae tres hypostases seu personas, dantes in coelo testimonium esse negant. Praecipue vero detestamur horrendam blasphemiam modernorum Ario-Sabellianorum et caeterorum phanaticorum ubivis gentium, qui negant Deum Patrem Domini et salvatoris Jesu Christi, sed impudenter contra sensum scripturae mentiuntur Deum fuisse aliquando, cum non fuerit Pater, quod est asserere Deum fuisse aliquando sine sua sapientia, λόγω seu sermone, qui est Filius Dei, per quem facta sunt et secula. Deinde damnamus et hostes aeterni, proprii et unigeniti Filii Dei, Salvatoris totius Mundi, quem isti falsi Fratres negare audent, et asserunt eum esse temporalem Filium respectu carnis, et dicunt esse Deificatum hominem aliosque filios adoptivos excellere donis, seu Filium Dei esse non natura, sed largitate gratiae et participatione tantum, contra omnem mentem sacrae scripturae, quae fatetur, Christum esse Filium Dei viventis seu aeterni proprium et unigenitum, Deum aeternum, laudandum super omnia in secula, Jehovam exercituum. Denique execramur et blasphemiam in Spiritum Sanctum illorum, qui manifeste audent negare ejus divinitatem et hypostasin realiter existentem, sed dicunt tantum esse virtutem, seu motus in nobis creatos, et non esse credendum in Spiritum Sanctum neque invocandum, cum tamen scriptura testetur eum esse creatorem et distribuere sua dona Ecclesiae et singulis membris illis, prout vult, sanctificare et regenerare credentes, ducere in omnem veritatem, testificari de gratia et voluntate Patris et Filii non tantum in Ministerio publico, verum etiam privatim in cordibus credentium, in cujus nomen, Religionem et invocationem quoque baptizati sumus, quae omnia tribuere creaturae, est summa blasphemia, quae neque in hoc neque in futuro seculo remitti potest. Haec est nostrarum Ecclesiarum simplex et Catholica confessio, in qua ut nos aeternus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi per Spiritum suum sanctum conservare et a Turcicis blasphemiis phanaticorum spirituum liberare dignetur cum toto corde oramus. Amen [1]).

§ XII. *Melii Literae ad Johan. Secundum Regem electum.* — His ita peractis cum adhuc Principem ambiguo gressu vacillare videret Petrus Melius, scripsit ad eum Literas, velut alter Elias, doctrina et Spiritu plenissimas, quas hic interserere necesse putavi, sequentes.

Gratia et Pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo Serenissimae Majestati Tuae cum omnibus invocantibus nomen Domini multiplicentur! Amen.

Cum saepius tacitus mecum de his scripturae locis cogitarem: Cor Regis est in manu Dei. Omnis potestas et imperium et

---

[1]) Histor. Reform. pag. 250.

Regnum ab ipso Deo est. Item: Misericordia et veritas custodiunt Regem. Justus Rex erigit terram et Rex judicans in veritate confirmat terram. Mirabilem potentiam Dei in totius Mundi Gubernatione conspexi, et cum omnium potestas, bonorum et malorum, ab ipso Deo sit, paucos inveniri, qui omnia Providentiae tribuant, sed Fortunae; alii sagacitati consiliorum, et virium suarum efficaciae et industriae; pauci sunt, qui utrumque vincere et vinci ejus solius esse, qui est Deus, Dominus Exercituum, cum de his omnibus eloquia Dei abunde contestentur. Paucissimi sunt, qui ex Regibus et Principibus Apostolo teste 1 Cor. 2, 3 vasa sint misericordiae, et cum Davide, Ezechia Josaphat et Josia justo judicium et justitiam faciant, et Deum ex toto corde et anima diligant et quaerant, audiant et custodiant verbum Domini, ambulent in viis Domini, osculentur ipsun Bar h.e. Filium Dei naturalem hodie a Jehova natum, tanquam Zemach Jehovae i. e. Semen a Jehova genitum Ps. 102 et 2 et 45. Esa 9 et 4 et 11. Zach. 2 et 3 et 6. Joh. 1. 3. 6.

Verum ut Rex Herodes cum Judice Regni Judaici et cum Anna, Cajapha Pontificibus propter haec tria de Christo praedicata Christo illudunt. Primo Quod sit unigenitus a Patre ab aeterno, sine tempore. Deinde Quod sit Deus unus cum Patre ita in se vitam habens ut Pater et omnia Patris ita sunt Filii sicut Patris propter haec duo. Quia Deum proprium Patrem vocat, et se unigenitum a Patre Filium aequalem se Deo faciens. Dein quia se cum Patre unum vocat. Ego et Pater unum sumus et cooperamur et omnes honorent Filium ut Patrem. Ego sum Panis vivus de coelo descendens. Ego sum via, veritas et vita, Rex justitiae. Propter hoc Judaei Christum lapidare volunt, quod se Filium Dei unigenitum a Patre, Patri aequaliter fecit Joh. 5 et 8 et 10. Propter haec a Pontificibus et Pharisaeis coram Pilato accusatur. Primo quod se Unigenitum a Patre, descendentem de coelo fecit. Dein cum sit homo, verum Deum se fecit et Regem salvantem Joh. 10. Mat. 26 Marc. 14, Luc. 23.

Non desunt Pilati et Herodes cum Pontificibus et Pharisaeis, qui et nunc per Francisco-Blandratistas, ut Herodes et Pilatus Filium Dei nothum, spurium, Deum titularem, solo habitu regio illusum, et coronatum, titulari inscriptione gerentem in cruce: Christus Nazarenus Deus et Rex Judaeorum. Mat. 27. Luc. 23. Joh. 19.

Ita et Blandrata cum Francisco Davidis Filium Dei et Deum Jehovam aeternum dicunt, non aeterna generatione, sed solo titulari decreto, praescientia, unctione, cum ipse Pater ideo Christum Filium vocet, quia unigenitus est a Patre Psal. 2. Dicam Decretum Jehovae de me dicentis: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Dicet se ideo Filium Dei, quia est unigenitus a Patre et Spiritu Sancto. Ita

loquitur per Davidem et Apostolum. O Deus thronus tuus aeternus est. Psal. 45. Heb. 1. Ideo unctus es in Regem, quia Deus habens aeternum Thronum es tu, diligis justitiam, odisti vanitatem. Ita et Salomon cum Paulo locutus est. Quia Jehova me ab aeterno possedit, et genuit me sapientiam suam, ideo per me fecit omnia et me ordinavit ut fierem Rex, aut quia in me Filio Dei, plenitudo Dei habitavit ab aeterno, ideo omnia electio, praescientia, praedefinitio, creatio, salvatio, benedictio per me facta sunt. Prov. 8 et 10. Sap. 7. 9. 10. Et ubique Reges et Principes Filius Dei sua deitate distinguit, cum illi unctione et officio sunt Dii, Filius autem ideo, quia unigenitus est a Patre ex ore sapientiaque Patris egressus.

Vehementer gratulatus sum ego et Fratres omnes, cum serenissima Majestas vestra primum anno 1566, secundo anno 1567 ad publicum colloquium omnes Pastores ex Ungaria et Transylvania convocaret suaque praesentia colloquia et disputationes publicas ornaret et totam Synodum Majestatis suae praesentia, imo et benefica Regiaque liberalitate et munificentia promoveret. Et cum anno praeterito S. M. V. praesens Váradini molestias et insulsitates nostras benigne tolleraret, memini S. V. M. dixisse, non ideo me examinare, quasi vellet Blandratae haeresin amplecti, sed tantum velle cognoscere veritatem, dum privatim ex verbo Dei a me de vera cognitione unius solius Dei percontaretur, desiderans scire: An sit idem: unum Deum solum esse et Patrem, an vero differat? et quae sit differentia inter unum solum Deum ac Patrem gignentem? De quibus cum S. Majestati vestrae conscientiose ex verbo Dei dicerem: Sicut in natura proprium singulare differt a communi et universali Natura et substantia, ita ob has rationes, unus Deus et Pater gignens non semper idem sunt, quoties unus Deus Filio et Spiritui Sancto quoque tribuuntur et non soli Patri. Primo. Quia nomen Patris solius est Dei gignentis Filium de sua imagine, solus Deus gignens vocatur Pater habens Filium, nec unquam Filius et Sp. sanctus Deus gignens aut Pater gignens Filiumque suum mittens dici possunt, sed uterque Filius et Spiritus Deus Dominus unus solus dici possunt Deus Filius Deus et Spiritus Sanctus. Non autem Filius est Pater gignens, nec Spiritus est Pater gignens Filium. Cum igitur de Filio et Spiritu Sancto nomen Patris praedicari non possit, non sunt idem Deus solus et Pater. Secundo. Ipsi Antichristi fabulantur Patris deitatem integram totam, non partialem filio datam esse, sed paternitas Patris non est Filio data. Non igitur unus Deus et Pater sunt idem, sicut nugantur Haeretici. Tertio. Pater tantum unus est, de solo gignente Deo dici potest. Nec Pater de tribus testibus, nec tres testes de Patre uno praedicari possunt. Non enim dicitur: Hi tres testes, Pater, sermo, Spiritus

sunt unus Pater, nec contra: Unus Pater sunt tres Testes. De uno autem et solo Deo convertibiliter dici possunt. Hi tres testes Pater, sermo, Spiritus, sunt unum, unus Deus, et contra unus Deus Jehova est Elohim; Dii i. e. tres Testes Pater, Filius et Spir. Sanctus 1 Joh. 5. Deut. 5. et 6. 4. Quarto Quia Deus unus et solus alius esse non potest a Filio et Spiritu S. Deut. 5 et 6. Esa 40 et 45 et 48. Ego Jehova Deus, Creator tuus et salvator: non est Deus et Jehova alius extra me et praeter me. Pater autem alius est a Filio misso. Filius alius a Patre mittente Joh. 5, 6, 8, 10. Alius est Pater qui me misit. Alium Paracletum mittam vobis. Unus Deus Jehova alius a Filio misso Joh. 8 et 10. Ergo Pater et Deus unus solus non sunt idem, nisi cum per appositionem et interpretationem additur. Unus Deus et Pater, sed hoc Filium non excludit. Nam Deus expositive dicitur Pater, non exclusive, sicut Filius dicitur, unus solus Deus Magnus, benedictus Creator, Salvator, cui omne genu flectitur, sed expositive non exclusive, quasi Pater non sit Deus Jehova adorandus Esa 45. Rom. 1 et 9, 5 et 14, 11. Tit 1, 3 et 2, 13. Non sic dicitur Filius verus Deus et vita aeterna ut Pater non sit verus Deus et vita aeterna. De similibus idem est judicium.

Haec cum sereniss. Maj. Vestrae referrem placuerunt et S. M. V. approbavit, quin potius et hoc adjecit: Nondum Francisco Blandratistarum doctrinam aut confessionem recepisse, neque velle approbare et recipere, sed tantum diligenter examinare et cognoscere, an sit vera et fundata in verbo Dei. Hoc cum Fratribus meis referrem, vehementer gratulati sunt, et Deum pro salute M. V. S. uno ore deprecati sunt. Cum igitur et nunc Tsengerini convenissemus, comparere Adversarii Blandratistae noluerunt, cum salvum conductum Principis Germanorum illis exhiberem et offerrem promitteremque illis salvum reditum, sed mala causa facit semper timere. Nos rejectis omnibus difficultatibus comparuimus, quotiescumque S. M. V. mandavit. Illos quoque S. V. V. cogat ut ad liberum colloquium ad nos egrediantur, ut ex verbo Dei nobiscum conferant. Nam certissime persuasi sumus, sicut Debrecini publice et Varadini coram Sacratissima Majestate declaratum est, eos duobus solum argumentis ex verbo Dei desumptis obmutescere, sicut et nunc in Belényes. Békés, Lasko et Tholnae Francisco Blandratistae convicti et conclusi sunt.

Nolumus autem ut nostras importunitates S. M. V. devoret aut sustineat. Tantum ad liberum Colloquium eos invitamus. Si verbo Dei destructi et conclusi non fuerint, judicio omnium Ecclesiae Christi Doctorum et Pastorum in toto orbe terrarum, S. M. V. me infirmum vasculum digna poena et justo judicio puniat, vita et rebus meis privet. Hoc saltem ex verbo Dei et lege naturae ex benigna et clementissima S. M. V.

indulgentia, quae me munifica liberalitate ornavit obtineam, ne accusationes Adversariorum contra me recipiat, sed me coram S. M. V. exaudiat et examinet.

Atque id etiam secundo obtinere cum senioribus Ecclesiae a S. M. V. volo, ut carnalibus armis remotis, liceat nobis publice disputare contra Antitrinitarios libere, solo Dei verbo et doctrinae puritate, rejecta stulta ac privata interpretatione ac detorsione, ut jubet Spir. Sanctus, sed scriptura scripturam interpretetur. Nam hactenus Francisco Blandratistae et Antitrinitarii, cum cognitionis Linguarum sint ignari et fontes ignorent, privata usi sunt detorsione.

Ideo autem hujus Synodi Confessionem S. M. V. dedicare cum literis Theodori Bezae volui, ut intelligeret S. M. V. nos purissimo Dei verbo niti, non opinionibus stultis, nec privatis consiliis, sed cum verbo Dei et Doctoribus Catholicis Ecclesiae verae consentire. Ut ergo S. M. V. pie et benigne eam legat ac dijudicet, juxta Dei verbum oro.

Haec omnia S. M. V. ex tribus Libris meis Genevae editis clarius intelliget, de quibus Bezae judicium annexa exhibent. Bona fide promittimus omnes Francisco-Blandraticos gladio Spiritus Sancti unica hora nos convincere posse, dummodo mittantur ac quaerant veritatem. x August. Anno D 1570[1]).

Servus Jesu Christi et Ecclesiae Christi in Ungaria, Serenissimaeque M. V. subditissimus Petrus Melius Horthinus cum Fratribus suis, Jesu Christi servis et S. M. V. in Domino subditis.

§ XIII. Quoniam Franciscus Davidis habitabat Claudiopoli, multo suo et Sommeri labore totam fere urbem ad suam pertraxit sententiam. Adversabantur eam praecipue Saxoniae civitates liberae, eosque a Civium suorum numero excludebant, quotquot ipsi haeresi addicti essent. Quibus cognitis ira accensi Magnates Unitarii jurabant, se prius Deum Triunum Transylvania ejucturos, quam eorum religio ejiceretur[2]).

Futuram tamen praesagiens mutationem Davidis eo Regem induxit, ut indictis Regni comitiis confirmaret eorum et praecipue Ecclesiae Claudiopolitanae statum. M. Vasarhellyinum ergo Regnicolas congregavit, ubi post longam in Religiosis disceptationem Privilegia quaedam et alia in favorem scholae et Ecclesiae Claudiopolitanae anno 1571 exhibuit. Davidis concionator t. Regis ex more suo in Templo adortus est Ministrum Reformatorum et disputabat in praesentia Regis cum inter disputandum Dextrae Dei mentio facta esset, Rex Ministrum Vasarhelyensem interrogavit: Quid sit sedere ad Dextram Dei? Respondit

---

[1]) Historia Reform. pag. 263.
[2]) Smeizel de St. Eccl. Luth. p. 57.

aequali cum Patre gloria et potestate regnare. Ad haec Rex: Qui id docent? Minister: Orthodoxi Patres[1]).

§ XIV. *Johannes Secundus R. moritur. — Annus mortis.* — Hinc sequenti die versus Arcem Görgény animi relaxandi gratia moturus, equi praeferoces e publica deflexerunt via cum carpento; ubi insigniter laesus ac concussus, concurrentibus etiam morbis aliis uti colica, syncope, defecit[2]). Morbum auxit vehementer, quod filiam Alberti Ducis Bavariae, quam ipsi Maximilianus Imp. obtulerat, at ubi Arianis favere rescivissent, negabant[3]). Suffusus pudore et dolore post quinquaginta quatuor dierum cruciatus (intra quos Blandrata et Davidis praecipue occupatum tenebant[4]) anno 1571 die XIV Martii Aetatis XXXI exspiravit[5]). Annus, Dies et Mensis mortis hoc disticho sunt expressi:

Vt bIs proDIerat septeno MartIVs orbe
FLeVIt egens RegIs Pannona terra bonI.
FregIt IoannI LaChesIs bona fILa seCVndo
PannonII CeCIDIt SpesqVe benIgna soLI.

Sepultus Albae Juliae eodem anno; ubi in Tabella argentea aureis literis memoria ejus consignata est[6]).

§ XV. Sublato ita e vivis Joanne Secundo magnam subiit Religio Antitrinitaria mutationem. Nam in Principem electus Stephanus Bathori, aequi justique amantissimus ac vir doctus, aequo jure ad officia promovebat Reformatos ac Lutheranos ipse Catholici nomen habens, at sacerdotem missaticum toto sui Regiminis Transylvanici tempore non audivit, verum Ministrum Reformatum[7]). Bello hic a Caspare Bekes ob adeptum Principatum impetitus Pacem Religionis coluit, ut externam etiam consequi posset. Alias quoque dominari in conscientias plane abhorruit, prouti ex his verbis, quae dixit ad talia eum patrandum adhortantibus: Regem esse Populorum non conscientiarum, triaque Deum sibi reservasse, creare aliquid ex nihilo: praenosse futura: conscientiis dominari. Et alias: Religionem Christianam occidi, non occidere: gravissimum scelus esse conscientiis dominari, id enim esse coeli arcem invadere[8]).

Principatum cum adipisceretur, juxta constitutiones Regni se in libero

---

[1]) Historia Reform. pag. 687.
[2]) Hist. Ref. pag. 687. W. Bethlen. Hist. Lib. V. p. 281.
[3]) Istvanfi Lib. XXIV. p. 520. Timon in Epit. Chronol. p. 217. et in MSStis.
[4]) Timon ll. cc. et MSSta.
[5]) Extat oratio ejus Funebris Claudiop. excusa 1571, ubi plurima ad hanc rem.
[6]) W. Bethlen ll. cc. p. 281.
[7]) Histor. Ref. pag. 326.
[8]) Confer. Hist. Ref. pag. 281.

Religionis exercitio ac in antiquis libertatibus, privilegiis ac immunitatibus status et ordines Regni conservaturum juramento sanxit. W. Betlen. Lib. V, p. 286.

§ XVI. *Blandrata et Davidis litigant.* — Jussu hujus Principis agitabatur causa Francisci Davidis cum uxore Catharina Barát, quae anno 1574 decisa per divortium, uti superius exhibuimus[1]), quae multum ex ejus detrivit honore, quo enim ante erat acceptior, tanto coram omnibus factus est contemptibilior. Evenit quoque ita Blandratae, cujus respectus primum apud suos ob varias in Religione factiones imminutus, tandem etiam apud alios penitus exolevit. Lites Blandrata primum habere coepit cum Francisco Davidis, cujus haec vera causa notatur. Polluerat se Blandrata peccato Italico, i. e. foeda Sodomisi, quod ubi Francisco innotuisse advertisset, evitabat ejus consortium et eum quoquo modo subvertere conabatur[2]). Disceptatio haec inter ipsos occasionem Reformatis dedit, se suasque Ecclesias cautius ab istis segregandi et attentius sibi cavendi. Lite inter istos progrediente, varia Blandrata excogitavit ad involvendum periculo Franciscum. Lex erat tunc in Transylvania: Nemo in Religione innovaret aut dogma in Regni comitiis non approbatum doceret. Ex occulto Blandratae consilio Tordae an. 1578 decernitur in Synodo de communi prophetia in Ecclesia introducenda, quod dogma omnibus Ministris libertatem dabat sine periculo disserendi inter se et quaerendi in his rebus, quae a Synodo generali nondum erant decretae et constitutae sed de quibus posset seria suscipi deliberatio. His ita in antecessum adornatis circa id tempus Franciscus dixerat in Concione: Christum quoniam natura Deus non esset non posse sine errore invocari, quae sententia erat tunc apud Unitarios communis; ita enim sentiebant, paucis exceptis, prout Jacobus Palaeologus Rector scholae Claudiopolitanae in hac materia scribit: Nullus est sanae mentis homo, qui judicet divinis eum prosequendum esse honoribus qui non sit verus Deus. Monuit Blandrata Franciscum sileret de ea doctrina, de non invocando nempe Jesu Christo, alias futurum esset ut in Transylvania permanere non possint, imo suaderet ut duos aut tres Ministros de ea accusarent et Principi puniendos traderent, ut reliqui, iis punitis, in pace manerent. At Davidis contra conscientiam alios habere puniendos nolens ipse tandem sacrificandus per Blandratam vaferrime et nefarie traditus est.

§ XVII. *F. Socinus venit in Transylvaniam.* — Morabatur clam eo

---

[1]) Superius.

[2]) Scriptum Fratrum Transyl. pag. 239.

tempore Faustus Socinus Basileae, cui Blandrata omnia perscripsit ac obnixe rogavit, ut Transylvaniam ingressus litem jam ortam et ruinam Ecclesiae secum trahentem componeret, Franciscum ab ista sententia propalanda avocaret. Promisit se laturum omnes itineris sumptus. Socinus igitur ex consilio Blandratae abiit in Poloniam, unde cum literis commendatitiis Ecclesiarum venit in Transylvaniam; ubi Hospitium et Mensa ex dolo Blandratae technas Francisco non advertente fuit apud Franciscum, ut omnia ejus dicta fataque observaret Blandrataeque communicaret. Disputabant Franciscus et Socinus acerrime de adoratione et invocatione Jesu Christi, quam Franciscus negabat, Socinus asserebat. Theses quasdam conscripsit Franciscus, argumenta adversus eas scripsit et opposuit Socinus, quae in Responsione solidissime enervavit Franciscus, atque ita ignis flagrans non extinguebatur, sed in majores erumpebat flammas. Unde Blandrata et Socinus pudore indignatione complebantur et dietim magis magisque exasperabantur[1]).

§ XVIII. Rebus ita fluentibus pestilentissimum quoddam scriptum editur sub nomine Davidis cum responsione Blandratae quod tale est.

THESES FRANCISCI DAVIDIS.	ANTITHESES GEORGII BLANDRATAE.
I. Homo ille Jesus Nazarenus Mariae Josephi uxoris filius ex ejusdem semine Josephi conceptus et natus est, quacunque tandem ratione id factum sit: Credimus eum Messiam illum esse in Vet. Testamento a Deo promissum.	I. Homo ille Jesus Nazarenus in Mariae Virginis utero conceptus, ex eaque natus est, Spiritu Sancto eam conceptionem citra carnalem viri alicujus congressum operante. Et quamvis ex Josephi Mariae viri semine nulla prorsus ratione nec conceptus, nec natus fuerit, revera credendum tamen omnino nobis eum Messiam illum esse a Deo in Vet. Testamento promissum.
II. Homo ille Jesus Nazarenus, qui appellatur Christus, non per Spiritum Propheticum sed tantum per Spiritum Sanctum locutus est, et quamvis legatus a Deo fuerit, non tamen quaecunque verba docendo dixit, ex ipsius Dei ore processisse censenda sunt.	II. Homo ille Jesus Nazarenus, qui appellatur Christus, non modo per Spiritum Propheticum sed plus quam Propheticum locutus est, quippe qui expressa Dei imago fuerit et in quo omnis certitudo Deitatis corporaliter habitaverit, adeo ut ne verbum quidem unum docendo dixerit,

[1]) Acta typis tunc descripta sunt ad manus.

III. Hinc fit, ut illius et Apostolorum verba tantum ad Mosaicae Legis et aliorum Propheticorum oraculorum normam expendenda sint, et si quid vel contrarium vel diversum ab eis in illis reperitur aut reperiri videtur, id aut rejiciendum aut certe ita interpretandum sit ut, cum Mosis et Prophetarum Doctrina plane consentiat, quae sola morum, vitae et divini cultus regula nobis esse debet.

IV. Nam inter vetus per Mosen, et novum per Christum percussum foedus nulla penitus est vel in Doctrina (ea praesertim, quae ad mores spectat) vel in divinis promissionibus differentia statuenda, sed in hoc tantummodo differre dicenda, quod in Veteri foedere Literae, in Novo vero Spiritus administratio fuit. Adeo, ut caeteroquin per hoc illud nec antiquatum, nec inveteratum ullo modo, sed informatum dici debet.

V. Praesertim cum Novum illud foedus vere hactenus ad tempus tantum, idque per breve extiterit, id est, usque ad Hierosolymae excidium, nec postea locum nisi ex parte aliqua habuerit, nec habiturum sit, donec Jesus iterum ad nos redierit, et in hoc Mundo in ipsa urbe Hierosolyma instaurata super carnali populo Jacobi, ut caeteri Reges terrae solent, justissime tamen et sanctissime regnaverit.

VI. Interim Jesus est quidem

quod ab ipso Deo ore proprio prolatum fuisse censendum non sit.

III. Hinc fit ut illius et Apostolorum verba tantum authoritatis habere debeant, ut quicquid in Mosis aut Prophetarum quorumcunque scriptis, vel illis adversetur vel adversari videatur, aut prorsus rejiciendum sit, aut certe ex ipsis interpretandum, tamquam illis, quae non modo Mosis et Prophetarum dicta, ubi opus fuerit explicaverint, verum etiam ea partim abrogaverint et ex quibus omnis morum et vitae ratio petenda.

IV. Nam inter vetus foedus per Mosen et Novum per Christum percussum, tanta differentia constituenda est, quanta inter umbram corporis et ipsum corpus. Et quum in Doctrina ea etiam quae ad mores pertinet, tum in divinis promissionibus insignis differentia agnoscenda. Adeo ut vetere nisi quatenus Novo consentiat seposito, in Novo acquiescamus, quippe cum per hoc illud non immutatum modo, sed omnino antiquatum fuerit.

V. Praesertim cum Novum foedus aeternum sit, durareque debeat usque ad Mundi finem nec unquam illa ex parte aut cessavit aut cessatura sit, donec Dominus Jesus de Coelis descendens iterum ad nos veniat, vivos et mortuos judicaturus, et iis qui id foedus receperunt ac servarunt, vitae coelestis et aeternae praemia, iis vero qui vel rejecerunt, vel receptum non servarunt, mortis aeternae poenas daturus.

VI. Interim Jesus est revera

Christus sive Rex populi Dei, sed destinatione tantum, cum ex omnium Prophetarum oraculis certum sit, Christum illum a Deo promissum nullum aliud regnum, quam terrenum, et quale supra dictum est, habiturum.

Christus seu Rex populi Dei; regnum enim Christi illius a Deo promissi non est terrenum, sed coeleste futurum erat, ut nobis ipse Jesus et ejus Discipuli Divina oracula interpretantes exposuerunt.

VII. Ut ejusmodi Regnum statim haberet, missus fuit Jesus a Deo in Mundum, sed quia noluerunt eum Judaei, quibus promissus fuerat, quorum Rex esse debebat, recipere, postquam ab iis contra Dei propositum interemptus fuit, sustulit eum Deus ab iis et in locum transtulit, ubi tuto in Dei protectione quiescit, hoc siquidem est eum sedere in coelis ad Dexteram Dei.

VII. Ut autem ejusmodi Regnum Jesus re ipsa obtineret, opus illi fuit, ita Deo jubente ac decernente, ut mortem crucis sibi ex Dei proposito, a Judaeis, ad quos missus fuerat, inferendam subiret, quo facto a Deo ex mortuis excitatus, in ipsum verum sublimius coelum sublatus est, ubi ad Dextram Dei sedet, hoc est, post ipsum Deum supremum in universam tum coelestem tum terrestrem Ecclesiam potestatem obtinet.

VIII. Ita ibi expectat donec subjiciantur ipsi omnes inimici ejus, ut ita Regnum sibi promissum habeat, nihilque interea agit.

VIII. Itaque haeratione Regnum sibi promissum adeptus, totam gubernat Ecclesiam, atque eodem tempore praedicta Dei potestate sibi communicata et porro ipso Deo authore subjiciendis sibi inimicis suis vacat, donec tandem ad unum omnes debellaverit.

IX. Non igitur Deus amplius dici potest, quemadmodum fortasse cum in Mundo versaretur poterat officii ratione, nam ab officio ut dictum est plane cessat.

IX. Deus igitur nunc summopere dici potest, utpote qui ex ordinatione Dei officio fungatur omnium maximo, ac summa divina potestate et in coelo et in terra sit praedicatus.

X. Propter hanc eandem causam turpiter errant, qui eum nunc absentem adorant, quod non nisi divina ratione fieri potest, cum ne tum quidem, cum praesens erat, sine maxima Dei offensione aliter quam civili et humana quadam ratione adorari posset.

X. Propter hanc eandem causam nunc absens divina ratione omnino adorandus est, cum ante regnum acceptum, dum in terris ageret, plus quam humana et civili adoratione merito adoratus fuerit. Id quod qui non faciunt turpissime in ipsum Deum peccant.

XI. Quare etiam nec illi servire nec cultum aliquem illi praestare alia ratione, quam ei obediendo ejusque praecepta servando, aut possumus aut debemus.

XII. Neque etiam illi confidere, nisi quatenus ea, quae nobis dixit vera esse credamus ei, quae nobis Dei promisit nomine accepturos, nos firmiter esse speremus.

XIII. Illum autem invocare et auxilium ejus et opem in nostris necessitatibus implorare perinde est ac si quis Mariam et alios sanctos mortuos imploret, qui nec quod exaudiant preces nostras nec quod aliquid nobis largiri possint, ullum ne minimum quidem testimonium habent.

XIV. Sed nec ipsum ita invocare possumus, ut pro nobis Deum oret, vel nobis a Deo aliquid impetret, non magis quam praedictos sanctos mortuos, non enim amplius inter Deum et nos Mediatoris officio fungitur. Nam quod scriptum est eum adhuc pro nobis interpellare, nihil aliud sibi vult, quam preces quas,dum hic erat, pro omnibus fidem ipsi habituris Deo obtulit, efficaces etiam nunc esse in ipsius Dei conspectu.

XV. Porro ejus sacerdotium, si modo sacerdos unquam fuit, tunc reipsa finem habuit cum in cruce exspiravit; nec alia ratione ejus

XI. Quare etiam illi tanquam Domino et Deo nostro nobis a summo illo Deo constituto etiam super nos plenissime regnanti et servire, et cultum exhibere tenemur.

XII. Atque etiam tanquam in eo, qui summum bonum nobis Deo approbante ipso actu exhibet, collocare.

XIII. Illum autem invocare et auxilium ejus et opem in nostris necessitatibus implorare perinde est, ac si quis ipsum Deum imploret, quippe quem certum est Dei nomine et preces nostras exaudire, et omnia, quae nobis sunt opus, ipsum posse largiri.

XIV. Possumus etiam ita ipsum invocare, ut pro nobis Deum oret vel a Deo nobis aliquid impetret, sed tamen quatenus hisce loquendi modis potestatem, quam habet nobis subveniendi, non a seipso, sed a Deo ipsum accepisse (siquidem hoc sensu dicit scriptura Christum nunc pro nobis interpellare coram Deo ipso) agnoscere velimus. Multo enim nunc excellentiore ratione in coelis inter nos et Deum Mediator est, quam in terris fuit. In terris Dei benignitatem nobis annunciavit eumque pro nobis vere rogavit, in coelis vero tandem Dei benignitatem ipse nobis praestat et quae a Deo in Ecclesiam suam proficiscuntur, per ipsum cuncta donantur.

XV. Porro ejus sacerdotium re ipsa aeternum est, quo tunc jure inauguratus est, cum post mortem crucis in sancta illa sanctorum in-

oblatio nobis prodest aut prodesse potest, quam propter ipsius oblationis quamvis jam transactae efficaciam, quae perpetuo duret; propter quod etiam ejus sacerdotium perpetuum et ipse sacerdos in aeternum dicitur esse, et adhuc peccata nostra expiare alicubi fortasse scriptum est.

XVI. Quamobrem Jesu Christo in quiete sua placide versari dimisso, nil nos ab eo nunc juvari apud Deum vel credamus vel curemus, nisi quatenus hic inter nos fuit, salutis viam nobis ostendit et ad Deum accedendi modum docuit, donec ad nos regnum accepturus revertendo, vere Christus Dei fiat, in hoc Mundo personaliter praesens nos Dei virtute foveat atque sustentet. Interim ad Deum, ipsum solum, nulla Christi praesente alia ope aut potestate confisi, perpetuo confugiamus.

gressus pro nobis coram Deo apparuit, ubi sui ipsius Deo facta oblatio, non efficacia tantum rei jam transactae, sed praestandi potissimum virtute nobis prodest, quatenus per eam oblationem supremam potestatem est adeptus, quia jugiter nostra peccata expiare et a poenis peccatorum nostrorum nos constanter et perpetuo liberare apertissime in sacris literis praedictum est.

XVI. Quamobrem cum ejusmodi Pontificem habeamus in coelis Domui Dei praepositum, qui semper vivens ad plenum servare potest, qui per ipsum accedunt ad Deum ejus praesenti ope ac potestate confisi, per ipsum Deo et Patri modo preces nostras afferre non intermittamus, donec ipse de coelo veniens ea efficacitate, qua jam Christus vere factus sibi subjicere omnia potest, corpora nostra vilia transformet eaque corpori suo glorioso conformia reddat.

Theses has sub nomine Francisci Davidis a Blandrata publicatas, suas nunquam agnovit, imo etiam extare ab aliis audivit; abiit tamen in contemptum apud plerosque, qui praefixum illis Francisci nomen cernebant et Blandratae technas Franciscum quoquomodo subvertere conantis, non assequebantur.

§ XVIII. *Jacobus Palaeologus.* — Jacobus Palaeologus ex Imperatoria stirpe, Francisco homodoxus, summus ejus et Blandratae amicus, in initio harum turbarum Scholae Claudiopolitanae Rector edidit Tractatum contra Adversarios Francisci, ubi causam ejus et doctrinam tuetur sub Titulo: Confutatio vera et solida Judicii Ecclesiarum Polonicarum de Causa D. Francisci Davidis in quaestione de vera hominis Jesu Christi, Filii Dei viventis invocatione. Authore clarissimo Philosopho et Theologo Doctore Jacobo Palaeologo. In hoc Tractatu formales exhibet literas Ministrorum in Transylvania Francisci partes tuentium, quae

quoniam Comoediam Blandratae et Tragoediam Francisci resque cognitu necessarias contineant, ne toties allegare necessum sit, prologo reciso verbotenus hic inseri merentur. Ita ergo ibi ad Palaeologum non pridem e Transylvania discedentem verba faciunt.[1])

Rem ab ovo repetere ideo supersedemus, quod tu paulo ante ingressum malorum nostrorum ex hoc regno discesseris, et eorum, quae te praesente acta, facta et dicta sunt, optime meminisse potes.

§ XIX. Rectissime vero in eo sentis; quod nostris malis primam occasionem et tanti casus tamque inopinati causam nebulonis (Blandratae) cujusdam spurcissimi foeda Sodomisis praebuerit, ex eo siquidem tempore exulcerato erga bonum virum, ut intelleximus, fuit animo, cui putabat factum suum impium innotuisse, usque adeo, ut aedes illas antea sibi non familiares solum sed et amicissimas ultra divertere nollet, sed hospitium apud Johannem Adam hominem ad omnia scelerum et proditionum ministeria aptissimum eligeret. Accessit vero ad hoc summa in D. Francisco pietas et erga ministros, veritatis studia epiikia, quae impio et atheo homini in dies exacuit furorem conceptum. Nimirum quia Ministros veritati divinae ex cymmeriis emicanti tenebris viam sternere et fores patefacere satagentibus juxta impium consilium impii hominis et instantissimas petitiones Principi affligendos, quo Doctoris libidini satisfieret et gratiam apud suum Principem ex ejusmodi tyrannide erga pios fratres declarata iniret, nunquam voluit tradere, de quo ipse tu recte intellexisti. Cum igitur ne hoc quidem consequi posset, licet saepissime tentaret per literas suas hoc inculcans et frequenter occinens, ecclesiam non habituram pacem, nisi duo vel tres ex ministris novis imbutis opinionibus Principi puniendi dederentur, quo in illis horrendum statueretur exemplum et sic demum de veritate ulterius inquirenda omnibus fraenum injiceretur.

§ XX. Accessit et aliud, quo voluit astutus et vafer ille animos fratrum experiri. Communem esse instituendam Prophetiam censuit, uti nosti, cui tamen ipse interesse noluit, volens tacendo nihil dicere. Ea res tandem omnium malorum mater veluti extitit, nam cum proditores illi, quos optime nosti, acerbius a te tractarentur et suam Philosophiam asininam ruere aut saltem vacillare viderent excanduerunt. Ab eo ergo die coeperunt clancularia cogere consilia, occultos congressus instituere et varias in perniciem nostram moliri calumnias. Suppositias in lucem edere nomine D. Francisci Theses, quas tu ni fallor vidisti. Easdem tandem in antitheses cogere et sic passim circumferre.

§ XXI. Interea D. Franciscus sentiens sibi impios homines perniciem

[1]) Inter Acta de Francisco Davidis edita pag. 238.

undiquaque parare, nihil omisit quod ad sedandos furores istorum attineret, ad quod uti aequus et sincerus erat, quaerebat occasiones, quemadmodum hoc ipsius ad senem datae literae luce clarius meridiana testantur. Quibus senem a pessimo proposito (cujus jam non obscura indicia videre licebat) et sanguinariae vindictae libidine avocaret. Quo quidem quantum effecerit ex sequentibus patebit, antequam igitur senex manifestum se Dei et viri de Ecclesia et veritate bene meriti hostem denunciaret, coepit veteratorie agere de quibusdam conditionibus, quibus incautum ad proponendum animum suum sincerum et purum induceret, quibus quidem inconstantissimus ille non stetit, quemadmodum paulo post intelliges. Nam cum Faustus adesset, qui Doctorem de omnibus etiam privatis ad mensam habitis collationibus et amicis disputationibus, uti scis, invito saepius Domino Francisco factis, certiorem redderet. Nec tamen mentem explicare possent, quo pacto innovationes accusarent bonum virum eo, quod ipse auditor potius quam disputator esset (aliis interea uti scis acerbissime exagitantibus infaustum illum Faustum facem tanti incendii) per literas primum, deinde suo adventu coram coepit de conditionibus agere, quae tales erant, ut nullum inde periculum metuendum esset, sed latuit anguis in herbis, quas Dominus Franciscus, eo quo erat fido certe pectore acceptavit, eas Doctor proposuit hoc modo. Dominus inquit Franciscus scribat fundamentaliter de toto negotio. Respondeat Faustus: mittantur utraque scripta ad Fratres Polonos, videamus judicium illorum, ubi omnia habebimus cogemus generalem Synodum, in qua proponantur utraque scripta et judicet tota Ecclesia, ac quod magis approbatum fuerit et consentaneum verbo Dei, illud pro firmo et rato habeatur.

§ XXII. Conditiones has Dominus Franciscus prout erat aequissimus lubenter acceptavit, maxime, quia judicio ecclesiae rem submittendam Doctor promisit, et cum D Franciscus valetudinarius esset, Faustus tamen ursit coegitque indesinenter bonum virum, ut quam primum absolveret, laborabat in dies quantum pro debilitate corporis licebat, ut voti faceret Faustum compotem. Licet vero olfaceret bonus vir sibi negotium esse cum homine varo, nihilominus nolens Ecclesiae et veritati deesse in opere perficiendo pergebat. Ubi vero absolvit, aliquid morae interpositum est propter operis descriptionem. Amanuensis enim cum negotiis forensibus domini sui majoris ponderis occupatus esset, duo exemplaria tardiuscule describere potuit, veritus si quidem Dominus Franciscus (quod et factum esset) ne supprimeretur scriptum, si unum duntaxat extaret exemplar, duo conscribi voluit. Cujus rei testes personae fide dignae sunt non paucae. Absolutis scriptis, alterum exemplar Fausto, qui saepius dicere consueverat, se non discendi sed docendi potius causa in has terrae partes concessisse, tradidit his verbis: Ecce habes mi

Fauste scriptum cui oro respondeas ex manifesto verbo Dei sine ulla tergiversatione, posthabitis frivolis inanibusque syllogismis et sophisticis Scholasticorum Doctorum consequentiis. Ille capite aperto promittit omnia fideliter perlecturum et intra paucos dies responsurum esse, quippe qui nullius putabat ejus refutationem. Sed audi quaeso quid factum sit, quam primum ipsi copia ejusmodi scripti data fuit, in quo sincere et pure suam in hoc negotio D. Franciscus mentem aperuisset nec ejusmodi esset quale ipse forte existimaret, quippe cujus unico folio per integras duas septumanas scriptitando (uti Adamo Literato ostendit) vix respondere potuerat.

§ XXIII. *Blandrata prodit Franciscum.* — Posthabita respondendi provincia violataque fide promissionis de omnibus Blandratam certiorem facit, accusans D. Franciscum suis ad Judaismum praecipiter ruere, Christoque profligato Mosen in Ecclesias introducere velle ac similes texere in sanctum viri propositum calumnias aggressus est, quo intellecto senex putans facinoris sui patrandi se optimam nactum esse occasionem ad remedia causae suae prolabitur, totum negotium Principi communicat. Erat tum Principissa in transitu versus Varadinum non procul a Claudiopoli, uno videlicet miliaщi in itinere ex quo Doctor eo divertit, cohortem suam fraude doloque instruit; ii fuerunt quos dicit quinquaginta ministri, Demetrius, Stephanus, Eppelius, alter Stephanus et Lucas ille Desinus cum Fausto his totam rationem tractandi negotium aperit Faustoque ex itinere unius miliaris supra Claudiopolim jubet per literas ut significaret D. Francisco se manifestum hostem ejus apud Principem declarasse, sicque inopinato acie instructa bellum indicit. Quod ipsum tamen surdaster ille Dominus Franciscus cum suis celavit tantisper, donec literae Principis ad senatum essent allatae, in quibus mandabatur Senatui, ut Domino Francisco ab officio docendi interdicerent et sub custodia asservarent, donec de eo aliter constitueret Princeps.

§ XXIV. *Franciscus arrestatur.* — Redditae literae sunt Judici Notario praesente. Sequenti vero die cogi senatus debuit quo inscio Judex rem insuetam et inauditam tentare non audebat, licet non expers hujus proditionis, sed dissimulare volens. Interea redit domum Lucas et statim ad aedes soceri (is in lecto decumbebat et amice cum Fausto conferebat ignarus tantae fraudis, ne dicamus latrocinii et perfidiae extremae) accedit et coepit expostulare de hac ingratitudine cum Fausto, quod dum ad mensam D. Francisci vivat, et in sinu prope ejus versetur, calcaneum tamen sustulerit contra ipsum. Ille se diris devovendo excusavit et dixit se nihil horum intelligere. Lucas contra in facie homini restitit, ac significavit praesto esse mandata Principis, quibus capi et in custodia jubetur asservari D. Franciscus. Tunc primum volens audire vir bonus coepit

obsecrare Lucam Italico sermone, ne ita vehementer in se inveheretur (nosti enim is quam sit vehemens) se enim contra officium boni viri nihil admisisse. Inter has contentiones infelix D. Pastor dixit ad Faustum: haec ego jam dudum praesagiebam, sed quaeso recedas hinc, noli clamare, perfice quod coepisti.

§ XXV. *Socinus se excusat.* — Egressus est Faustus Lucamque foris praestolatus est, is ubi D. Francisco negotium literarum Principis significasset domum redire voluit, Faustus in porta ipsum opperiens coepit vehementer se excusare et strenue contendere, nihil se contra officium boni viri commisisse, nam se manibus et pedibus obnixum furori Doctoris, sed ex acri accusatione falsorum fratrum, qui ambitione diversorum officiorum habendorum flagrarent, plane excoecatum esse, ita ut ipsum ne audire quidem rectius suadentem voluerit; ita demum irae habenas se laxasse, idque ideo, quod cum ipse Doctoris sumptibus huc adductus esset et nunc ejus uteretur liberalitate indignum esset, ne non pareret tanto Patrono. In hujus rei vero documentum literas Italico sermone scriptas Notario legendas dedit, in quibus Doctor duellam indicebat D. Francisco his verbis: dices Francisco, me hactenus non declarasse coram Principe, me esse hostem ejus; sed deinceps pro eo me habeat. Fratribus vero dices, ut injuncto ipsis negotio fervide pergant. Ista Italico erant conscripta sermone, Lucas nobis retulit. Negotium autem erat tale, falsas illas Theses quas tuo adhuc tempore sparserant nomine D. Francisci circumducebant per maria et per arida, quaerentes quibus imponerent.

§ XXVI. *Consultantur de statu Francisci.* — Interea dum Franciscus captus asservatur, finito prandio Lucas rursum socerum invisit, is quaerit quid facto opus sit, suasit ille negotium Ecclesiae manifestandum, et cum Dominica instaret dies si fieri posset suggestum conscenderet et plebem de causa suae captivitatis certiorem redderet, ne plebs misera cui tot annis praefuisset calumniis falsorum fratrum seduceretur et scandalizaretur in doctrina; tunc quidem uti Lucas retulit, non acquievit illi, ipse inde abiit. Sequenti die quia concioni Cratzeri interesse Lucas nolebat, ipsum enim docturum putabat, a templo abfuit, circa meridiem in forum prodit, audit D. Franciscum pro concione, dixisse: Quicquid mundus tandem moliatur, tamen Deum unum esse, toti Mundo manifestum fore. Sequenti mox die frequentissimus cogitur senatus, conveniunt Patres conscripti, novitate rei consternati, quid consilii captent ignari, deliguntur viri primores ad Principem, qui intercedant, ne hac ignominia tantum virum et Pastorem ipsorum afficiat, verum Princeps non acquievit, sed in custodia asservari bonum virum jubet.

§ XXVII. *Acta in Comitiis Tordae.* — Superveniunt interea aliae literae attestatoriae videlicet et compulsoriae, fit inquisitio terribilis,

examinantur potiores viri Ecclesiae, cives appello, de concione habita, in utroque enim Templo eodem die docuerat miser. Sed ne his quidem adhuc frangitur animus tanti athletae, instabat festum divi Georgii ad quod partialia comitia indicta erant D. regnicolis trium nationum. Eo plures quam pro numero convocatorum tum nobilium, quam plebei Status et ordinis homines conveniunt, jubetur Franciscus quoque eo deferri, transit Tordam qui locus Comitiis designatus erat. Nobilitas quibus religio curae erat, conveniunt in unum deliberaturi quid in casu hoc ancipiti faciundum esset, haud immemores poenarum paulo ante in rebelles declaratarum, cunctanter agunt omnia, solas in hac re preces et supplices instantias sibi superesse putantes cum Superintendens suaderet, ne quisquam sui causa tumultuaretur, se enim paratum esse pro ea, quam profiteretur veritate, omnia pacisci (forsan pati) neque tamen temerarie inhaerere velle opinionibus, sed rectiora docturo ex sacris literarum fundamentis libenter cessurum. Accedit nobilitas frequenti ad Principem legatione, conantur flagrantem restinguere ignem, petunt observari conditiones, et praepropere non esse saeviendum in bonum virum suadent. Interim Doctore Fausto, Stephano, utroque Demetrio, Eppelio, qui septimana una ante eo convenerant, ut consultarent, non cessantibus igni oleum addere et in contrarium Principem ab omni clementia abducere. Redit nobilitas, nihil impetrat, nam omnia jam in contrarium sensum abrepta erant, quod vehementer nobilitatem commovit.

§ XXVIII. *Differtur causa Francisci.* — Cum vero Princeps exacerbatos nobilium animos animadvertisset ac tumultum seditionemque futuram vereretur, distulit omne negotium in sequentis mensis primum diem, is Junius erat. Nostrum cuique domum redeundi facultate data commissoque ut sub priori custodia D. Franciscus asservaretur, quod ubi cognovissent falsi Fratres, accesserunt Doctorem his verbis solicitantes. Clarissime atque excellentissime Domine Doctor, tua providentia hactenus res rectissime est gubernata, nisi deinceps tuum adsit studium hic liberabitur. Tum Doctor in haec prorupit verba: Credite mihi aut omnia bona amittam aut D. Franciscus non liberabitur, sed volens eos magis confirmare addidit: aut ego tandem moriar aut D. Franciscus non evadet. Dum haec aguntur et omnes in procinctu sunt supervenit perfidissimus ille Joannes Adam et nunciat hostes Doctoris, id est, veritatis amatores de libertate Pastoris sui jam Claudiopoli triumphare. Tunc illi: en D. Doctor, hoc est quod dicebamus; excanduit mox ille et sumpto pallio importunus ad Principem prorumpit, omnia haec ei denunciat, accuratius custodiri postulat, ne quisquam cum eo colloqui possit. Impetrat a Principe Praetorianos milites decem et Capitaneum unum, ut pro

arbitrio suo illum custodiri jubeat. Nactus ministrum ad tantum scelus peridoneum, qui accuratius quam committi potuisset rem omnem exsequitur. Is mandata a Principe postquam accepisset, ut Doctori in omnibus morem gereret, ad Doctorem se confert summus religionis Christianae hostis, et quovis crudelior carnifice, literarum aliquantulum peritus, instructus a Doctore Praetorianos collocat ad domum ibidem adhuc Tordae milites, prohibentur ab accessu fratres, vix pueri admittuntur, qui curent eum languentem et propriis viribus de lecto minime valentem. Sequenti die domum redeunt, excluduntur, proh dolor a misero parente liberi, gener omnino non admittitur, uxor ejusdem, magnis impetrata precibus visendi Patrem venia, a militibus comitata ad Patrem perraro ingredi potest, removetur Medicus, vix magnis precibus a Principe obtinetur, quo saltem Tonsor seu Chirurgus aliquis admittatur. Interim ut praemittitur pseudo fratribus ad ravim furentibus. Duravit custodia isthaec per mensem integrum aut amplius usque ad praefixum diem, is erat primus Junii, Dominus Franciscus continuo morbo colicae adeo debilitatur, ut jam loqui vix posset propter syncopes accedentia frequentia.

§ XXIX. *Davidis ad Comitia Albensa ducitur.* — Instabat jam dies, quo immolandus erat, jubetur solenni custodia deduci. Jam una septimana hostes ante descenderant Albam Juliam, exequuntur mandata, quorum intererat; infelix Pastor, vix lacrymas continemus, nec pedes nec manus recte movere valens, in currum semimortuus imponitur, tota fere civitate lacrymis discessum ejus prosequente: ipso vix haec dicente: Jam valete, non me amplius visuri, in tantum consumptus erat difficultate morbi, ut cum antea obaeso esset corpore, solus gener ipsum in ulnas recipiens in currum usque allevare et imponere potuerit; proceditur Thordam usque, ibi ipsum accessuri Fratres vix magnis precibus impetrant Petrus et Nicolaus ut admittantur, incipiebat jam tunc deliquium mentis pati, propter concussionem illam currus et aëris intemperiem usque adeo, ut non sperarent supervicturum in crastinum. Inde Enyedinum ubi frequentes erant nundinae applicant, tertio demum die Albam perveniunt. Asservatur sub eadem custodia eo die, sequenti defertur in domum Praepositurae et vix dum ex curru depositus fuerat, jubetur in aulam induci, et datur licentia ut ministri si qui velint ipsum accedere libere id facere possint.

§ XXX. *Sistitur in Concilio.* — Sed vix dimidiae horae mora intercessit, donec nimirum vestire se posset, urgetur ad ingressum in concilium, in tanta rei celeritate, quos eligat ut penes se sint reperit neminem, eo quod ante cum fratribus conferre non potuerat, renituntur cuncti, tandem Generum compellat. Age inquit, fili tu esto praesto mihi, Deus quem colo et pro cujus veritate contendo aderit nobis. Sed quis pro Ecclesia aut nomine Ecclesiae, ait, loquetur? Acclamant id ipsum

Generum praestare debere. Reprehendit ille eos graviter ostenditque indecorum esse, ut qui Ecclesiasta non esset vox Ecclesiae esse debeat, sed eligendum D. Nicolaum et Petrum Ovarium, se pro socero facturum, quaecunque posset et deberet: acquiescunt consilio et Deo vela committentes, vastum periculorum mare ingrediuntur, atque in aulam Principis ingressi Palatium illud amplissimum et superbum, in quo prandere solet, ascensu aegerrimo sane superant, ingrediunturque eos comitantibus utrinque Praetorianis militibus et fratribus quibusdam, calcem soceri genero tenente. Postquam vero Palatii limites superassent, ecce adstat ingens hominum multitudo, quae ad Tragaediam hanc videndam confluxerat, ut pene portarentur ab eis, facto tamen spatio accessus ad Tribunal paulatim coarctati utrinque a circumstantibus penetrant, ubi miser D. Franciscus ob longam aegritudinem et afflictam corporis valetudinem vacillantibus cruribus stare coactus est, donec illustrissimus Princeps compassione motus subsellium illi dari jussit.

§ XXXI. *Concilium quale fuerit.* — Erat Concilium illud plane primo quidem aspectu terribile, quale videri posset Romae, sed Dominus adfuit illis, ut omnia contemnere potuerint. Illustrissimus Princeps pro Majestate sua solus sedebat veluti pro Tribunali, cujus latera utrinque cingebat in Synedrio purpuratorum ordo, eos equestris, tandem nobilitatis ad miserias ipsorum dijudicandas accersitus non parvus subsequebatur numerus, pauciores quidem ex his qui ipsorum essent religionis, quam pro numero adversarum partium.

Ex opposito vero quo circulus conficeretur, a dextris in triplici ordine accusatores ipsorum, quorum caput et os Blandrata erat, consederunt. A sinistris vero Hungarienses Trinitarii et ex Saxonicis Parochis non pauci sedes occuparant, inter has duas Presbyterorum alas, ipsi angusto conclusi angulo a militibus Praetorianis cingebantur. Rebus sic dispositis Magnificus Alexander Kendy vir summo ingenio et acri praeditus judicio, linguae vero facundia in utroque idiomate Latino videlicet et Ungarico admirabilis, et de literis tam Graecis quam Latinis praeclare meritus, is vox Principis erat, in hunc incipit fari modum: principio studium et alacritatem in defensione Patriae, dehinc legum custodiam solertem in Principe dignissimo quibus potest brevi sed tamen venusta commendat oratione, tandem sumpta hinc transitione ostendit, quanto moerore Illustriss. Princeps affectus sit, cum intellexisset schismata et sectiones in religione inauditasque innovationes in dies in hac Patria nostra oriri et maxime ab eis, quorum intererat ejusmodi blasphemos in Deum et in sanctissimum verbum ejus compescere. Ne vero virus hoc ulterius serperet et pestifera doctrina errorum in hominum cordibus altiores radices ageret, sedulo se cavere voluisse velleque pro officio, quae res etiam causa fuisset, quod D. Franciscum Davidis hactenus in

custodia asservari voluisset. Sed ne tumultuarie in negotio procederetur edictum velle Cels. suam: Ne quis loqui ausit, nisi interrogatus; haec vero res non parvum D. Francisci amicis incussit terrorem; verebantur enim ne omnino indicta et inaudita causa damnaretur miser, sed mox subjecit, his exceptis, qui se mutuo accusarunt.

§ XXXII. *Blandrata et Davidis se mutuo accusant. — Franciscus veritatem jam fatetur. — Accusationes.* — Quo finito Doctor surrexit et acta solemni protestatione in haec verba ora resolvit. Illustrissime Princeps, Clarissimi Senatores, egregii ac nobiles universi! Protestor coram Deo, Cels. Tua ac omnibus vobis me coacte fecisse, facereque quod facio; ego enim Dominum Franciscum ab anno jam aut ulterius monui, hortatus sum per literas, oretenus, imo et per fratres ex professo ad illum missos, ut ab hac innovatione cessaret aliosque compesceret, sed meis monitis parere noluit. Cum igitur in Ecclesia ista pericula praeviderem conscientia adactus, huic malo praevenire coactus sum. Ad haec D. Franciscus anhelus uti potuit repondit: Domine Doctor, memineris me adhuc Varadini in disputatione dicere, nos argumenta adversariorum hac ratione non solvere sed eludere. Ex quo ego tempore in gratiam tuam, conscientiam meam captivam tenui.

Haec verba Alexander Kendi Doctore ad huc respondere volente interrupit tali sermone: Tu vero audi, Francisce Davidis, certissime ad Illustriss. Principem perlatum est, Te in doctrina innovasse et blasphemas contumelias in Deum et filium ejus Jesum Christum in publicis concionibus pro suggestu jactasse, nec hoc per incertos rumores sua Celsitudo edocta est, sed hi fratres, discipuli et cooperarii tui (Pseudofratres digito ostendens) quibuscum in eodem coetu versatus es, in eadem docuisti Ecclesia, te apud Illust. Principem detulerunt et hujus accusarunt innovationis. Nunc igitur Illustriss. Princeps confessionem tuam super eo quod suae relatum est Celsitudini audire cupit, ne quis te inauditum damnari queri merito possit. Hic Dominus Franciscus in pedes quantum poterat assurgit, et propius, quousque permissus est ad Principem, quo exaudiri ab eo posset, accessit ac ipsum sic alloquitur. Illustrissime Princeps valetudinem meam aegram et fractam vides, manus siquidem Domini tetigit me, linguam ademit, ut ego pro me respondere non possim, concedatur filio meo (generum capite ostendebat, manus enim amiserat jam) pro me loqui; haec Princeps non intellexit, quod linguam infelix D. Franciscus volvere vix posset, generum quid velit quaerit, exponit is petitionem soceri, annuit statim Princeps, redeunt in stationem suam.

Tunc Alexander Kendi aperta charta quadam complicata Quaestiones

ibi denotatas in hunc proponit modum. Quaereris D. Francisce Davidis primum an hoc pro concione dixeris Christum in precibus non esse invocandum. Secundo: Quod qui Christum invocent perinde peccent ac si beatam Mariam, Petrum, Paulum et alios Sanctos mortuos invocarent? Hic Doctor adjecit aliquid de scripto D. Francisci, an fateretur suum esse. Ad haec miser quantum poterat coepit respondere, sed non poterat a quoquam intelligi; Gener igitur, qui proximus stabat auremque ori adhibebat, et rerum omnium jam ante peritus beneque edoctus fuerat, respondit.

§ XXXIII. *Responsa Francisci Davidis.* — Primum quod ad scriptum attinet, quae nostra sunt ea nostra esse non negamus, quae vero aliena et nostro nomine circumducta fuerunt, ea neque nunc nobis vindicamus. Sed neque scriptum illud esse tale, quod nunc debeat defendi vel impugnari, stare enim se velle conditionibus utrinque acceptatis, nam sub judice adhuc litem esse, necdum sibi responsum esse et exspectari censuram Ecclesiarum Polonicarum et nostrarum.

Quod vero ad Quaestionem, inquit, meam attinet (soceri enim verba referebat) et quaesita Illustrissimi Principis. Hic Doctor impatiens generi sermonis, jubet ipsummet D. Franciscum loqui, quo ipsiusmet verba et pronunciata per juratum Principis secretarium annotarentur. Infelix rem aggreditur, sed cum non possent illum audire, reddita genero iterum facultas loquendi pro eo est pergitque. Quod inquit attinet ad concionem habitam, ea haec fuit: Sumpsi Textum ex Historiae Evangelicae Joan. Cap. 2, ubi describitur invitatio Christi et Apostolorum ad nuptias in Cana Galilaeae celebratas, item defectus vini, nec non petitio matris Christi, postremo admonitio Mariae ad discipulos filii, ut videlicet, quaecunque illis Magister praeciperet, ea facerent: ex his verbis tale concionis meae desumpsi argumentum: Quicumque cultus divini in verbo Dei non sunt praecepti et mandati, ii Deo grati esse non possunt. Invocatio Christi vera cordis fiducia facienda, in literis sacris nusquam praecepta aut mandata a Deo reperitur. Ergo ea non potest Deo esse grata.

Quod vero ad secundum quaesitum pertinet, dixi: Si vero extra Scripturam Sacram commentis humanis et nostrae rationis ductu rationes invocationis Christi seu quomodo possit invocari, rimari et scrutari volumus, iisdem certe rationibus et sanctos tum vivos tum mortuos invocare possumus.

§ XXXIV. Haec dum dicit et Notarius annotat, Doctor sarcastico risu subinde in haec prorumpit verba: ad Judaismum reditis. Domino Francisco submissa respondente voce: Domine Doctor, tu in eadem hac fuisti ante paucos annos sententia. Interim

dicta Lucae conscribuntur, et Alexander Kendi subjecit: intellexit Illustrissimus Princeps quid respondeas, etsi vero verba ipsa aliquid a quaesito discrepent, tamen sensus idem est. Ideo sua Celsitudo dicit: Si negasses haec te in publico dixisse, quod hoc ex scriptis tuis et vivis testibus comprobasset (erant enim primores cives Claudiopolitani et qui studiosi Concionum Domini Francisci auditores erant, Albam pro testimonio ferendo coacti). Restat nunc quandoquidem sua Celsitudo hoc non scrutatur, sed neque scire satagit, verane sint haec nec ne, ut doceatis haec nova non esse.

His finitis Doctor assurgit et vermem conscientiae suae prodit ac in haec erumpit verba: Dominus Franciscus dicit me in eadem fuisse sententia. Ego vero dico et protestor coram Deo, coram Illust. Principe et tota Ecclesia, me non fuisse, neque consensisse unquam in hoc, quin si vel dixi vel scripsi aliquid in hanc sententiam, nunc pro revocato et recantato habere volo, subjiciens et tu sic facies D. Francisce. Ad haec gener maximo zelo ex abrupto: non faciet inquit, non enim est constantis, sed levis viri, semel pronunciata citra rationem revocare. Ad haec senex. Noli tu perdes te et ipsum, cui Lucas ex contemptu quasi, tandem quod Deus volet.

§ XXXV. Interea instat Doctor ut Theses legantur (nam D. Franciscum innovatorem esse probaturum tam impressis, quam scriptis Libris ultro receperat) quas ex scriptis et responso D. Francisci ad scriptum Fausti facto veteratorie partim mutilato et detorto scripti sensu, partim transpositis in alium sensum verbis, partim falso citatis collegerat. Incipiunt legere, gener interturbat affirmans nihil ad rem facere. Principem enim de veritate alterutrius assertionis nolle cognoscere, sed an nova vel recepta sit antea ista ipsorum assertio, id demonstrari velle. Contra Doctor affirmat pernecessarium esse, e contra gener negat, nisi conetur in invidiam boni viri amici et fratris haec dici et pronunciari. Diu inter eos dimicatum est Principe patienter eos tollerante. Excanduit tandem Doctor, minari incipit. Lucas contra furorem ejus exacuere volens forensi plane gestu et vultu torvum intuetur hisque verbis eum compellat. Domine Doctor ad tribunal Illust. Principis stamus uterque; parce minis, sed legibus et justitia agitur, eadem mihi pro me dicendi libertas conceditur, ac tibi pro te. Hic senex volens procedere longius ab Alexandro Kendi, ut modestius ageret, admonitus est, tandemque resedit; perrexerunt legendo, quoad voluerint.

§ XXXVI. Cum vero absolvissent omnia, quae volebant dicere, jussit socerum Lucas surgere, Principem suppliciter orare, ut habita ratione primum strictissimae captivitatis, dein etiam afflictae valetudinis in cras-

tinum concederet defensionem suam differri, cum etiam in criminalibus causis concedatur tertius dies reo, ad respondendum accusatori. Praeterea et tempus effluxisset, instabat enim duodecima jam hora: praeterea ipsos imparatos esse, quippe quibus nec cum filiis, nedum cum ministris colloquendi copia fuisset concessa. Assurgit cohors pseudofratrum, acclamat, rem non debere differri, nam illum tum fuisse et debuisse paratum existere, cum haec in publicum spargeret. E contra Lucas allegabat nil antequam mandata Illustrissimi Principis ad senatum perferrentur, de removendo a docendi munere socero ipsum publicasse. Sed posteaquam certior esset factus de voluntate Principis, coactum fuisse vitandi scandali ergo plebem de inopinato et inaudito ejusmodi casu, deque causa captivationis commonefacere. Coepit tanto magis eos furor exagitare, ita ut e subselliis exurgentes Demetrius, Eppelius, et Stephanus ille Cumamanus asinus cum Doctore in medium prorumperent, quos divino auxilio mendacii manifesti convicisset Lucas (aderant enim praeter Judicem, qui et ipse triginta acceperat argenteos, omnes fere senatores quos dicti sui testes invocabat), nisi pudore suffusi, si tamen pudere eos potuisset, obmutuissent et in loca rediissent sua. Ipsi interim relegantur dum consultatur, an prorogatio rei in crastinum concedi debeat, efflagitantes interim, ut qui accusatores ipsorum essent, simul egrederentur, ne iidem etiam judices ipsorum fierent, sed non est concessum. Facta consultatione intromittuntur, conceditur dilatio, et libera quibusvis ad D. Franciscum commeandi facultas.

§ XXXVII. Interim ex iis qui interfuerunt consultationi, item ex relatione deliberationis per Alexandrum Kendi pronunciata intelleximus, quanta cum contentione obstiterint ipsius Dom. Francisci accusatores, ne in sequentem diem negotium differetur; veriti fortasse, quod et accidit, ne ex Magnatibus, qui ipsius essent confessionis, plures interessent huic negotio, quos jam adventare certum erat. Redeunt in hospitium quisque suum, D. Franciscus in carcerem deducitur. Convenit turba fratrum, ancipiti casu attoniti, et quid consilii capiant in re tam periculosa ignari, aut quid in commune consulant plane imperiti, languet tanto magis D. Franciscus, nullam tamen prae se pusillanimitatem ferebat. Accedunt nobiles, sciscitantur de causae statu, sed quid miser referat quem multa volentem dicere vox deserebat. Interim hortabatur singulos, ne scandalisarentur in suo casu, etiam si occumbendum sibi esset, visurum enim Mundum et reipsa comperturum, unum esse Deum, qui solus honore divino coli velit. Ne tamen quispiam rerum imperitus et refragante conscientia sese sibi adjungeret in hoc vitae discrimine, sed potius paci quantum quisque posset salva conscientia consuleret, donec Dominus mitiora concederet tempora collacrymantibus subinde fratribus, suadebat, toto eo die negotium conquievit.

§ XXXVIII. *Demonstravit non invocare Christum communem fuisse sententiam.* — Illi vero quibus negotium curae erat libros tum scriptos tum impressos conquisierunt, in quibus assertio Blandratae et aliorum quorundam Pseudofratrum de uno et quidem solo Deo vero Patre invocando et colendo manifeste continebatur. Imprimisque Doctoris Blandratae tale reperiunt argumentum: Si ulla vera adoratio et cultus Dei manifestatus fuit in veteri Testamento, is a Christo declaratus fuit in novo Testamento. Sed solius Dei Patris adoratio et cultus declaratus a Christo Joh. 4. Ergo. Item Catechesin quandam ipsius quam mediante Parutha in publica seu generali Synodo Radnothini celebrata pronunciari et publicari curaverat, in qua solum Deum Patrem invocandum esse clarissime habebatur. Item librum Sommeri contra Carolium publico Ecclesiae suffragio approbatum, in quo quaerebatur: Quis invocandus et adorandus? et respondebatur: Solus Deus Pater, qui lucem habitat inaccessam, ac alios innumeros scripturarum locos, qui ante octennium, quinquennium et ultra publicata fuerant ante legem et edictum de innovatione publicatum. Dispositis igitur omnibus rebus mane facto hora circiter septima in semihorologio Palatium iterum ex mandato Principis repetunt, viribus usque adeo deficientibus ut jam D. Franciscus amplius incedere non posset, sed a quatuor ministris in sede portaretur.

§ XXXIX. Facto igitur silentio et data copia loquendi primum omnium eandem sibi defendendi libertatem dari, quae accusatoribus ipsius data est contenderunt D. Franciscus cum suis, sed impari spatio concessum est et omnia ipsorum dicta producta et testimonia stipulae aestimata pene sunt. Nihilominus Principe solenniter salutato et protestatione facta procedunt. Cum igitur uti praemissum est Doctorem, accusatorum ipsorum caput, scriptis suis impetere cepissent, nulla alia ratione ipse obviare potuit, quam quod vera sint de Patre, sed non de Christo. Lucas vero cum particulam exclusivam Solus urgeret, ipso Doctore obmutescente silentium hac de re etiam ipsi impositum ac ut pergeret commissum. Progreditur ac omnia exponit quae ad defensionem faciebant soceri. Ubi vero absolvisset scripta simulque libros quos citaverat Cancellarius Illustrissimi Principis ab ipso exegit. Quibus omnibus per Lucam ipsum depositis jubentur exire vel educi potius diligenti per totam Civitatem posita custodia, ne quis sacerdotum aut ministrorum ipsius uti putabatur confessionis elaberetur. Lucas contra acerrime instat, ut accusatores soceri tandem exeant, id enim omnes omnium Gentium leges, ritus, consuetudines, jura et constitutiones jubere. Respondetur ab Alexandro Kendi nomine Principis ipsorum praesentiam, in transactione hujus negotii, maxime desiderari requirique, cum ex alio quopiam

negotium totum melius resciri non possit, quam ex ipsis, quibuscum conversatus sit inque eadem Ecclesia docuerit.

§ XL. Antequam vero educerentur, D. Franciscus adhuc monet Doctorem ut recipiscat et stet conditionibus scripti, se enim rectiora monenti non detrectare subscribere, expectet judicium ecclesiarum Polonicarum et Transylvaniarum, uti ipsemet proposuisset. Cui Doctor, visne acquiescere judicio Ecclesiarum Polonicarum, nostras non nominabat cui D. Francisco respondere cunctante respondit Lucas: Ecclesiae nostrae sunt liberae, a sola libertate regni et nobilitatis pendentes, quae uti ex aliis regnis non dependet, ita neque religionis nostrae libertas alio respicere debet. Ad hoc Doctor, tu sile, sine illum pro se respondere, aut tu pro Ecclesia loqueris? ipso dicente non pro Ecclesia sed pro se et socero loqui. Adjecit Alexander: Noli, expecta non negligeris et tu; interea D. Franciscus Doctori respondit: ego me judicio et censurae bonorum virorum in Polonia existentium submittam, dummodo manuscriptum transmittatur. Tum Doctor: neque disputare amplius vis de eo? Respondit D. Franciscus mortem praesentiens: Ego deinceps non disputaturus sum. Tum Doctor acclamat, optime, promittit Polonicarum Ecclesiarum judicio se subscripturum. Ipsi vero Poloni, trecentae videlicet Ecclesiae consentiunt in doctrina de invocando Christo ac pulcherrimum superinde Dialogum conscripserunt, ex quo Ecclesia intelliget ipsorum judicium, sed tamen ne ipsi defuisse nos dicat quis, scriptum ejus mittemus in Poloniam, una cum scriptis nostris et allatum inde judicium, una cum ipsius et nostris prelo submittemus.

§ XLI. *Deliberatur adversus Franciscum. — Blandrata cum sociis damnat Fr.* — Hoc finito educitur, jubentur et illi, qui ejus essent confessionis exire, deliberatio duravit per integram horam et dimidiam D. Francisco saepissime dicente: Doleo quod vel minimam subscriptionis fecerim mentionem, et cum saepius hortaretur generum ut ingrederetur et retractaret illa verba, non est intromissus. Dum deliberatur, amici, qui frequentes manserant in palatio, exeunt, et clam Lucae significant rem in summo versari periculo. Nam cum scripta essent versata et ventilata defensio alicujus visa est ponderis, sed quo se Princeps et judices expedirent et conscientiam salvarent, horrendum et terribile accusatoribus nostris impositum est juramentum super eo videlicet, an ipsi fuerint participes et conscii hujus innovationis et opinionis: demum, an sit blasphemia in Deum. Primus Doctor surgens juravit in hunc modum. Ego Georgius Blandrata fateor coram Deo omnipotente et filio ejus Domino Jesu Christo, coram sanctis Angelis et electis Dei, me hujus opinionis Francisci Davidis in nullo esse nec fuisse unquam participem vel conscium, affirmoque esse novam praeterea

horrendam in Deum et Filium ejus blasphemiam. Sic alii consequenter quorum numerus continebat XXV vel circiter personas. Inter quos Demetrius ille volens Doctorem superare (mireris enim quomodo certatim unus prae alio jurare satagerit) addidit se pro ea aetate tum ethnicos tum sacros scriptores legisse, sed non incidisse in ejusmodi horrendam blasphemiam, nisi aequaret Franciscum Juliano apostatae, qui ictus fulmine sanguinem desperabundus ex vulnere crudum in aëra jactasset confitendo Christum in hunc modum: Vicisti tandem Galilaee. Hunc non absimili oratione comitatus Ludovicus ille Szegedinus, homo jam decrepitus; is volens favorem Principis et aliorum captare, incipit: Vides illust. Princeps, videtque consessus clarissimus, quae mea sit aetas, ab ineunte igitur ea nunquam peperci diurnis simul et nocturnis lucubrationibus, assiduisque sacrorum codicum lectionibus, percurri multorum haereticorum damnatas opiniones et execrabiles errores sed huic Francisci haeresi similem me legere non memini. Super quo praemisso modo horrendum praestitit juramentum.

Post hoc Hungarienses Trinitarii jurare perrexerunt, quorum unus (is erat Pastor Ecclesiae Rivuliensis) cum caeteri omnes in necem D. Francisci facta conspiratione jurassent, volens salvare conscientiam adjecit: ego meam conscientiam volo esse liberam, calculumque meum nolo quocunque obligare, fateor vero conscientiose me innovationis D. Franciscum non damnare. Nam adhuc tempore disputationis Varadianae cum fateretur, unum illum Deum Israëlis audiendum propositum esse solum Patrem Christi, exclusit a divinitate filium et spiritum sanctum, quo licet explicite non negaverit, Christum adorandum, implicite tamen revera negavit tum etiam. Nihil igitur nunc innovasse eum dico; quo audito caeteri graviter eum exceperunt quod descivisset ab eis.

Porro: Saxones antiquam suam cantilenam canentes, se ab Augustana confessione nunquam defecisse, sed nunc quoque in eadem constanter persistere, nolentes quippiam contra eandem committere, causa in praesenti nullam se posse ferre censuram affirmarunt. Tandem nobilitas nostrarum partium quaesita est, quae se opinioni Domini Francisci potius, de non adorando invocandoque Christo, adhaerere, quam semel damnatae sententiae adversariorum de eodem Christo Deo adorando iterum subscribere velle prolocuta est. Et consequenter ultimus Alexander Kendi, nomine Principis, suo et Jesuitae Trinitatem affirmans D. Francisci opinionem tanquam blasphemam damnavit.

§ XLII. *Sententia pronunciatur.* — His absolutis intro vocantur; ubi pervenissent in concilium ecce accusatores apud Principem instant supplices, ut vitae D. Francisci connivere velit, cum nondum capitaliter aut criminaliter pronunciatum esset, sumpto argumento ex dicto Christi &c.

Interea Doctor secedens ab eis rediit ad D. Franciscum et eum complexu tenens, haec in aurem dicebat: Noli timere, ego inveniam gratiam apud Principem; respondente D. Francisco: age, age, perge uti coepisti! Multi imo et Princeps ipse amplexum hunc osculum Judae interpretati sunt. Regreditur Doctor ad suos, qui pro gratia Domino Francisco impetranda apud Principem instabant. Horum prolixam orationem Trinitarii Hungarienses exceperunt sanguinaria plane oratione sumpta ex Praecepto Mosi dato de interficiendo Pseudopropheta, confirmantes multis rationibus omnino debere interfici D. Franciscum tanquam blasphemum, interminando Principi in hanc sententiam: Te Princeps Illustrissime, custodem utriusque tabulae, hodie una cum conjuge et liberis et omni posteritate, citamus ex officio nostro ad tribunal tremendi judicis Jesu Christi, quem hic blasphemavit, si hunc vivere permittis. Quibus auditis Princeps sive attonitus inaudita novitate, sive commotus impudenti invectiva, vultum mutavit, et accersito Alexandro respondere jussit. Audit Illust. Princeps vestras utriusque partis orationes, promittit igitur sua Celsitudo, se daturum operam ut ostendat omnibus se impune tantum scelus non praetermisisse. Tunc in D. conversus Franciscum dixit: Intellexit illustr. Princeps totum hoc negotium, quomodo tu tui cerebri ductu, neglectoque consensu Ecclesiae, in hanc atheam execrabilem et inauditam blasphemiam proruperis et contra decreta regni publicaveris, innovaverisque. Sua igitur Celsitudo in te juxta demeritum tuum statuet exemplum quod etiam alios ab ejusmodi phanaticis innovationibus deterrere debeat. Interim in custodia Illustrissimi Principis asservaberis, donec ulterius de te constituatur. Hic iterum traditur militibus solus deducendus, nemoque jam amplius admittitur, imo et pileo ejus diu inter Praetorianos lusitatum est, et pedibus calcitratus, tandem per fratrem Nicodemitam eidem reportatus. Hic exitus ejus fuit.

§ XLIII. Abducto itaque D. Francisco Alexander in haec erumpit verba. Postquam Diis faventibus, studio et industria suae Celsitudinis et Consiliariorum suorum, effectum est, ut scaturigo nefandae hujus opinionis obstructa sit atque obturata, datura est operam eadem, ut rivuli ejus omnes exsiccentur. Quo dicto compellavit fratres: Vidistis quid de capite vestro Francisco Davidis factum est, eadem manebit poena omnem, quicunque opinioni ejus damnatae adhaerere compertus fuerit. Nunc igitur fatemini Christum esse Deum adorandum? Hic diu cunctantur et quid respondeant non inveniunt, tandem ex mutua cohortatione in crastinum conantur dilationem petere, tergiversando ad quaesitum non respondent. Iterum repetit Alexander. Categorice, inquam, respondete ad quaesitum. Tunc Petrus ille Ovarius ait: amarissima profecto mors est, sed utique postponenda

libertati conscientiae; nondum haec enunciata erant verba. Consurgit tota nobilitas, petit supplex negotium ministrorum in posterum diem prorogari, quod multi ignari hujus rei et confessionis D. Francisci, tanquam Superintendentem comitati sunt, visuri quorsum res evadat, alias etiam quam plurimas allegantes rationes impetrant a Principe postulatum, fide jubent pro omnibus, neminem ex ministris interea discessurum. Dant fratres nomina secretario Principis et sic dimittuntur. Cesso jam percusso pastore describere dispersionem ovium.

§ XLIV. Mane facto, is tertius jam erat miseriarum dies, ingrediuntur in Palatium, seriatim proclamantur, qui adscripti erant. Ultimus Lucas advocatur, ignarus quod factum erat. Nam fratres eo inscio nomina Doctori dederant periculum evitaturi; interrogatur si quid haberet dicere, dixit, quae potuit, se secularem esse personam, igitur legem de innovatione ministros, non autem se premere. Sed obviatum illi confestim est. Lex enim lata statim est ejusmodi, videlicet: deinceps non solum ecclesiasticas, sed etiam seculares personas eidem poenae obnoxios fore, quicunque ducem erroris et damnatae opinionis D. Franciscum Davidis sequeretur, ea statim lege fertur et gratiae Principis incarcerandus traditur, donec Deum suum cognoscat et Principis apprehendat gratiam.

§ XLV. *Synodum Blandrata cogit generalem. — Demetrium Hunyadi in Superintendentem per factiones elegit.* — Post haec Blandrata cogit Synodum generalem Claudiopoli ad primum Julii diem, ubi fere omnes Ecclesiarum de uno Deo Ministri conveniunt. Commemorat illis senex quomodo Principi promiserint, quod velint sibi consentire et sic eos ad subscriptionem cum juramento cogit. Sed cum se nihil efficere minis adverteret, Italica quadam astutia commotum Ministrorum animum sedare et dolo illis imponere nititur vel saltem nomina illorum habere et Principi offerre possit. Dat eis formam subscriptionis eam quae quasi aliquid conditionis in se habens levamen quoddam conscientiarum adferre Ministris videbatur, affirmans multis argumentis non esse bonum cogere conscientias, cum alias liberae esse debeant; ea talis erat: Libris vivo Joanne secundo rege editis et publicatis subscribunt, ea tamen conditione ut si qui volunt de veritate doctrinae possent melius edoceri. Ministri non praecogitantes, quid subesset doli, dant sua nomina, et articulis quatuor receptis et senatoribus XXIV in consistorium electis dimittuntur. Superintendens per fratrum suffragia non eligitur, eo quod Demetrius simpliciter ab omnibus rejiceretur, cui Doctor ut sua adimplere posset promissa suffragia interrumpit ac Ambrosium illum Macerium, qui propter stuprum commissum cum suis ancillabus publice a fratribus quibusdam accusatus est et ab Ecclesia excommunicatus est Thordae in Synodo te prae-

sente, uti scis, hominem callidum et vafrum subordinat et ad senatum nomine Principis mittit. Ille legationem senatui refert quasi Principis esset voluntas, ut qui in Superintendentem eligeretur idem Ecclesiae quoque Claudiopolitanae praeficeretur, quod autem Demetrio fratrum suffragia inservirent falso referebat, cum tria aut ad summum quatuor vix pro illo lata sunt suffragia ac ut eum senatus recipere velit nomine Doctoris petebat authoritateque Principis mandabat. Tum quidem senatus eum non recepit, at postea recipere coactus est, Demetrium enim Albam secum deduxit, et Principi nomine Ecclesiae totius commendavit, et sic Princeps eum confirmavit et Ecclesiae Claudiopolitanae invitis civibus praefecit, citra Ministrorum consensum et sic tanquam fur et latro aliunde ascendit et in Superintendentem creatur.

§ XLVI. *Baptismum et S. Coenam iterum recipiunt Unitarii.* — Paucis post diebus Demetrius cogit consistorium XIV die septembris Claudiopoli eo nimirum nomine, ut de Ecclesiastica disciplina aliquid instituatur. Conveniente senatu praelegitur scriptum quod Demetrius ex Blandratae consilio collegerat, in quo Paedobaptismus, et alia hominum commenta ab Ecclesia jam diu intermissa recipere et observare jubentur. Senatores, qui erant ex fratribus, nil prorsus concludunt, eo quod unica ex praelectione omnia mente concipere non possent, sed ut ad singulos eorum scriptum praelectum mittatur, quo maturius de eo judicium ferre possint, efflagitant. Placet consilium Demetrio et sociis ejus, statuitur dies prima Novembris, quo iterum senatores conveniant. Interea temporis exemplaria ad eos cum literis mittuntur. Adventante tandem die convenit iterum senatus Claudiopoli, ubi disciplinae nulla fit mentio sed Polonorum judicium ipsis proponitur et praelegitur, cui ut subscribant omnes serio mandavit cum gravi comminatione. Ex fratribus qui praecipui erant videlicet Nicolaus Ztarainus et Petrus Ovarius, annuunt statim et subscriptionem promittunt, nec quicquam illis opponunt. Tres ad summum ex fratribus, qui tum aderant, inventi sunt, qui se opposuerunt et subscribere noluerunt: Matthaeus Pictoris, Johannes Udvarhellyi et Andreas Erdödi; caeteri defecerunt. Rejicitur negotium ad generalem Synodum Claudiopoli ad diem Epiphaniarum indictam; ubi judicio Polonico praelecto omnes fere ministri praeter paucos subscripserunt. Vix inventi sunt ex 250 decem et sex aut decem et octo, qui non subscriberent. Illis silentium imponitur ne ad futuram usque Synodum doceant, donec majus de ipsis statuatur. Eliguntur denuo seniores duodecim, qui manibus Bibliis impositis cum juramento quodam gravi ad fidelitatem Ecclesiae a Demetrio reformatae sese obstringunt, nec quicquam de iis, quae in consistorio agerentur, cuiquam se eliminaturos pollicentur. His peractis volens Demetrius ostendere, qui sint factiosi et traditores veritatis (promiserat enim se osten-

surum, qui essent illi) cogit omnes ministros ad coenam buccellarem die quae sequebatur Dominica, quod pro dolor non paucorum cum offendiculo in testimonium unionis et consensus fuit et sic tandem dimittuntur. Hucusque scriptum Fratrum Transylvanorum.

§ XLVII. *Accusatio Blandratae.* — Voluimus debuimus hic formales Transylvanorum istius aetatis Unitariorum inserere literas a Jacobo Palaeologo ea aetate editas ne moderni ea quae scripsimus a nobismet ipsis confinxisse merito querulari possint. Sunt tamen, quae hic majoris gratia luminis addi merentur ac debent. Contigisse nimirum Francisci Davidis condemnationem anno Domini MDLXXIX sub Principe Christophoro Bathori, accusante eum Georgio Blandrata, qui tamen in literis anno 1580 decima Januarii Alba Julia ad Palaeologum datis se immunem ab accusatione credi voluit. Ita ergo in illis: „Dominus Franciscus voluit calamo primum respondere Fausto, deinde Thesibus meis; summa ejus doctrinae fuit, Sepelliendum esse Evangelium et revertendum ad Mosen, ad legem et ad circumcisionem, voluit pluries turbare regnum et fieri novator et rebellis regni publici mandati, dicebat tantum esse Jesum Christum atque Mariam Virginem invocare in precibus, Mosen et Mosis lineam esse rectam, Christum autem Jesum et ejus doctrinam indirectam. Itaque illustr. Princeps cum ab aemulis D. Francisci, cum ego essem Varadini, ista intellexisset, jussit capi D. Franciscum et detineri in ejus quibus habitabat aedibus. Deinde, 1 Junii duci Thordam ad Synodum ut disputaretur et inde Albam Juliam die 1 Julii ubi convenerat totum regnum et erat magna omnium frequentia. Contentus erat ille stare judicio Ecclesiae Polonicae cum juramento et recantare si illa aliter decrevisset, verum tanquam novator et turbator regni fuit condemnatus et missus Devam ad carcerem, ubi XV Novembris est mortuus, neque credas me tam fuisse commotum contra eum propter Jesum Christum non invocandum in precibus, quam propter impias ejus appendices"[1]). Perfecit Blandrata, quod ante minatus erat, quum enim Decimarum collectionem ad Franciscum pertinentium interturbarat, scripserat ad Blandratam inter alia: Non puto te crudeliorem esse velle in me, quam Calvinus fuerit in Servetum aut in te desideraveris olim esse Calvinum. Cui ita respondit: Nisi has cogitationes istorum dogmatum deposueris, de Jesu Christo non nominando Deo, de eo non invocando in precibus, de eo non colendo &c faciam ut in comitiis regni ut innovator damneris, et deinde disputabimus de dogmate

[1]) Jac. Palaeolog. in Confutatione Judicii Eccl. Pol. pag. 280.

uter melius sentiat[1]). Factum est ita, et quidem justo Dei judicio; Franciscus enim erat primus, qui pestilentissimam Blandratae Doctrinam et admisit et fovit atque publicavit; ita fructum laboris in senectute habuit opprobrium, confusionem et mortem in carcere ex phrenesi propudiosam, utinam non et aeternam. Exaudita condemnatione Fr. Davidis Paulus Káradi praecipuus ea aetate Unitariorum, quem in disputatione Albana Rex Arbitrum ab eorum parte constituerat, die IX Novembris eodem an. 1579 Literas exaravit ad Ministros Claudiopolitanos, quos accusat proditionis, ignorantiae, malae conscientiae, Blandratam vocat viperam, indoctum, vafrum, proditorem, Socinum Italum insanum, memorat Theses sub nomine F. Davidis esse confictas et per hominem vaferrimum Thomam Gyarmathi trium thallerorum pretio emptum in Ecclesiis disseminatas &c, Franciscum pro vero Martyre habendum. Qualis Epistola sit illa prolixissima ac satis literata, apparet ex prologo, ubi Basilium Basiliscum, Szathmárium Szamárium, Eppelium Ebhelium vocat. Verba ipsius ita sunt: Paulus Kárady servus Jesu Christi, Pastor Ecclesiae Temesvariensis, Demetrio, Hunyadino Superintendenti, Stephano Basilisco, alteri Stephano Zamário ac Johanni Ebhelio, Ministris Claudiopolitanis, Fratribus Judae Iscariotis S.D. ob prolixitatem exhiberi non potest, ex prologo tamen tota qualis sit videri[2]).

XLVIII. Quid Sacramenta valeant et quo aestimentur pretio apud eos, qui Christi justitia nolunt justificari, palam est ex editis hac aetate libellis. Jacobus Palaeologus de Baptismate ita loquitur: Baptisma de quo loquuntur evangelia ad nos filios testamentorum et foederis Dei non pertinere docet liber noster de argumento hoc[3]). Stanislaus Lubieniecius vocat infantilem errorem, qui diu satis et impune orbi Christiano illuserit nullo prorsus divinae auctoritatis fundamento nixus et primaevae aliquot seculorum praxi contrarius exstiterit; integro capite in Historia Reformationis Polonicae De Paedobaptismo oppugnato, expugnato et ejecto tractat, ubi refert conclusionem synodi Vengroviensis anno 1565 die x Decembris factam qua Paedobaptismus est rejectus[4]) et alia acta huc facientia. Rejecerant etiam in Transylvania anno 1578 in synodo Thordensi Baptismum ex communi consensu[5]). Ad evitanda tamen scandala et ne persecutionibus occasiones subministrentur Ecclesiis pressis concedunt[6]). Imo Sommerus

[1]) ll. cc. pag. 233.
[2]) Ex Capitulo Albensi.
[3]) ll. cc. pag. 368.
[4]) Lib. III. Cap. III. pag. 175.
[5]) Ex literis Blandratae Confutat. Jud. Pol. p. 229.
[6]) Lubieniecius ll. cc. 190.

Lector Claudiopolitanus tractatum edidit de Baptismo adultorum ubi demonstrare conatus ritum illum convenisse aetati Apostolorum; sed ad alios Christianos sequentiaque tempora non pertinere. Baptismum in Ecclesias Unitariorum tandem reduxit Demetrius Hunyadi Superintendens et quidem ut fieret in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti [1]).

§ XLIX. Blandrata postquam tot incendia excitasset apud Transylvanos in contemptum abiit apud omnes fere ordines ac praecipue Unitarios. Discessit tandem in Poloniam anno 1580 simul cum Socino, ubi a suo cognato quem heredem bonorum suorum scripserat anno 1582 suffocatus est [2]). Secundum vero alios anno 1611 trucidatus [3]). Schisma vero inter Unitarios duravit ad annum 1638, quo Christum invocare nolentes ad comitia Desinum evocati certis articulis a Georgo Rakotzi seniore Principe Transylvanio alligati sunt [4])

§ L. *Superintendentes Unitariorum.* — Memorandi hic sunt Superintendentes Unitariorum istius aetatis. Fuit primus Franciscus Davidis qui anno 1556 fuit Lutheri sententiae assecla, cum subscriberet confessionem de Coena Domini tanquam Pastor Ecclesiae Claudiopolitanae et Superintendens Ecclesiarum Christi Nationis Hungaricae in Transylvania [5]) at paulo post eam confessionem reliquit simul cum Ecclesiis Hungaricis, adjunxit se Reformatis cum eo Superintendentis titulo, palam est ex Dedicatione Catecheseos ad Joannem Secundum Regem anno 1566 Claudiopoli editae. Tandem abduxit Blandrata ad suam sententiam a Reformatis factusque est primus in Transylvania uti Preco ita et Superattendens Ecclesiarum s.s. Trinitatis dogma abnegantium. Edidit opera varia in utraque Religione. Contra Stancarum ediderat sequenti titulo: Dialysis scripti Stancari contra primum articulum Synodi Szekiensis qui de Doctrina controvertitur, scripta per Franciscum Davidis, impressum Claudiopoli Transylvaniae per Georgium Hoffgrevium anno 1555. Postquam Doctrinam de Trinitate abnegavit, plurima edidit opera tam Latina quam Hungarica lingua ab anno 1567. Ex quibus apparet eum nullam ne minimam quidem neglexisse occasionem, pestiferam suam propagandi doctrinam. Ad manus sunt varii ejus tunc editi Libelli, qui aeterno magis sunt involvendi silentio, quam hic sigillatim enucleandi. Fuit Franciscus Claudiopoli oriundus, civis crepidarii filius, artibus liberalibus excultus, doctus, eloquens, facilis, Dialecticorum laqueis innutritus,

[1]) Vide extractum Diaetae Desiensis anno 1638 in Concionibus Petri Nadudvari pag. 129.
[2]) Haner Hist. Eccl. pag. 304.
[3]) Memorabilia A. Caroli Tom. 1 pag. 272.
[4]) Vide Extractum Diaetae Desiensis.
[5]) extat ea Confessio typis edita.

captiosus, in Religione variabilis, Posteris inconstantiae et ultionis divinae exemplum.

§ LI. Compacto machinationibus Blandratae Francisco in perpetuos carceres, arte ejusdem Superintendens creatus est Demetrius Hunyadi, qui ex consilio Blandratae Paedobaptismum jam diu intermissum et S. Eucharistiam reduxit in Ecclesias Unitariorum anno 1579, edito libello de Disciplina Ecclesiastica.

Tertius Unitariorum in Transylvania Superintendens fuit Georgius Enyedi, Gymnasii Claudiopolitani moderator et Ecclesiae ejusdem Pastor, vir Latinae et Graecae Linguae peritus. Post fata editus est Liber cum titulo: Explicationes locorum Veteris et Novi Testamenti, ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet. Auctore Georgio Eniedino superintendente Ecclesiarum in Transylvania, unum Patrem Deum et ejus Filium Jesum Christum per Spiritum Sanctum profitentium. Liber iste Enyedino defertur auctori, et vero extat Stephani Basilii Pastoris primum Tordensis, Claudiopolitani ac tandem Bekesiensis Msstum cum titulo: Responsiones per breves ad objecta contra Deum unum et Christum unum[1]): inde apparet stilum et polituram Enyedii, rem vero esse Basilii. Refutarunt Benedictus Szent Kiralyi, sub titulo: Vindicatio Locorum Vet. Test. aeternam Deitatem Filii et Sp. Sancti, Mysteriumque ss. Trinitatis confirmantium adversus Georgium Enyedinum instituta Marburgi an 1619, recusa Hannoviae 1624. Et Justus Feurbornius in Academia Giessana in Anti-Enyedino suo an. 1558 et alii varii. Idem liber Patrio etiam prodiit sermone, quem ex professo refutavit Stephanus Nyilas Melotai Concionator Aulicus Principis Gabrielis Bethlen in suo Speculo Trinitatis. Mortuus est anno 1597 die 28 Novembris, prout docent versus sepulchrales quos etsi stridenti avena modulatos huc transferre placet.

Doctrinae exemplar, sanctorum regula morum,
    Divini interpres maximus atque soni,
Enniedius jacet hac sub mole Georgius, Urbis
    Claudiacae antistes Relligionis apex.
Unius terraeque maris, caelique profundi
    Doctor hic eximius, cultor eratque Dei
Gymnasii Christique Gregis moderator in ista
    Urbe, pius, felix per duo lustra fuit
Mille et quingentos post, nonagesimus annus

---

[1]) Haner in Historia Mss. ad. an. 1597.

Implebat cursum septimus iste suum,
Bis decies quater et postquam lux maesta novembris
Illuxit, placida morte solutus abiit.
Fama tuum nomenque vigent semperque vigebunt,
Dum manet haec tellus, dum rotat astra polus.

Inventa est non ita pridem aenea Tabella, cui Monumentum incisum aureisque literis effigiatum visitur. Ea nunc in instructissima collegii Bethleniani Alba-Nagy Enyedensis justo pretio acquisita conservatur. Monumentum vero sequentis est tenoris:

Hic sepultum jacet corpus eruditione ingenij subtilitate et pietate
clarissimi viri d. Georgij Eniedini superintendentis ecclesiarum unum
Deum patrem et mediatorem Jesum profitentium et pastoris urbis
Claudiopolitanae qui scolam per sexennium ecclesias pariter sex annis
fideliter magnoque cum fructu administravit tandem colica passione
correptus anno aetatis suae 42 extinctus est anno Domini 1597 die
24 Novembris hora quarta.

Quartus ex ordine fuit superintend. Joannes Kosa, quem excepit quintus Matthaeus Thorotzkai; hos qui exceperint uti et reliquam Unitariorum Historiam loco suo dabimus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Jesuitarum Fatis in Transylvania.

§ I. *Ortus Jesuitarum.* — Fundator Societatis Jesuitarum fuit Ignatius Lojola, nobilis Cantaber, miles, cui pedes in oppugnatione Pompejopolitaria obtriti vitae genus anno 1521 mutavit religionemque amplexus lectioni et meditationi per plures annos incubuit. Tandem ab anno 1528 socios sibi assumpsit, quorum studia et regulas confirmavit Paulus Tertius Pontifex anno 1540, mortuus tandem Ignatius primus sui ordinis Generalis anno 1556. Magnum respectum in exortu statim haec Jesuitarum Religio ex institutione juventutis acquisivit et divitias super alias sectas. Prodierat Craccoviae in Polonia liber sub titulo Gratis, in quo auctor demonstrare conatur de Jesuitis, eos prae se ferre gratis omnia agere, et tamen Nobilium Bona ac divitias magna arte ad se derivare, quo sensu dixit Passeratius: Gratis docent et gratis nocent. Regni negotiis se immiscere soliti, quae nihil ad istos pertinerent, evenit inde saepius, ut e Regnis variis proscriberentur et expedirentur, veluti Datisco an. 1596 e Gallia an. 1598, in cujus memoriam Parisiis columna cum inscriptione erecta est. Venetiis an. 1605, ex Anglia an. 1610, Bohemia an. 1616, Craccovia an. 1626[1]). In Hungaria et Transylvania, quae habuerint fata videbimus.

§ II. In Hungariam acciti sunt per Nicolaum Olahum Archiepiscopum Strigoniensem anno 1559, qui collocati erant Tyrnaviae[2]): inde tandem ad alia loca penetrarunt et ea occuparunt, uti Szeplak in Comitatu Abaujvar, quem impetraverant a Ferdinando et Maximiliano[3]): anno tandem 1567 Regno exesse jussi loca ad alium usum sunt conversa.

In Transylvania erat Wajvoda Christophorus Bathori Romano Catholicus, at qui Ministrum intertenebat et audiebat Reformatum. Huic se anno 1579 insinuaverat Joannes Lelesz Jesuita, cui Filius Principis Sigismundus ad educandum concreditus[4]). Interea tam Stephanus Bathori Rex Polonorum, quam Pontifex Romanus eorum in Transylvaniam introductionem urgebant. Imo ex Polonia quosdam in Transylvaniam expedierat, quibus suam obtulit possessionem in Kolos-Monostor, volebat etiam offerre Claustrum Franciscanorum et Albae Juliae scholam quandam

---

[1]) Confer. Hofm. in voce Jesuitae.

[2]) Belius in Notitia Hung. p. 480.

[3]) Idem ll. cc. pag. 483.

[4]) Editus est liber. an. 1737 de ortu et progressu societatis Jesu pag. 7.

erigere. At regni Proceres eo facto offensi se Principi opponebant et allegabant juramentum fidei, quo se ad statuta Regni conservanda devinxit; in iis autem haec societas Regno excluditur[1]). Interea anno 1581 Christophorus Princeps rebus exemptus humanis, qui ad aeternitatem jam ante Principissam Elisabetham Botskai Reformatae addictam Religioni, piam et omnibus charam relinquentem memoriam, praemiserat. Stephanus Rex suscepit curam Regni et Fratris Sigismundi Bathori, qui Claudiopoli scholam anno 1583 fundat pro Jesuitis. Administratorem Principatus constituit Joannem Gétzi Reformatum, ac tandem vivis anno 1586 eximitur, qui in ultimae voluntatis tabulis curam Jesuitarum enixissime Sigismundo commendabat.

§ III. *Regno excluduntur.* — Non diu Jesuitae potuerunt quietam in Transylvania obtinere mansionem. Alienis enim se immiscentes negotiis in omnium incurrerant odium, Procerum, Nobilium et infimae sortis hominum. Quapropter per Sigismundum Bathori Principem, qui testamento quasi constitutus erat Patronus eorum, ad humiles Regnicolarum instantias articulariter Regno exclusi sunt. Primum tres nationes in comitiis partialibus Enyedini libellum obtulerant Principi supplicem, quo rogabant ut homines istos Diis hominibusque invisos Patriae hostes ab universo Regno declaratos exterminaret. Quarum supplicationes nullo tunc loco Sigismundus habuit, at cum ille a Regnicolis subsidia sollicitaret et Regimen auspicari, Regnicolae nihil deliberantes ad sua discesserunt. Animadvertens Sigismundus malam fore consequentiam, nisi tempestive negotium hoc dirimat. Mediem comitia an 1588 octavum Decembris indicuntur. Ubi differri hoc negotium Princeps petit, at respondent status Regni differri non posse[2]) sequentique supplici libello iterum Principem requisierunt.

Illustrime Princeps.

Resolutio Celsit. Tuae in negotio Jesuitarum reddita nobis est, in qua C. T. nobis ob oculos ponit, regnicolas superioribus partialibus conventibus aliquid de Religione et Jesuitarum statu deliberasse ac illos tollendos esse communi suffragio statuisse. Supersedendum itaque esse hac quaestione atque alia tractanda. Praeterea esse nonnullos ex Regnicolis, qui propter communem Religionem Jesuitas in Regno confirmandos a C. T. exspectant. Verum cum videamus libertatem Patriae ac Nobilitatis impeti ac in summum discrimen adduci, necesse est nos paulo altius rem repetere ac a prima origine repetendo proponere.

---

1) W. Bethlen, Hist. Lib. VI. pag. 356.

2) Confer. Histor. Diplomat. pag. 8, 9. — Histor. Reform. pag. 318; varietas stili non rei apud hos auctores est inde orta, quoniam supplex libellus Hungarice conceptus per diversos in Latinum est conversus. W. Bethlen Lib. VI. p. 399.

Inde a principio fundatae Reipublicae Hungaricae haec fuit Regni Hungariae libertas et praerogativa, quam successivis temporibus et sanguine tutati sunt ac illibatam semper conservarunt omnium Regum tempore, ut de iis quaecunque ad amplitudinem atque salutem Reipublicae facere viderent ex sua plena potentia et absoluta authoritate libere semper eligerent, qui temporis successu, Regno invito et non consentiente, nihil stabile ac diuturnum constituere potuerunt. Quod si etiam aliquid constituissent pro tempore et salute Reipublicae, Patriae incolumitate et Patriae necessitate postulante ex eodem libero voto, nobilitatisque praerogativa ferenti, potestatem illud corrigendi et reformandi habuerunt. Hanc libertatis praerogativam inde ab initio constitutae Hungariae in hunc usque diem, licet plurimis difficultatibus et mutationibus Patria nostra obnoxia fuerit, illibatam tamen sartam tectamque conservare studuimus. Et in posterum quoque, ne degeneres filii reperiamur, vestigiis majorum nostrorum insistentes, omnibus viribus tuebimur.

His positis Illustrissime Princeps, licet constet superioribus comitiis partialibus de Jesuitis in Regno nostro tollerandis aliquid constitutum esse, tamen rationem habentes libertatis pristinae ex eadem nobilitatis praerogativa easdem constitutiones reformare possumus ut et laudi gloriae Dei satisfiat, et libertatem nostram vindicemus. Ex historiis liquet, inde ab initio hunc ordinem fuisse observatum, si quidem necessitate postulante viri principes ex suo arbitrio renovare aliquid cogitarint, statim in principio generalia comitia convocarunt. Regno tandem approbante et consentiente innovatio instituta est. Hac via fuisset procedendum in caussa Jesuitarum, ut antequam in regnum introducerentur in generalibus Comitiis de eo necesse fuisset decernendum, cum superioribus temporibus ante Isabellae Reginae in Transylvaniam ingressum Papistica Religio cum omnibus suis ordinibus et Professoribus ex communi totius Regni consensu parique voto expurgata fuerit. Itaque ipsorum vocatio legitime (uti praetendunt), esse non potest. Habenda itaque hoc tempore ratio et constitutionis superiorum temporum, ut in integrum restituatur, maxime cum in postremis constitutionibus Albae Juliae anno 1585 factis hujus caussae finalis determinatio in generalia Comitia hactenus non celebrata dilata sit, cujus sententia haec est:

Quod ad Religionem attinet, idem ordo et modus observetur in omnibus punctis et clausulis, qui hactenus observatus est neque in Comitiis generalibus aliquid diversum constituatur.

Nunc itaque Illustrissime Princeps, cum nos generaliter vocati sumus, operae pretium judicamus, quod antea conditionaliter de Jesuitis fuit

decretum, nunc reformare, maxime cum ipsi huic rei ansam praebuerint, intra suos limites se minime continendo. Non enim solum juventutem liberaliter disciplinis instituerunt (ut ipsorum proprium erat officium) sed et religionem suam palam et manifeste per plateas, Templa et compita in processionibus etiam propagarunt, in iis etiam locis, ubi nulla ipsis a Regno facta fuit potestas. Nam et Varadini S. Aegidii Templum, ubi alias purior Religio docebatur, violenter occuparunt, non juventutis instituendae, sed religionis promovendae causa, ac in civium injuriam Crucifixum armatis manibus publice eduxerunt, ac turbas dederunt maximas, quas nisi ii quorum interfuit, compressissent, seditio orta fuisset. His non contenti, contra Regni statuta vicinos pagos percurrerunt ut Religionem suam latius spargerent; Domum Ministri Ecclesiae S. Kosmanni invaserunt, injuria effectum ejecerunt, libros quos habuit, disperserunt, ipsum ac cives contumeliose tractarunt. In Transylvania quoque limites a Regno ipsis praescriptos transiisse manifestum est. Nam universam Siculicam Vicinam Vasarhelly, Karansebes omnia plurimis (quod sic et ipsum per modum constitutionis minime fieri potuisset) serio ne ab uno quidem vocati, privata authoritate perlustrarunt, non in juventutis instituendae, sed Religionis promovendae sive dilatandae causa. Possessiones vero Regni legitime et quibus privilegiis obtineant apparet ex anni 1556 generalibus constitutionibus et articulis in quibus expresse habetur quod Bona Episcoporum, Capitulorum, Conventuum, Praepositurarum, aliarum item Ecclesiasticarum personarum redderentur illis, a quibus adempta sunt privilegia. Ergo contra statuta Regni largita, qua ratione ipsis suffragari possint aut debeant, cuilibet manifestum est, cum ejusmodi appendices, donatio, statutio, contra generales constitutiones nullum robur, firmitatemque sortiatur.

His tamen minime contenti, non solum Monasterium cum universis pertinentiis, verum Sz' Mihály Köve cum adjacentibus pagis, in Districtu etiam Varadiensi Bona Fiscum concernentia occuparunt, ex quibus liquido apparet, eos etiam ad majora adspirare. Praeterea etiam limites suos transgressos esse vel inde apparet, quod etiam in Turciam irruperint. Regiones Transalpinas reformare in Religione per commissarios conati sunt, quae audaciae et conatus cum dissimulari non possint apud Turcarum Imperatorem, qui Papae satrapos infensos habet, quantum periculum Patriae nostrae afferre possint, quilibet cordatus intelligit. Cum igitur contra Regni constitutionem talia tentarint, in quantum discrimen adduci libertas nostra per eos possit, exempla nobis sunt vicinarum Gentium ruinae, in quarum ditionibus ubi primum pedem sistere potuerunt statim cruentam post se traxerunt cladem. In Gallia Principes cognatos violata stipulationis fide, mutua ad arma concitarunt, et una die plus

quam decem millia hominum religiosorum cruentae neci dederunt, ut plateas et flumina sanguine tingerent; quos cum Principes instituunt eorum non solum in spiritualibus Magistri, sed etiam in secularibus summi consiliarii haberi volunt, sicut Regi Portugalliae usu venit, quando Papae authoritate rupto foedere cum Mauritanis ad arma contra eosdem concitarunt, in quo bello omnibus copiis amissis vita privatus est.

Illud quoque praeterire non possumus Illust. Princeps, pace C. T. dixerimus, quae cum oculis videmus dicere oportet, Jesuitas non solum ratione officii, sed quovis tempore adesse C. T. manifeste deprehendimus, si quid vel solo verbo adversus illos committimus contra Dignitatem C. T. nos peccare calumniantur, ac ejusmodi tralatitiis sermonibus aures C. T. onerant ut nobis animum C. T. immutent, suos Catholicos commendent, nobis odium concilient ut securitatem nullam nobis polliceri possimus. Romae nuper in oratione quadam ac scriptis quibusdam manifeste declararunt, quomodo retia sua in Transylvaniam tetenderint, nimirum ex complexu Parentum abstrahendo adolescentes nostris alumnis nostris nos implicent retibus. Claudiopoli propugnaculum seu seminarium adversus nos erexerunt, quod inde apparet, quod ejusdem seminarii alumni nobiles adolescentes statim ad arma provocant, et non ita pridem maximo tumultui ansam praebuere, ex quo, nisi Deus clementer avertisset, ad arma deventum fuisset. Cracoviae non ita pridem studiosii Catholici domum in qua Calvinistae docere solebant, invaserunt, ignes subjecerunt, in ea deprehensos necarunt, et universa diripuerunt.

Quemadmodum superioribus temporibus Papa in Transylvania regnante, major Possessionis pars in potestatem Episcoporum, Monachorum, et aliarum Ecclesiasticarum personarum, devenerat, idem nobis deinceps usu venturum divinare possumus. Juventutem dementant, jure jurando sibi adsciscunt, Bona eorum mobilia et possessiones sibi appropriant ac Regnum exhauriunt. Inter duos autem potentissimos Imperatores constituti alterum largitionibus placare, alterum vero armis repellere cogimur. Nervis autem belli destituimur proventibus ipsis cedentibus. Multa Illustrissime Princeps silentio praeterimus, ne aures C. T. offendamus, nam qui inalterabilibus gravaminibus subditos suos onerent, per esum carnium mulctent, tyrannidem etiam secularibus nedum spiritualibus hominibus indignam in illos exerceant ne attingimus quidem. Caeterum illud quoque nobis inculcat C. T. nonnullos non contemnendae authoritatis viros studiose libertatem religionis Catholicae a C. T. efflagitare. Ad hos quod attinet, notum omnibus est, inde a principio fundatae purioris religionis fuisse in Transylvania nonnullos Catholicos qui nunquam pro Universitate reputati sunt, sicut ex articulis hac de re superioribus in generalibus Comitiis constitutis, manifeste apparet, non unum aut plures, sed

majorem Regni partem pro universitate reputandam esse. Rogatos ergo illos volumus, tanquam communi societatis vinculo nobis conjunctos, ut nobis ignoscant, quod illos pro Universitate agnoscere minime possumus; interim nulla ex parte illorum conscientiam constringimus, sed summa libertate donamus. Quod autem Illust. Princeps nos monet, magis accommodatum tempus huic tractandae rei destinatum esse; memoria repetere C. T. potest, cum anno 1585 in Comitiis generalibus caeterisque conventibus hae de re sollicitaremus, totam hanc causam in comitia generalia rejectam esse. Nunc cum Dei beneficio aurea illa dies nobis affulgeat, vocati, huc certatim confluximus, Majorum exemplo, de iis quae ad Dei gloriam pertinent, ante omnia constituere necessario in omnibus affirmandis in his generalibus comitiis C. T. cum delectis inclytis Senatoribus nobis sufficere judicamus.

Supplicamus itaque Illustrissime Princeps, Celsitudo Tua Serenissimi Poloniae Regis exemplum ob oculos sibi ponat, qui dum in Transylvaniae Principem inauguraretur, licet antea Catholicam Religionem sectaretur, in gratiam tamen Regnicolarum, dum Transylvanica sceptra tenuit, Missatores non admisit, sed purioris religionis Ministros docentes publice audivit: hujus tanquam Patrui C. T. studiosissimi exemplum imitans puram pietatem erga nos declaret, hoc eum solum habeamus propositi, ut salva omnium conscientia, Patriae libertatem tueamur et incommoda periculaque imminentia omni studio avertamus.

Exhibita est haec supplicatio Principi per Albertum Hueth comitem Saxonicum, et Stephanum Bodoni Tordensem Comitem nomine trium Nationum; quibus die sequenti per Wolfgangum Kovasotzi Cancellarium et Joannem Gálfi in hunc tenorem respondit.

Quod sua Celsitudo ex innata sua munificentia in amorem statuum, Jesuitas Varadienses, Albenses, Claudiopolitanos et ex Sz. Mihaly Köve conjungere, eosque in Monasterium supra Claudiopolim Monostor dictum concludere se velle, resolverit; atque istud suam Celsitudinem sine ullius injuria facere, cum illud bonum haereditarium alias olim ad suae Religionis spirituales pertinuerit.

§ IV. Verum ista Resolutio et declaratio statibus longe gravior visa est, quam ut in ea acquiescere potuerint, quod videlicet adhuc plures Jesuitae Varadino in Transylvaniam hac ratione essent adducendi et in Claudiopolitanum Monasterium, veluti in fortalitium concludendi essent. Renunciarunt itaque Sigismundo ut exhibitam heri supplicationem accuratius perpendere et gratiosius responsum dare dignaretur. Status enim unanimiter conclusisse, etiam de summe necessariis regni negotiis ne minimum quidem tractandum ad manus summere velle, donec prius causa Jesuitarum plenarie complanata esset. Sigismundus itaque post diuturnam consultationem per Dominum Kovasotzi Cancellarium et Joannem Getzi die XVI Decembris in hunc modum se declaravit.

Postquam nos animo nostro perpendimus, nos confirmatum Transylvaniae Principem esse, ex eo existimassemus etiam vos sincero nostri amore ductos, hesterno nostro responso in silentio acquieturos esse, et quod cum Consiliariis nostris maxime consultum esse duximus vos aequa mente accepturos, quis introitus Jesuitarum in Transylvaniam author et causa extiterit, videlicet Parentis nostri frater serenissimus Poloniae Rex, noster olim Nutritius et Curae Pater, cujus authoritas etiam apud vos aliquid valere deberet. Accedit et istud, quod a vobis merito suspici deberat, Jesuitas nos ex sinu quasi materno acceptos liberalibus artibus diligenti studio erudivisse, inque honestis moribus, Philosophicis scientiis, ad totius vitae nostrae salutem nos instituere, laudabiliter allaborasse, insuper ornate dicere, dextre dijudicare nos docuisse, ad honestatem et disciplinam retinendam secundum Philosophorum regulas et ad Patriae emolumentum, nobis manuductores fuisse. Quae omnia cum apud nos perpendimus, aequum plane judicamus eos non modo a nostro latere non rejicere, verum insuper ea omnia debita gratitudine compensare, eosque veluti vitae nostrae defensores, formatores et curatores, omni reverentia complectendos et abunde remunerandos esse.

Postquam autem unanimem totius Regni consensum videmus, Nos etiam in hac causa acquiescimus, utut nostrae Dignitati istud adversari videatur: nihilominus etiam in hoc benevolentiae vestrae Nos ita commendamus, vos eatenus in omnibus iis, quae ad nostrum beneplacitum, authoritatem et regni salutem proficua esse videbuntur, vestra pariter parata servitia et promptam vestram voluntatem in justis ad Regni salutem contributionibus exhibituros et testificaturos esse. Intermittere itaque nullatenus possumus, quin in vestrum toties iteratum petitum consentiamus, atque a jure nostro hac vice desistamus, universosque Jesuitas ex nostra ditione, tam in Hungaria, quam in Transylvania intra quindenam eliminemus et in perpetuum hinc exesse jubeamus constitutorumque et confirmatorum Regni articulorum vigore relegemus.

Haec ubi tres status intellexerunt, universus Populus ingenti jubilo et plausu in Templo Mediensi exclamavit: Vivat Illustrissimus Princeps Sigismundus, Vivat, Vivat[1]).

§ V. Proscripti e Regno discesserunt Jesuitae qui tum quoque forte id peregerunt, quod in ingressu effecerant; Campanus enim indictis tota Provincia pro rei successu mille quadringentis sacrificiis, bis mille Rosariis, Varsaviâ cum egregio operarum manipulo iter ceperat[2]).

---

[1]) Historia Dipl. pag. 13.

[2]) Historia Jesuitarum pag. 25.

Qualitercunque se itineri accinxerunt discedere coacti sunt. Possessiones vero Jesuitarum Fisco addictae sunt et sequentes conclusiones in comitiis factae: (1 Non erit fas Principi de Bonis Jesuitarum aliquid seu emere sibi, seu vendere alicui. (2 Nullum Jesuitam a sacris suis liceat intertenere; Monachum vero vel alium de aliquo ordine licere. (3 In urbe Varadiensi Templum Sancti Aegidii cum omnibus appertinentiis restituatur Reformatis. In his iisdem Comitiis die XX Decembris sequentes condiderunt Articulos Regnicolae: (α Seu Nobilis, seu ignobilis, de solutione Ministris ordinata immunis non erit. si quis vero solvere detrectet, Ecclesia exigat tres florenos Ungaricales et tamen cogat ad solvendum. (β Vladica nullam Ecclesiam in Possessione Dominorum Terrestrium sitam, Possessore non compellato de sua intentione, audeat ingredi. (γ Dominis Terrestribus Catholicis fas esto Parochum pro se ad latera sua intertenere, verum suos subditos ad eum adeundum audiendumque compellere nulli licere salva manente conscientia cujusque et libertate subditorum in Religione [1]).

§ VI. *Relaxant conclusum.* — Pauci tunc erant in Transylvania Romano Catholici, in Tractu fere Tsikiensi apud Siculos, pauci Claudiopoli, et hinc inde in amplissima provincia rari. Contradicebant etiam status et ordines Regni Collegio in Kolos Monostor fundato et Albensi, nec ibi quiescere sinebant, quousque tandem ad intercessionem Principis anno 1591 Albae Juliae in Comitiis talis a Regnicolis conditus est articulus:

„Videntes postulatum Tuae Celsitudinis ex certis et magnis rationibus ortum, ut C. T. in conscientia sua quietari possit, concludimus unanimes secundum promissum et asseverationem V. Celsitudinis, ut ea in quibus offensi eramus in generali congregatione nostra ad Mediem celebrata, Vestra Cels. nobis restituat; et Religionem Romanam in quae loca possessionaria jam illi interdicta per fortia violenterque invexit, mox et de facto ex iisdem exire jubeat. Cum vero sedem habeat Vestra Cels. Albae Juliae et propter crebras congregationes Regini Claudiopoli quoque saepe residendum sit Vestrae Celsitudini, ergo cultus et Religio Romana duobus his locis permittuntur, sed non collegia, imo Religiosis Romanis ad loca possessionaria quaquaversum excurrere, docere, concionari interdicitur, non tantum ubique, verum etiam in possessionibus ad Kolosmonostra pertinentibus. Manente salvo iisdem jure in praedicantibus vocandis ac intertenendis. Claustrum vero

---

[1]) Ex articulis Comitiorum Mss.

Tsikianum manebit in statu suo hactenus usitato cum locis ad se pertinentibus"[1]).

§ VII. Dolebant exclusionem e Regno et omnem movebant lapidem ut restitui possent. Claudius eorum Generalis varios in hunc finem per literas requirebat. Non deerant, qui vehementer suaderent, ut Turcici Imperatoris interponeretur authoritas, qui si auxilium ejus imploraretur haud dubie eorum receptionem esset jussurus[2]). Disuadebant alii cum apud Tyrannum eorum machinationes apertas esse optime nossent. Placuit ergo Sigismundum in hanc deducere cogitationem, ut ipsemet statibus exhiberet Memoriale pro Jesuitarum reductione, usi imprimis occasione praesenti, siquidem Dignitas Principis crevisset, admisso enim Sigismundo ad Titulum S. R. I. Principatus tanto jam majorem ejus coram Caesarea Majestate et serenissimis Regibus esse respectum[3]). Cui Regnicolae anno 1595 Albae Juliae resolverunt ita:

Articulum qui anno 1588 Medie est conclusus, quatenus concernit Patres Jesuitas ex singulari in Tuam serenitatem amore et benevolo in eam affectu, hoc sensu volumus abrogatum; quatenus nempe Vestram Serenitatem, ab obligatione et juramento istud faciente agnoscimus absolutam, et Patres Jesuitas Claudiopolim, Kolosmonostram et etiam huc Albam Juliam admittimus. Reinstantes Tuae Serenitati pariter, ut nostram erga Serenitatem affectionem et benevolum animum semper prae oculis sistendo, ne in alia loca praeter jam statim nominata, seu in Transylvania seu in partibus Hungariae eidem annexis unquam intromittantur. Parochi receptarum Religionum nunquam vel in Personis vel Scholis, Templis, Reditibus vel ullo alio eorum statu turbentur, intra limites Vocationis suae servandi. Nec Patres Jesuitae ansam ullis jurgiis vel dissidiis dare praesumant iis, quod ipsum tamen etiam Parochi omnium receptarum Religionum de officio suo esse intelligant.

Notari hic meretur, comitia haec cum celebraret Sigismundus, jam praecipuos Magnates et Consiliarios ex consilio ac suggestione Alphonsi Karili Jesuitae Hispani, qui continuo ad latera ejus haerebat et quae videbantur suggerebat, sustulerat[4]) atque ita facilius quo voluit poterat deducere Regnicolas.

---

[1]) Ex actis Comitiorum.

[2]) Ortus et Progres. Societ. Jesu in Transyl. pag. 104.

[3]) W. Bethlen, pag. 585 et ex Msstis.

[4]) Thuanus Hist. Lib. CX. CXIX. CXXXVII. W. Bethlen pag. 555—558.

§ VIII. Incurrerunt brevi rursus Jesuitae in odia statuum Regni, qui in Comitiis Thordensibus adversus eos exhibuerunt quaedam Puncta Principi anno 1598, quae Princeps approbavit propriaque subscriptione et sigillo confirmavit, imo juramento se servaturum obstrinxit.

Punctum ibi sextum ita se habet. Interteneat Tua Serenitas Claudiopoli tantum Jesuitas, quamvis exclusionem eorumdem et Claudiopoli et adjacente Monasterio multis de rationibus urgere possemus. Aliis vero locis signanter Albae Juliae Vestra Serenitas eosdem minime alat.

Punctum XV. Exmittantur duo de Proceribus Regni, alter Lutheranus, alter Catholicus, qui inquisitione facta intelligant ubinam locorum possessionariorum plures, ubi vero pauciores sedeant habitatores Reformati vel Catholici, ut sic Religio Romana multorum in possessiones violenter invecta jure removeatur. Vel ubi altera pars numero et jure fassionum superaverit, ea manere judicetur.

Punctum XVI. Bona possessionaria et fundos in iis talibus Personis Vestrae Serenitati dare licitum ne sit, unde et a quibus ad Fiscum redire non liceat; nec Vestrae Serenitati sit integrum sibi vel Principibus successoribus facere damnum vel Reditibus Principalibus hac in parte defectum.

Memorat W. Bethlenius etiam alia Puncta. Nimirum, quod Religiones receptas in suo statu conservet; Varadienses ob tumultum pro Religione excitatum poenis non subjiciat; Privilegia statuta et conclusa Regnicolarum ne vellicet &c ad quae observanda ultro fidei juramento se devinxit.[1])

§ IX. Inconstantis animi Principem terrore perculerunt Jesuitae, persuadentes illi anathematis gravissimi facto suo induisse laqueos, unde nonnisi Pontificis authoritate expediri possit[2]). Injectus Principi scrupulus mordebat ejus mentem, instantissime igitur Regnicolas in Comitiis anno 1599 Alba celebratis requirebat, ut Jesuitas Albam redire permitterent. Cui status ita responderunt[3]).

Proponit Vestra Serenitas nobis quantamnam conscientiae suae luctam propter Patrum Jesuitarum Alba Julia exclusionem, et simul petit Serenitas Vestra, ut articulus desuper eo Thordae conclusus tollatur ac reditus eisdem Jesuitis Albam permittatur. Respectantes ergo postulatum Vest. Serenitatis conclusimus: Articulus anno 1595 in Congregatione Generali nostra Albae Juliae de Patribus Jesuitis XVI Aprilis conclusus in omnibus punctis restituatur, et pro continentia ejusdem serenitati V. Patres Jesuitas Albam Juliam reducere liberum esto, Juramentum vero Vestrae Serenitatis hac in causa Thordae anno 1598 datum remittimus.

---

[1]) In Histor. Lib. IX. pag. 664.
[2]) Ort. et Progres. Soc. Jes. pag. 106.
[3]) In Actis 1599 art. 6.

Periclitante diu Provincia sub infelici inconstantis Sigismundi regimine et saevissimi Bastae expilationibus exposita; iterum anno 1603 Jesuitae ab illis qui partes tuebantur Sigismundi Regno sunt ejecti. Praevalente mox Basta Claudiopolim et Albam Juliam reducti, brevim iterum e Provincia facessere jussi ac Legibus conditis a limine Regni prohibiti.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De afflictissimo Ecclesiae statu sub Regimine Sigismundi Bathori, Georgii Bastae, Michaelis Wajvodae ad Principatum usque stephani Botskai.

§ I. Sub Regimine Stephani, Christophori Principum Bathoriorum, imo etiam gubernante vicaria potestate Joanne Getzi, felix erat status Transylvaniae et florens in ea Dei Ecclesia. At Christophoro primum anno 1581 vita excedente, mox anno 1586 Stephano Polonorum Rege eum subsequente, Sigismundus Jesuitis a Patruo educandus commissus erat, Provinciam vero administrabat summa cum prudentia Joannes Getzi, qui ob morbo afflictam senectutem Regimen deposuit et ab administratione Provinciae anno 1588 valedixit et simul cum eo omnis Provinciae felicitas, pax et tranquillitas; cui tristissimae successerunt calamitates et omnis ingruit turba malorum.

§ II. Noverant optime Jesuitae, quousque Reformati senatores circumstarent Principem, eos cupitis potiri non posse, ex iis autem tunc consistebant Consiliarii ac flos Regni. Per Alphonsum Karili incitabant Principem ad hoc ut rejecto fidei sacramento, foederi Turcico renunciaret, et Christianis se adjungeret Principibus, quod illi cederet in maximam nominis gloriam. Suadebant hoc nomine Pontificis, cujus sub nomine itidem variis onerabant promissis [1]). Providerant acuti Politiarum turbatores hic obstituros Regni senatores, veluti facto certissimam Provinciae ruinam secum trahenti eosque sub titulo Rebellionis in periculum posse vocari.

Insusurrabant nefarii adulatores subinde senatores velle Principem sublatum, quos susurros credulus et inconstans juvenis avide arripiens totus tremore implebatur. Affirmabant etiam Consiliarios eum Turcis vivum

---

[1]) W. Bethlen Lib. VI. pag. 405, 408.

tradere velle; praestat igitur praevenire, quam praeveniri. Derepente igitur plurimos e Proceribus ditiores vita exuit, quorum Bonis et divitiis confiscatis gaudebat sat pecuniarum habere pro bello Turcico sustinendo. Nefarie ab ipso sublatorum nomina sunt: Balthasar Bathori Patruelis ejus Miles Malthensis, vir magnae experientiae ac dives, qui praeter totum Districtum Fagarasiensem quem solus possidebat aliquot Colonorum millia habuit. Alexander Kendi socer Balt. Bathori aetate et experientia gravis, qui sub praecedentibus Principibus Cancellarii officio functus erat, apud quem inventa pecuniae summa sexaginta aureorum millia [1]). Franciscus Kendi, qui habebat in vestibus, gemmis et parata pecunia sexies centies aureorum millia aequivalentia. Wolfgangus Kovasotzi rarae experientiae et prudentiae vir. Habebat in auro paratae pecuniae unum et triginta millia, in argento Thalerorum viginti octo millia. Casum hujus viri cum Emericus Forgats L. Baro de Gymes exaudisset ita ad amicum scripsit. Amisimus Dudithium Ornamentum Europae, coronam Gentis nostrae, certe dimidium animae meae. Utinam in nostra Hungaria tres, in vestra Transylvania duo essent Kovasotzii, certe justius Respublica administraretur [2]). Joannes Ifju Stephani Balthasaris et Andreae Bathoriorum Vitricus. Gabriel Kendi, Joannes Bornemiszsza, Joannes Forro, Ladislaus Szalantzi, Gregorius Literati de Szent Egyed, Joannes Galfi Cantzellarius, Paulus Gyulai, militari et civili scientia clarissimus: omnes hi sub Stephani Bathori Polonorum Rege in Bello Moscovitico et Dantiscano Duces felicissimi.

§ III. Rupto cum Turcis foedere domui Austriacae se adjunxit ducta inde uxore Maria Christierna, quam etsi amabilem nunquam dilexit. Omnia haec effecit referente Thuano [3]) instinctu Alphonsi Karilii Sacerdotis sui, qui ad aures creduli et juvenis Principis continuo sedebat, et cerae instar in varia flectebat ac formabat. Ipsemet sero tandem agnovit et fassus est, ubi in miseriarum barathrum detrusus haereret, se a duobus Alphonsis esse deceptum, alter erat sacerdos ejus Karili, nuncius alter Pontificis, qui in Transylvaniam missus erat [4]). Haec fuit causa ruinae Transylvaniae: etsi enim in exordio rerum suarum fortuna favere videretur, tamen cum Turca rebus suis in Asia compositis vires in eum convertisset, illico ruina provinciam involvit. Auxilia enim ipsi largissime promissa lata non sunt vel a Pontifice vel ab Imperatore, sed

---

[1]) W. Bethlen p. 563, 564.
[2]) W. Bethlen pag. 556.
[3]) Lib. CX, CXIX, CXXXVII.
[4]) W. Bethlen pag. 663.

procul rei eventum speculabantur. Complevit igitur factis Patrui Stephani vaticinium, qui cum depictam ejus cerneret effigiem dixit: Nihil in eo Bathorei sanguinis cernere, neque pro Patria quicquam boni de eo ominari posse.

§ IV. Iniquissimum habuit scopum in bello Turcico, si verum sit, quod tunc occultabatur at tandem propalam narratum est. Voluit enim ut omnibus aliis e Transylvania Religionibus extirpatis solam in ea relinqueret Romanam, obstantes crudeli hauriret ferro, prout factum erat ea aetate in Gallia in Nuptiis Parisiensibus in celebri illa Laniena San Bartholomaeana; in hunc finem jam Gabiis exstantiora decusserat papaverum capita, at vero destinationi eventus non respondit. Memoriae haec reliquit Princeps Joannes de Kemény, qui ita:

„Hujus aetate accidit memorabilis conflictus in Campo Keresztes dicto (an. 1596) cum Germanis aderat etiam Sigismundus e Transylvania cum suis. Qui qualiter se virum ostenderit in prelio extat in Historia scriptum. Sed hoc silentio tunc involutum est, quod a Principibus et aliorum Procerum relatione fide dignissima audivi, quod Generalis Cassoviensis tunc Locumtenens Regius Germanus detexit. Quod Hungari ne nimia afficiantur tristitia propter prelium in campo Keresztes amissum: Si enim successisset bene, conclusum erat, ut in Hungaria et Transylvania, gladio omnes subjicerentur, quicunque ex adultis Romanam fidem non amplecterentur"[1]). En egregiam regnandi artem Sigismundi ab informatoribus haustam suis.

§ V. *Calendarii novi ortus.* — Plurimas dedit turbas Calendarii Novi ea in aetate ortus et commendatio. Gregorius enim XIII Pontifex e Calendario per Mathematicos et Astronomos errores eminentiores sustulerat. Tum non solum offerebat sed etiam ejus receptionem mandabat maxima authoritate. Principes Protestantes cum eos obligatio obediendi cogeret nulla in Comitiis Augustanis an. 1582 rejecerunt, tamen talem praefixit Bullam, ubi inter alia his verbis uteretur: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum praeceptorum, mandatorum &c infringere sub comminatione quidem indignationis omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum &c[2]). Hoc mandatum loco nullo habebant Protestantes qui Pontifici obligatos se non esse norant. Status et ordines in Hungaria diu istud recipere renuerunt, cum tamen expeditiones fieri secundum Calendarium Novum permiserunt, protestati sunt se facere nullius ob respectum praeter Regis, ne quomodocunque illis obsit. Articulus in Comitiis Posonii desuper conclusus ita est: De Calendario etsi

---

[1]) Joan Kemény in Vita sua Mssta.

[2]) Sturmius in Math. Juvenil. pag. 641.

Status et ordines Regni mallent, ut vetus Calendarium a tot jam annis observatum et cui se tam pauperes quam divites longo usu accommodarant in pristino suo statu permaneret. Volentes tamen se piae et clementi suae Majestatis admonitioni accomodare, non refragantur quidem ut deinceps Novi et reformati Calendarii usus sit. Hoc tamen per expressum declaratum esse volunt, se illud nullius alterius quam sola et unica Regia suae Majestatis authoritate in productum admittere, et maneant expeditiones et judicia, hactenus sive sub novo sive sub veteri Calendario factae, in suo vigore[1]). Ecclesiarum seniores eo tempore nondum Calendarium illud acceptarunt, anno enim 1591 in Synodo Karolini ediderunt tractatum cum titulo: Judicium Ecclesiarum ex verbo Dei in Hungaria Reformatarum, quo rationes solidae redduntur, quominus Gregorianum Calendarium in Ecclesia acceptari possit in Synodo Karolina habitum anno 1591. Dioeceses Protestationi subscripserunt: Borsodiensis, Abaujvariensis, Zempleniensis, Ungvariensis, Ugossensis, Berregiensis, Szaboltsensis, Baroviensis, Pesthiensis, Thuriensis, Makoviensis, Karolinensis, Maramarosiensis, Er-mellyekiensis, Rivulinensis, Szathmariensis, Szilágyiensis, Varadiensis, Debrecinensis &c[2]).

§ VI. *Transylvani N. Calend. recipiunt.* — Sigismundus quoque Bathori in Transylvania Novi Calendarii receptionem urgebat, quapropter severe edixit, ut omnes omnium ordines absque contradictione reciperent anno 1589. Saxones contra hiscere non ausi in congregatione Cibiniensi anno 1590 receptionem debere fieri concluserunt. Tandem anno 1591 prima Januarii in Universo Regno receptio publicata est et mandata[3]). Regnicolae recipientes talem ediderunt conclusionem: Novum calendarium in hoc quoque Regno acceptatum, quoniam etiam in aliis Regnis vicinis Christianorum acceptatum est[4]).

Promiscue diu usi sunt et veteri et simul novo ad evitandam confusionem praecipue in contractibus oriri solitam; quae etiam fere ratio unica ejus receptionem persuasit: addebant ergo in literis suis post Diem notatum stilo novo, stilo veteri, vel stilo Gregoriano, stilo Juliano. Graeci Ritus homines in Transylvania adhucdum Calendario se conformant antiquo.

§ VII. A quo tempore Joannes Getzi Gubernatoris officium anno 1588 deposuit Regimenque Sigismundo permisit, in continuo versabatur

---

[1]) art. XXVIII an. 1587. Istvanfi Histor. Lib. XXVI pag. 562, 581.

[2]) Historia Reform. pag. 331, 332.

[3]) Haner Hist. Eccl. 307.

[4]) Approb. Const. Part. III. Tit III.

Provincia periculo inter infelices manus sanguinarii et inconstantis hujus Principis, infidelis Michaelis Wajvodae Transalpinensis et saevissimi mortalium Georgii Bastae. Ubi tunc Religio et qualis rerum facies, cum Magnates et Nobiles nullibi subsistere poterant. Basta et crudeles ejus officiales Michael Wajvoda et latrociniis asueti ejus milites obtinebant Magnatum domos, abutebantur eorum familiis, conjugibus et liberis, nec erat, qui vindicaret. Non erat cui querelae effunderentur in sinum. Basta Germanis, Italis, Hispanis, Michael Serviis, Kozaccis simul cum Possessionibus offerebant et donabant nobiles matronas, ingenuas virgines[1]). Hi erant dies luctus et lacrymarum, ubi honestae matronae, uterum ferentes feminae, virgunculae tenerimae novennes, decennes furori militum subjectae dedecorabantur et opprimebantur[2]). Ministros verbi variis excruciabant modis, quosdam trabibus appensos libris suppositis infumabant, quosdam cremabant, alios inaudita etiam apud paganos crudelitate cute detracta enecabant. Proceres aut ingenti summa vitam redemerunt, aut ad Turcas confugientes sese conservarunt.

§ VIII. *Episcopus Catholicus Regno exclusus.* — In hoc quoque statu miserrimo in Provincia, qui supererant conabantur providere de suis posteris. Anno igitur 1600 ad diem XXV Octobr. Comitia Létzfalvam indicta sunt, ubi status et ordines inter alia hunc condiderunt Articulum: Ante omnia negotiis ad Deum spectantibus intenti conclusimus, quatuor Receptas Religiones sua quamque libertate esse permittendas; si vero in possessionem aliquam vi vel violenta manu Parochum suum obtrusisit aliquis possessor Catholicus, is mox et defacto in jus attrahatur; observetur ergo libertas[3]) cujusque libertas hactenus observata. In his Comitiis insuper concluserunt:

1. Ne ullus sacrificulus Walachorum in Transylvaniam ingrediatur e Walachia. Calugeri vero eorum penitus Regno exclusi sint. Ratio ea est, quoniam per sacrificulos et Calugeros Michael Wajvoda exploratores recognoverat statum Transylvanorum, cum irrumperet in Regnum et devastaret.

2. Omnes, cujuscunque sint nationis, qui Transylvaniam inhabitant singulis annis Festum anniversarium die XVIII Septembris ad recordationem divini Beneficii, quod ea die victoriam ad Pagum Miriszlo de Michaele Wajvoda largiri dignatus fuerit, sub poena celebrent. W. Bethlen. Lib. X. p. 812.

---

[1]) Joan. Kemény in vita sua Mss.
[2]) Thuanus Lib. CXXXIII. W. Bethlen Lib. X p. 732, 754, 758, 770, 783.
[3]) Ex actis.

Celebrabant rursum comitia Claudiopoli anno 1601 die XXI Januarii, ubi Episcopum R. Catholicum e Regno proscripserunt. Aderant his Comitiis et Sigismundus et Basta ejusque conclusiones confirmarunt. Praesidens fuit Stephanus Tsáki de Keresszeg Generalis Militiae Transylvanicae. Articulus Octavus in his Comitiis conclusus ita est: Quoniam praesentia in hoc Regno Demetrii Nabradi Episcopi Gyalaiensis ingenti detrimento fuit Regno huicce, ut qui et tempore Andreae Principis omnia contra hoc Regnum facientia perscripsisset Imperatori Romanorum, et diebus Michaelis Wajvodae omnes serenissimi Principis Sigismundi Bathori Donationes per eundem Michaelem Wajvodam fecisset irritas atque omnibus artibus suis et modis adnixus fuisset, ut Nobilitati et Regnicolis machinaretur perniciem, Receptas Religiones imprimis Claudiopolitanos acerbe turbasset, vix iisdem vel vita relicta, idque ope et manu Michaelis Wajvodae Valachi sanguinarii. Per has ergo et similes his rationes placet, ut Regno penitus extorris existat, nec ullum jus hic aliquid possidendi unquam acquirat. Bona ejus omnia Fisco cedant, neque unquam talismodi Episcopus ipsi succedat vel Episcopatus resurgat[1]).

Ab eo tempore Episcopus Romano Catholicus ad annum usque 1716 in Transylvania non fuit. Cum Transylvani se Leopoldo submiserunt anno 1686 per Ablegatos altera conditio ista fuit proposita: Nunquam allaborabit sua Majestas in Transylvania erigere jus Patronatus aut Sacerdotale, nec demandabit, eam materiam statibus proponi[2]). Voluit tamen anno 1700 restituere Leopoldus Episcopatum, voluntatem in effectum deduxit demum Carolus sextus anno 1716[3])

§ IX. Rursum Basta in Comitiis Regni sese obtulit ad Provinciae pacem elaborandam et ad conservationem quatuor Receptarum Religionum in libertate; at fecit tantum ut incautos facilius expilaret. Nam Lutherani et Unitarii crudelitatem ejus metuentes donariis eum placabant, Reformatos id facere non volentes nec valentes in metam furoris exposuit, ubi omnem crudelitatem et libidinem effunderet suam. Eos igitur nominabat rebelles, illis imputabat infortunia infelicis Sigismundi Principis et mortem Andreae Principis et Cardinal. qui nec Caesari Romanorum essent nunc fideliores. Igitur Ecclesias eorum vastabat,

---

[1]) W. Bethlen Lib. XI pag. 822 et Acta Comitiorum Mss.
[2]) In Appendice Histor. Diplom. pag. 13 art. XI.
[3]) Timon in Epitom. Chronolog. pag. 295. Nova Dacia pag. 81.

Ministros excoriabat, concremabat immani crudelitate [1]). Milites in aedes Magnatum et Ministrorum in hospitia collocabat, unde loca quaedam in solitudinem prorsus redegit. Quousque Reformatos prorsus enervavit, eousque caeteris Religionibus videbatur favere, at iis expilatis etiam caeteros crudelitati suae immolavit. A Coronensibus octuaginta, a Claudiopolitanis viginti aureorum millia exposcebat, et quod potuit extorsit. Thuanus Pontificiae addictus Religioni ita hanc describit crudelitatem. „Nec interim in Pannonia et Dacia cessabatur ubi non minore animorum itidem ob Religionis causam aestu res turbabant. Georgius Basta quasi omni cura alia solutus ab externo bello ad domestica mala curanda ita jussus animum appulerat, et summa severitate atque ut prudentiores judicabant tunc intempestive contra Protestantes utebatur, interdicto omni alterius quam Catholicae Religionis exercitio, et jam Transylvaniae fere totius potens nobilitatem ob id Bonorum amissione multaverat: cui tamen in comitiis proximis vitae gratia facta, additumque ut praesenti pecunia quadrantem Bonorum possent redimere, ut haberent unde decimas in posterum persolverent, Stephanopolitis octuaginta, Claudiopolitis viginti aureorum millia imperata" [2]). Kazy Jesuita octuaginta millia Claudiopolitanis mulctae nomine imposita, de quinquaginta millibus exsolutis affirmat apocham extare quam etiam producit [3]). Sacrificavit Claudiopolitanos suo furori ubi anno 1603 quosdam e senatoribus in causa Jesuitarum etiam suspendio necavit, Templum majus Unitariis et Collegium ademit, Jesuitis attribuit, at Basta e Regno discedente subsecuti sunt etiam clientes, vacua hospitia possessoribus relinquentes [4]).

§ X. *Horrenda fames in Transylvania.* — Eousque Bastana excreverat crudelitas, ut ne decem quidem Pagi unum haberent bovem aut vaccam, cum alias Transylvania pecorum esse soleat dives. Homines ipsi cogebantur vehere currus Pabones ad id aptatos, qui dicti sunt Currus Bastae: quoniam jumenta prorsus deficerent, ipsi terram arabant absque jumentis et ita sementem faciebant. Tanta 1603 secuta est annonae caritas ut cubulus tritici XXV Ducatis circa Claudiopolim venderetur [5]), minori aliquantum ad partes Siculorum et Saxonum. Secuta ingens fames, ut homines membranas a fenestris detractas devorarent, arundinum aliarumque herbarum crudae radices pro delicatissimis cibis

[1]) Thuanus Lib. CXXXIII pag. 1167. F.
[2]) Lib. CXXXI pag. 1110 D.
[3]) In Historia Regni. Hung. pag. 18.
[4]) Caroli Memorab. Ecclesiast. Tom. I pag. 55.
[5]) Istvanfi Lib. XXXIII pag. 784.

habitae, urticae in aquis decoctae furfuribus aspersis, ossa ad ignem tosta, si quis inde succus exsugi posset, quae crudis coriis sordes a Coriariis derasae a multis deglutitae, tollerabile erat canum, felium equorumque cadaveribus vesci. Sed ventum est etiam ad humana cadavera, ab ipsis patibulis interfectorum corpora rapta et devorata sunt. Simulacrorum umbrarumque instar citra omnem humanam formam hinc inde multi oberrabant donec extinguerentur. Horrenda dictu, quae tamen taceri non debent. Valachus quidam prope Enyedinum feminam a se mactatam decoxit et devoravit. Valacha non longe a Cibinio sex liberos mactavit ac voravit. Uterque tanto crimine comperto publice poenas dedit. Alii parentes, alii liberos fame aut peste deletos famelici consumpserunt. Prope Szamosujvár anus quaedem diro necessitatis telo eo redacta est, ut in proprium corpus dentibus saeviens consumpserit, quod attingere poterat. Relatum est de Patre quodam cum tribus filiis ex venatione victitare solito, qui cum alimoniam desideratam acquirere non posset, nec esset quod Patri et filiis ad sustentationem faceret, consilium iniit, ut jacta sorte, quem illa monstraret, mactaretur in cibum reliquis futurus. Sors mansit minorennem, cui Pater ex commiseratione se substituens filiis in cibum cessit, ut quibus causa vitae fuerat et in fame aleret. Ex fame consecuta est ingens hominum strages, cujus atrocitas ex eo judicari potest, quod ultra 700 mendicorum in una civitate Hesburgensi extincti sint, quos benignior annonae fama ex omnibus Transylvaniae locis eo contraxerat. Civium 2000 extincti sunt, nec melior aliarum Civitatum sors [1]).

§ XI. Accesserat his malis, miserias miseriis cumulare Wajvoda Valachiae qui Transylvaniam ingressus praedas agebat aflictis aflictionem addendo. Verum et istum et alios Provinciae hostes dira fames et pestis regno expulit. Hujus aetatis est Numisma Coronensium aureum, quod ab una parte tria capita ostendit; alterum imberbis Juvenis cum incriptione occidens; alterum est barbati senis fronte calva cum inscriptione oriens; tertium cum promissa barba cum inscriptione Deus et in peripheria Terrena consideres ut coelica possideas. Ab altera parte inscriptio est: A tergo et fronte malum, tandem Deus opitiare anno MDCII Fatali Transylvaniae. Premebantur tunc et ab Orientalibus per Valachiae Principem et ab Occidentalibus per Bastam, et a fame ac peste [2]).

§ XII. Talis erat facies rerum in Transylvania; at nihilo melior res Protestantium in Hungaria, Militiae rem Basta et Beliosa gubernantibus.

---

[1]) Conferatur Thuanus, Lib. CXXXI Ortus et Progress. Societat. J. pag. 136. Nova Dacia pag. 148. Haner in Hist. Eccl. Mssta. ad an. 1603.

[2]) S. Köleséri in Auraria Dacica pag. 139. Haner in Hist. Eccles. pag. 310.

Fuit Jacobus Barbianus Comes de Belijosa Praefectus Carthusianorum Romae, inde Generalis Militiae in Hungaria suppremus. Qui in hunc finem videbatur missus in Hungariam, ut primum Templa in regiis civitatibus occuparet atque ad fidem Romanam cogeret Protestantes. Initium fecit Cassoviae, ubi militibus more militari ordinatis plateas complevit, tormenta Templo majori direxit illudque violenta manu occupavit. Pastores in exilium abegit: insuper sub amissione capitis injunxit, ne quis alibi baptismum administrari curet, Eucharistia utatur et neogamos copulare audeat[1]). Edicto huic non obediens Georgius Szabo, civis Cassoviensis, decem Thalerorum millia ipsi in poenam extorsit. Ex viris primariis tres ruderibus desolati Claustri conclusos anno 1604 fame mori coegit: antiqua civitatis Privilegia sustulit, Pagos, Molendina et omnia jura subvertit in exemplum, ut aliae civitates malo hujus edoctae obediant. Ablegatos suos expedierunt ad Imperatorem, qui post diu frustra extractum tempus admissi non sunt, tanto minus auditi, sed cum dolore redierunt. Stephano Botskai Capitaneo Varadiensi qui magnus tunc Reformatorum erat Patronus, grandem imperat pecuniae summam deponendam, renuenti duo Castella praedae militum exposuit[2]). Martinus quoque Pete Archiepiscopus Colocensis occasione utendum ratus in tredecim Civitatibus Szepesiensibus, acceptis a Beliojosa militibus, multum grassabatur[3]). Ministros verbi Divini abegit, quibus Monachos et Jesuitas substituit in Parochiis, qui cum non invitati accessissent hospites invisique, tempore vertente ne limine quidem solutato discesserunt.

§ XIII. Rudolphus Rex et Imperator Comitia Posonium indixerat anno 1604, ubi multae querelae, disceptationes peractae: per supplices libellos Templum Cassoviense repetebant, nobilitas libertatem crepabat, universi Ministros in exilium actos revocari supplicabant, frustra, omnia in aliud tempus rejecta. Stephanus Bathori Judex curiae ab anno 1587, nepos Stephani Bathori Palatini, quo nemo eo tempore vel potentior vel pro Reformatis zelosior extitit, invitatus erat ad Comitia, at subolfactis insidiis in arce sua Etsed remansit atque ita respondit: Nisi arx ejus Etsediensis una cum ipso vehiculi forma Posonium commeet, se iter hoc nullo modo ingressurum[4]). Durius in his Comitiis comitatuum liberarumque urbium Legati tractati non sunt neque adversus Religionem iis durantibus conclusiones factae sunt ullae. Verum comitiis dissolutis adjectus est articulus, ubi narratur displicuisse

[1]) Caroli Memorabilia Eccl. Tom. I. pag. 51, 52. Hist. Reform. pag. 332. Thuanus Lib. CXXXI, CXXXIII. Kary Histor. Regni Hung. 38.

[2]) Thuanus ll. cc.

[3]) Historia Diplomat. pag. 15.

[4]) Historia Reform. pag. 333.

Regiae Majestati quosdam de Ecclesiis, earum Ministris et Proventibus ademptis querulando tempus extraxisse: hoc deinceps ne fiat, severe mandatur[1]). Hic articulus medelam adferre visus auxit morbum Protestantium; hinc enim videbant, quomodocunque deinceps excrucientur ne querelarum quidem locus erit. Cavillabantur equidem quidam articulum in Diaeta conclusum esse, at istos Conclusio articulorum ubi additur ultimum per nos benigne et necessario additum Articulum palam refutabat. Abrogatus etiam tandem est in Pacificatione Wiennensi addita hac confessione expressa, eum extra Diaetam et sine Regnicolarum consensu adjectum fuisse[2]).

§ XIV. Haec erat facies Ecclesiarum in Hungaria et Transylvania Protestanticarum: haec forma Politiae. Durum erat, cum ne hoc quidem esset afflictis, ubi lacrumas effunderent. Nemo sine perpetua formidine in suis habitabat possessionibus, ac si non Christiani sed Tartari Procopenses in Regno castra haberent: extrema semper erant metuenda: non erat vero unde spes libertatis effulgeret. In hoc statu Heros incomparabilis Stephanus Botskai, Capitaneus Varadiensis, quem stimulabant etiam privatae ipsi illatae injuriae et dedecus et arcium expilationes; tum quoque publica cogebat calamitas omnia secum ad extrema rapiens. Militem derepente conscribit, Hajduccones ad suam sententiam perducit, quem animabat Gabriel Bethlen cum Nobilitate tunc apud Turcas moram trahens et occasionem Patriae liberandae expectans. Vadit adversus copias Imperatorias obsistentes, Beliojosam et Bastam devincit, profligat et publice proclamari jubet, ut qui Religionem et libertatem salvam vellent, nomen suum apud se profiterentur[3]). Basta cum e Transylvania ad desperationem praecipitata fugeret, quidam suorum dolore concitati abeuntem hisce versiculis insectati sunt:

Ne fuge, sta Basta, sta: ne fuge, sta bene Basta!
Sed fugis et vasta, tua copia sternitur hasta:
Copia non casta, miserorum sanguine pasta
Te pariter Basta perdat male fausta catasta[4]).

Astiterunt illi urbes, Civitates, Proceres, imi et summi, per officiales Caesareos, ut praetendebant variis affecti injuriis, repentino igitur turbine omnia quae opponebantur involvebat, ita ut non solum Hungariam et Transylvaniam annis 1604 et 1605 occuparet totam: sed et in haereditarias Imperatoris Provincias irrueret ac depopularetur. Unde Caesar Pacem meditari et coepit et obtulit; factaque est exinde celebris illa Pacificatio Wiennensis.

[1]) Articul. XXII an. 1604.
[2]) Articul. 1. anno 1606.
[3]) Thuanus. II. cc.
[4]) In Nova Dacia. pag. 150.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 10 05 20 06 023 0